231.558
2/1834 John, Chrysostom, St.
.J64 Operum
vol.5/6
Reference

Date Due

231.558
2/1834 John, Chrysostom, St.
.J64
vol.5/6 Operum.
Reference

DATE DUE	BORROWER'S NAME

Cardinal Spellman Library
St. Pius X Seminary
Graymoor, Garrison, N. Y.

BENCO

✝ LIBRARY ✝
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.

✝ LIBRARY ✝
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

LXXIV.

PATRES QUINTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

V.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI.

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM,

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO BETHUNE, BELIN ET PLON,

VIA VULGO DICTA DE VAUGIRARD, 36.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS SEPTUAGESIMUS QUARTUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXIV.

This is the property of
Southern Evangelical Semin
3000 Tilley Morris Road
Matthews, NC 28105

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/collectioselecta0056vari

S. P. N. JOANNIS
CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
OPERUM
PARS I.
HOMILIÆ IN SCRIPTURAM.

CLASSIS I.
HOMILIÆ IN VETUS TESTAMENTUM.
DE DIVERSIS.

CLASSIS II.
HOMILIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM.
COMMENTARIA IN S. MATTHÆUM EVANGELISTAM.

Ref
RR65
.C42
1934
v. 5-6

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ IN VETUS TESTAMENTUM,

DE DIVERSIS (1).

HOMILIA I.

De beato Abraham.

1. Vidistis canitiem vegetam, ac floridam senectutem? vidistis athletam generosum, et cum natura visceribusque pugnantem? vidistis virum in extremo senio adamante firmiorem? vires quidem corporis ejus elanguerant, sed ejus fidei vigor corroboratus erat. Talia sunt enim Ecclesiæ præclara facinora, ut imbecillitas corporis fidei alacritatem non lædat: ornamentum quippe est Ecclesiæ canities demissa, et fides alis instructa, atque hac re potissimum Ecclesia lætatur. Nam in profanis quidem negotiis inutilis est senex, nec ullam ad rem idoneus; sed ubique dignus indulgentia censetur, quod propter imbecillitatem ad usus vitæ necessarios minime valeat commodare. Exempli causa, non potest senex in bello stare in acie, non in equum ascendere, non hastam vibrare, non clypeum movere, non solis ardorem ferre, non itineris longitudinem sustinere, non famis asperitatem, non molem tumultuum tolerare: sed tran-

quillo in loco canitiei patrocinio fretus sedet. Hoc vero in navigiis quoque cerni potest : ad gubernacula nequit senex sedere, non maria sulcare, non remum ducere, non vela tendere, non contrariis ventis obsistere, non asperitatem frigoris pati, non aliud quippiam ejusmodi potest perficere, sed in navi sedet, atque ætatis causa veniam impetrat. Hoc ipsum et in agricolis spectare licet : nam neque trahere aratrum potest, neque sulcos imprimere, non equorum domitor fieri, neque robustorum boum vim sustinere, nec æstus impetum, nec gravitatem caloris, nec ligonis pondus, nec aliud quidvis eorum, quæ ad terram colendam sunt usui : sed domi considet, et canitiei excusatione se tuetur. At non ita se habent res Ecclesiæ, sed ubi consenuerint, qui cum virtute vitam traducunt, tunc utiliores redduntur : non enim corporis robur, sed fidei præstantia quæritur. Talis erat Abraham, cui vires corporis elanguerant, sed ipse fidei robore confirmatus erat : senex erat, sed in extrema senectute cum natura pugnabat et præclarum de ea triumphum agebat : senex erat, sed robustior ferro, atque adamante firmior. Ac juvenis quidem cum esset, nihil tale præstitit ; cum vero prope exacta jam ætas esset, ac decursa, tum triumphum reportavit ; in extrema erat canitie, sed canities impedimento non erat : quamobrem cum ejus firmitatem novisset Deus, apparuit illi, et ait : « Egredere de terra tua, » et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in ter- » ram, quam monstrabo tibi [1]. » Paruit Abraham dicto, tametsi jam senex deinceps, et corpore imbecillis esset ; nec apud se dixit : « Quo tandem in extrema senectute discedam ? domum-ne patris mei, terramque, in qua natus sum, derelinquam ? ubi pecuniarum copia, parentumque nobilitas ? ubi opulentæ possessiones et commoditas amicorum ? atque ex tempore quidem dolore afficiebatur, sed parere

[1] Gen. XII, 1.

tamen non recusabat : ut amans patriæ deseri eam a se dolebat, ut Dei amans et pius parebat, et morem gerebat : quodque permirum erat, ne dixit quidem illi Deus in quem locum eundum esset : at nullo eum nomine designans ipsius animum exercuit, ac tentavit. Si enim illi dixisset : « In terram te sum lacte ac melle manantem abducturus, » tum non voci divinæ Abraham paruisse, sed terram terræ prætulisse reperiretur. Egressus est igitur Abraham nesciens quo abiret. Vides canitiem præclaris facinoribus gloriosam? talis enim est, ut ante dixi, rerum status nostrarum; non eas senectutis imbecillitas deprimit; non eas tempus labefactat : neque enim canities est in corporibus, sed in anima; quapropter neque sentiunt senectutem. Egressus est igitur Abraham nihil secum accipiens, sed in tentoriis adhuc habitans, et incredulus non fuit, neque dubitavit : etenim habuit idoneum pignus ejus vocem, a quo fuerat evocatus. Porro sterilis erat ipse, neque liberos habebat, sed neque Sara uxor ejus : accepit autem ex repromissione filium Isaac. Cum vero natura defecisset, tum gratia largita est : sufficientem accepit obedientiæ mercedem, verumtamen cum hoc nesciret : si enim scivisset, nihil eximium præstitisset. Atque ut intelligas non idcirco eum morem gessisse, vide quo pacto ipsum etiam mactare jussus, parere non recuset, sed naturam aspernetur, et amorem Dei complectatur : contemnit sua viscera, nec ab eo, qui se vocarat, avertitur. Quid igitur ad eum Deus? « Abraham : » tum ille, « Ecce ego; » tum Deus; « Accipe filium tuum dilectum, » quem dilexisti Isaac, et offer eum super unum montium, » quos tibi dixero [1] : » neque montem illi indicavit; sed ex montis incertitudine majorem illi tristitiam injecit. At nihil horum tamen Abraham perturbavit : imo vero perturbavit; nam quæ hominis sunt, passus est, sed quæ peccati sunt,

[1] Gen. XXII, 2.

non est passus : fluctuabat quidem ut pater, sed ut Dei amans non mergebatur : urebantur viscera, sed fides vincebat. Cave enim dixeris nihil Abraham passum esse : cogita quo pacto incenderetur a visceribus commotus, ejusque philosophiam specta : ne Saræ quidem id significat, quippe qui timeret ne quominus mysterium perficeretur obstaret. Si enim significasset, verisimile erat eam sermonem ejus repressuram fuisse ac dicturam : « Quo filium tuum abducis, quem præter spem omnem accepi? Quem secundum repromissionem suscepi? quem propter hospitalitatem obtinui? quem in extrema mihi senectute Deus largitus est? quo eum abducis? quo eum abripis? Nemo tibi apparuit : qui enim fieri potest, ut tibi Deus apparuerit, et filium requirat, quem mihi præter spem dedit? Ipse largitus est, et ipse aufert? Si ut auferret dedit, satius fuisset non dedisse : non enim tam molestum est non habere, quam cum acceperis, perdidisse. Considera Saram incensam, inflammatam, a natura exagitatam, ejusque uterum distortum et viscera ipsius commota : facile quippe in ejusmodi rebus affectu mulieres commoventur. Quanto enim mollior et ad affectum erat pronior, tanto magis cum Abrahamo contendisset, et sacrificium impeditum fuisset, ac mysterium infectum mansisset. Quid enim non præstitisset Sara, ut filium suum avelleret? non enim rem illam ferre potuisset, ut filius præter spem natus mactandus esset, et qui in ipsa senectute donatus ipsi fuerat, immolandus esset, ut patris manus essent filii cædem patraturæ. Non tulisset talia Sara, sed ingentem Abrahæ pugnam excitasset; excitata vero pugna, necesse fuisset, ut insidiæ sequerentur : insecutis autem insidiis, impeditum mysterium fuisset. Non dixit igitur mulieri Abraham, ne qua contentio exoriretur; ne, exorta contentione, in pugnam res procederet; ne, re in pugnam procedente, ad dissidium propter fi-

lium provocheretur; ne, dissidio sic ob filium erumpente, promissio retardaretur; ne, retardata promissione, dolo aliquo negotium impediretur; ne, impedito dolo, quopiam negotio mysterium infectum maneret.

II. At philosophus ille Abraham, athleta ille, qui cum natura decertabat, et cum visceribus luctabatur, adversus naturam armatus parere minime recusavit: sed mandato Dei cedens, quod nuntiabatur audivit, et filium confestim accepit. Libenter his verbis immoror, « Accipe filium tuum » dilectum, quem dilexisti Isaac, et offer illum mihi in ho» locaustum super unum montium, quos dixero tibi: » et accipiens Abraham Isaac, et asinam, et duos pueros, abibat: deinde cum ad locum quemdam pervenissent, pueris ait: « Sedete, inquit, vos hic; ego vero et parvulus pertran» sibimus usque illuc, et cum adoraverimus, revertemur ad » vos [1]. » Insciens prophetavit Abraham, divina illi gratia cooperante. « Filium tuum mactaturus pergis, et ais: Revertemur? » dum pueros studet celare, Propheta efficitur: et imposuit ligna humeris Isaac, et sumpto igne, gladioque, in montem ascendit. Et quid dixit ad patrem Isaac? « Pa» ter? Ille vero: Quid est fili? Et ait: Ecce ignis et ligna: » ubi est ovis in holocaustum? Tum ille: Deus videbit sibi » ovem ad holocaustum, fili [2]. » Ecce et alteram prophetiam: neque verba præterire, neque facta possum prætercurrere. Considera nomina mox rebus ipsis orbanda. Ita ille patrem appellat, et hic rursus filium, atque ad horam quidem velabant nomina, mox autem erant denudanda. Considera enim quomodo affectus fuerit Abraham, compellatus ab Isaac, quem erat jugulaturus, pater. Qui fieri potuit, ut non ejus genua dissolverentur? quomodo non membra collisa sunt? Quomodo non mente turbatus est, cum his eum verbis Isaac filius affaretur? Obtulit tamen,

[1] Gen. xxii, 5. — [2] Ibid. 7.

et colligavit Isaac, manuque dextera gladium arripuit, ut filium suum mactaret. O dexteram illam adversus filium armatam! quibus exprimam verbis rem gestam nescio. Quomodo non obtorpuit manus? quomodo gladius de manu non excidit? quomodo non totus resolutus est et extabuit? quî potuit autem subsistere, et Isaac vinctum cernere? quomodo subito mortuus non remansit? quomodo illi inservierunt nervi? quomodo animus illum non defecit? non video, qua possim oratione rem gestam exprimere. Quotquot hic patres, aut matres estis, convenite, manum porrigite, orationem adjuvate: vires enim meas res excedunt, ignoscite; quin vos etiam ipsi succurrite. Sæpenumero quinque vel sex filios habet quispiam, et filias; si quando unus ex illis ægrotet, totum cubile pater circumcursat, oculos filii deosculatur, manus amplectitur, diem reputat noctem, et lumen tenebras, non quod elementa commutet, sed quod præ doloris acerbitate illis minime delectetur: mollia cubilia sternuntur, medici assident, multi satellites ægram circumstant, totus omnino contabescit pater: licet pecuniæ copia suppetat, detestanda est illi: licet innumeris curis prematur, omnes abigit, neque potest ad sobrietatem redire præ nimia tristitia temulentus: totus etiam mundus illi insanabili malo laborat. Pari ratione mater quoque circumit distracta, perturbata, et ardens tota, et facultatem quærens dolorem cum ægro dividendi, vel potius integrum admittendi, ut afflictus filius morbo relevetur: nihili facit vitam præsentem, nihili futuram; sed omnibus istis optabilius est illi, ut totum filii morbum excipiat. Non suppetunt mihi verba, quibus affectionem istam repræsentem. Pone tibi ante oculos Abraham sic affectum illum quidem dolore, sed philosophantem, et mandato obtemperantem: subigebat naturam, et mandatum viscera ipsa superabat. Enimvero hæc, ut ante dixi, patiebatur ut homo; sed ut

Dei amans philosophabatur. Ac videre erat Isaac martyrem vivum et non vivum; mortuum et non mortuum. Nam quod ad parentis propositum attinet, mortuus est: quod autem ad Dei benignitatem, non est mortuus: siquidem Domini figura et imago fuit. Evenit ergo figura, et eam veritas subsecuta est. Postea colligatur Isaac, sed non jugulatur; vox enim superne venit misericordia et benignitate plena, quæ Patriarcham cohibet jam totum intentum et paratum ad cædem patrandam, quæ ait: « Abraham, » Abraham, ne injicias manum tuam ad puerulum[1]. » Cur non ad puerum, sed ad puerulum? Cur vili modo loquitur? homo quippe erat: filio opus erat, non puerulo; non servo, sed filio vero Unigenito, a Patre ad nos misso. « Ne injicias » manum tuam ad puerulum. » Figura contentus fuisti, accipe veritatem. Et Abraham quidem prophetat servos suos decipiens: videt autem veritatem secundum dicta sua impleri. Quid enim ait? « Sedete hic cum asina. Ego autem » et puerulus pertransibimus usque illuc, et postquam ado» raverimus, revertemur ad vos[2]. » Dixit non ita sentiens: verùm accidit potius ut dicebat, quam ut sentiebat. Pueros autem relinquit, ne vis illi inferatur, contra Dei sententiam pugnans: ne putantes servi senili quopiam morbo affectum senem, ejus ad cædem impetum prohiberent, dicerentque: « Quid agis, domine? filium ex promissione acceptum immolas? dilectum illum, a Deo datum; senectutis tuæ nutritium hæredem, successorem tuum, Saræ filium? Quid facias animadverte: rem communica cum conjuge tua, communi parente, quæ tot illum doloribus enixa est. Nos prius jugula, et postea filium. » Verum sapiens ille senex ipsos non secum assumit, qui se cohibituri erant: sed jubet victimam ipsam portare ligna, ut figura esset Servatoris crucem gestantis. Ligna autem gestans filius, locu-

[1] Gen. XXII, 11. — [2] Ibid. 5.

tusque paterna viscera commovit; sed a divino amore patrem non amovit. Quid enim ait? « Pater. » Cogites velim, quænam esset vox illa, « Pater. » Etenim et nos quando mactare volumus aut agnum, aut aliud quodpiam ex animalibus, ipsumque balare, tranquillamque vocem emittere videmus, misericordia movemur, licet non articulatam vocem proferat. Cogites itaque velim, quid hæc ovis fecisset, si infirmum quempiam hominem allocuta esset. « Pater ecce » ignem et ligna, ubi est ovis ad holocaustum [1]? » Ipse vero erat ex patris sententia illa ovis, quæ sacerdotem ad commiserationem movebat. Non enim sub disciplina Christi fuerat, qui dicebat: « Qui amat patrem aut matrem, aut » filium plus quam me, non est me dignus [2]. » Ille vero imitabatur Patrem, de quo dictum est: « Qui proprio Filio » suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum [3]. » « Ubi est ovis? » ait prudenter filius. Quid autem dicit pater: « Deus videbit sibi victimam in holocaustum, fili [4]. » Non domesticum, sed filium. Ille Unigenitus, et Deus etiam (Filius) est unigenitus: ille humeris ligna, et Christus humeris Crucem; ille cum nihil peccasset immolandus erat, et Filius Dei, cum nihil peccasset, crucifixus est. Ille jugulatus et non jugulatus est, Filius item Deus jugulatus et mortuus est, et non mortuus est. Nam quantum ad rerum exitum ille non mortuus est: Filius vero Dei carne mortuus est, sed Divinitas impassibilis mansit.

III. Semper enim Deus cum magnam quampiam rem dispensaturus est apud homines, eam prævenit, et umbram ejus prius depingit, ut cum veritas adveniret, ipsi fidem non negarent; ut cum imago præcessisset, a credendo non recederent. Exempli causa, sanctissima Virgo paritura erat, resque illa incredibilis videbatur: nam quomodo virgo pa-

[1] Gen. XXII, 7. — [2] Matth. X, 37. — [3] Rom. VIII, 32. — [4] Gen. XXII, 8.

rere possit præter naturæ legem? Sic enim genitus præter ordinem naturæ prodiret. Quis a sæculo vidit virginem parientem? Ne itaque Judæi in magnam incredulitatem abirent, prævenit Deus et adumbrat in Sara veritatem, ut cum quæstionem moverent quomodo Virgo genuerit, memoria repetentes potius dicerent: « Quomodo Sara genuit? » Imo etiam magis hoc ratiocinio: « Quomodo terra, virgo cum esset, genuit? » Ligo non erat; agricola, qui coleret eam, non aderat; herba in illa non pullulaverat; sulcus in ea nullus; arida erat; semen non susceperat; ros eam non lætam fecerat. Dic mihi quomodo, virgo cum esset, innumera herbarum genera emisit? At non potes rem explicare, sed dicis: « Ut voluit Deus. » Eodem igitur modo et de Virgine dicito. Cum dubitatio subit, disce non curiose inquirendum esse; cum Deus operatur, ne quæras an secundum naturam; quando naturæ ipsius Artifex operatur, ne quæstiones multas moveas. Dixit: « Germinet terra [1], » et statim in terræ viscera sermo ingressus est, et ad partum ipsam excitavit, virgoque genuit. Verbum erat id, quod procedebat, et innumera herbarum genera pullulare fecit, et per verbum terra proprium assumpsit ornamentum. Videreque erat terram motu agitatam, volucres nempe, aquatilia, terrestria animalia, prata, flores, arbores, vitem, olivam, sexcenta arborum genera, præcoces, suoque tempore prodeuntes fructus: quæ in planitie, quæ ad mare, ad lacus, ad flumina, ad fontes, quæ in montibus. Unus erat sermo operans, et terra suum assequebatur decorem. Interpretare mihi, Judæe, id quomodo factum sit; at non potes. Vides-ne quomodo error a semetipso supplantetur. Attende diligenter: quemadmodum enim dixi, quando vult Deus rem dispensare, quæ incredibilis hominibus videatur, præmittit figuram et umbram, ut ne veritas derepente veniens, in incredulitatem ipsos

[1] Gen. 1, 11.

conjiciat. Opus erat ut Filius Dei veniret, hominumque genus baptizaret, veterem hominem renovaret, et eum, qui peccatum renovare volebat, demergeret, benedictionem induceret, maledictionem deleret, justitiam largiretur, homines Angelos faceret : adulterum accepturus et Filium facturus erat, quod etiam effecit, cum, qui ne terra quidem dignus erat, accepturus, et cœlo dignum facturus erat. Quoniam igitur hoc magnum miraculum, et incredibile multis erat, quomodo eadem ipsa natura unum hominem præfocet et justificet, peccatum deleat, et veritatem reducat ; ne dicerent Judæi dicta Christianorum esse fabulam : nam quî fieri potest, ut eadem ipsa aqua suffocet et vivificet ? Una est aqua, et quomodo possit duas operationes habere ? Quid igitur dispensat Deus, ut Judæorum impudentia coarguatur ? Filii Israël affligebantur, operibus lateritiis et laboribus affixi, et cum fletu clamabant dicentes : « Quis nos liberabit a servitute Ægyptiorum ? periimus, perditi sumus in operibus malis. » Quid igitur ? exaudivit illos Deus, misitque Moysem signis et prodigiis armatum. Venit Moyses ferens supplicia contra Pharaonem, pravum locustarum exercitum induxit : brucho imperavit, et ille venit : aquam in sanguinem mutavit ; pustulas ebullire fecit in hominibus, et in jumentis. Deinde, cum post tantas plagas Pharao non cederet, demum Deus mortem primogenitorum immittit, compendio dicam, ne his diutius immorans, promissa non compleam. Egressi sunt ex terra Ægypti, et venerunt ad oram maris. Exercitum post illos duxit Pharao cum multitudine curruum et equorum. Ut aciem vidit Israël, timore correptus est. Venit autem ad littus maris. Dixitque Deus Moysi : « Quid clamas ad me [1] ? » Atqui nihil dicebat Moyses. Sed dixit illi : « Deus sum, qui non ea solum, quæ labiis proferuntur audio, sed etiam ea, quæ in corde sunt, cog-

[1] Exod. XIV, 15.

nosco; ut discas, non clamore orationem, sed in animo emitti. « Quid clamas ad me? » Labiis quidem suis nihil loquebatur, sed corde clamabat. Oratio quippe requiritur ex animo bono, non ex clamore magno. « Quid clamas ad »me? » Extendit virgam, quam manu gestabat, et percussit mare. Tum incompositus aquarum impetus exsiccatus est, et propriæ oblitus est naturæ. Tale quippe est elementum; cum Dei nutus accedit, propriæ obliviscitur naturæ, et propriam refrenat operationem. Quemadmodum enim ancilla bene affecta, mare, ubi vidit Domini sui famulum, obtemperavit et obedivit. Obedivit autem, non lignum aridum reverita, sed ob illum, qui in ligno crucifigendus erat. Vidit igitur imaginem, et statim intellexit veritatem, et recessit. Pertransivit, inquit, et ipse, et omnis populus Israël. Secuti sunt autem Ægyptii persequentes illos; nempe Pharao, et currus ejus et equites. Deinde postquam filii Israël pertransierant, supervenit aqua, et operuit Ægyptios. Dic mihi itaque, Judæe, quomodo aqua baptismatis duas habet operationes, ita ut alium suffocet, alium vivificet? Dic igitur mihi, quomodo mare illud, natura sua unum, alios quidem præfocavit, aliis autem viam præstitit, licet unus sit et incompositus aquarum impetus? Et quomodo illos quidem ceu famulos reveritum est, erga hos autem barbarum morem imitatum est? Interpretare mihi illud, o Judæe, qui cruci non credis, quomodo eadem ipsa aqua illos præfocavit, et hos servavit. Una erat aqua, unum mare, et horum ne pedem quidem madefecit, illorum vero ne vestigium quidem reliquit, sed omnes simul aqua cooperuit, communeque sepulcrum mare fecit universo populo Ægyptiorum. Dic, quæso, mihi hoc quomodo factum sit. Vides quomodo umbra præcesserit, ut ne veritati fides negaretur? quomodo illa quidem umbra, hæc autem veritas; illa umbra, hæ res ipsæ. Vides, ut jam dixi, Deum, cum vult opus

quoddam mirabile perpetrare, figuras et umbras præmittere, ut sic procedens veritas facile accipiatur? Necesse autem est ut imago sit inferior Evangelio pacis. Illic calceamenta, et hic quoque calceamenta : illic virga, hic thorax. Moyses quasi viatoribus, Paulus quasi militibus præcipiebat : illi a terra in terram, et ideo viatores; ego a terra in cœlum, ideo miles. Quare? Quoniam via mea per aërem latrociniis infestatur, dæmones mihi occurrunt. Ideo fiduciam denudatam licet habeo, ideo thoracem justitiæ, ideo cingulum veritatis. Non sum enim viator tantum, sed etiam miles. « Angusta et arcta via est, quæ ducit ad vitam [1]. » Vide igitur quomodo Paulus res ipsas, Moyses vero figuras administret: quomodo sensilia, et quomodo spiritualia se habeant. Studeamus igitur et nos, dilecti, Abraham imitari, ut hospitio excipiamur in ejus sinu, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

De Melchisedecho.

1. Apostolicam hodie vobis mensam apponere volo, et ad pelagus vocis illius divini Pauli sermonem extendere paro. Sed quid faciam? Hæreo timeoque ne a portu solventes et ad profundum apostolicarum sententiarum progressi, caligine corripiamur, ut solet accidere vectorum imperitioribus. Illi namque, postquam, relicta continente, ab utraque navis parte pelagus viderint, nihilque aliud

[1] Matth. VII, 14.

quam pontum et cœlum, vertigine corripiuntur, ac navim cum mari in orbem verti putant. Verum non ex maris natura, sed ex navigantium imperitia vertigines oriuntur. Alii enim nautæ, nudis corporibus sese, præcipites dant in undas, nec quidquam hujusmodi patiuntur : sed postquam in ipsum profundum devenerunt, securius degunt, quam ii, qui in ipso solo sedent, salsuginemque ore, oculis, totoque corpore excipientes, id non ægre ferunt. Tantum taleque est imperitiæ malum; tantum vicissim peritiæ bonum. Hæc terribilia quæque parvi facere suadet; illa vero, etiam ea, quæ tuta sunt, suspecta habere et formidare. Alii enim in ipsis prœaltis tabulatis navis sedentes caligine corripiuntur : alii in mediis etiam fluctibus non perturbantur. Hoc item menti nostræ accidit : nam illam sæpe affectuum fluctus invadunt, ipsis marinus fluctibus vehementiores, qui tempestatis instar, animum deprimunt ac deorsum trahunt, spiritus malarum cupiditatum, qui magnam animis perturbationem inferunt. Sed qui imperitus imparatusque est, incipiente iræ tempestate, statim perturbatur, concutitur, agitatur. Videt animam affectibus demergi, et naufragium pati; at qui paratus meditatusque est, hæc strenue sustinet, tanquam nauclerus ad gubernaculum sedens; sic mentem supra motus animi constituens, non prius desinit omnia moliri, donec scaphan ad tranquillum philosophiæ portum deduxerit. Illud itaque quod in mari accidit, et quod animo contingit, etiam in Scripturarum expositione accidere necesse est, ut nempe commovcamur et perturbemur quando in altum venimus; non quod formidandum sit pelagus, sed quod nos, qui navigamus, imperiti simus. Quod enim accidere possit, ut sermo natura sua facilis, audientium imperitia difficilis evadat, Paulum vobis testem afferam. Cum dixisset enim Christum fuisse pontificem secundum ordinem Melchisedech, et disquire-

ret quisnam esset ille Melchisedech, intulit : « De quo »grandis nobis est sermo, et explicatu difficilis [1]. » Quid dicis, Paule? An explicatu difficilis tibi, qui spirituali sapientia præditus es? qui arcana audivisti? qui ad tertium cœlum raptus es? Si tibi explicatu difficilis, cui comprehensibilis erit? Mihi explicatu difficilis, inquit, est, non ob meam imbecillitatem, sed ob imperitiam auditorum; cum ergo dixisset: « Explicatu difficilis, »subjunxit, « Quo»niam imbecilles facti estis ad audiendum [2]. » Vides-ne non naturam sermonis, sed audientium imperitiam rem, quæ per se difficilis non erat, difficilem reddidisse? eadem porro causa non difficilem modo, sed etiam eum, brevis cum sit, longum reddit. Quapropter non explicatu difficilem modo dixit, sed etiam grandem, et longitudinis et difficultatis causam adjiciens, aurium imbecillitatem. Quemadmodum enim ægrotis non apponenda est mensa facile parabilis, sed variis referta cibis, ut si æger hunc respuat, alterum accipiat; et hoc non admittat, aliud sumat; si hunc repellat, alterum deligat; ut varietate difficultatem vincamus ac diversitate lautitiaque mensæ, animi fastidio medeamur; ita sæpe in concione faciendum, quando imbecilles sumus, longa apponenda est oratio, variis similitudinibus et exemplis instructa, apparatu etiam ac periodis, aliisque similibus, ut ex omnibus facilis nobis sit utiliorum delectus. Verum etiamsi grandis sermo esset explicatuque difficilis, non tamen privavit eos doctrina de Melchisedecho. Cum enim dicit : « Grandis et explicatu »difficilis, » eorum studium excitat, ne ad audiendum segniores sint : cum autem mensam apponit, eorum desiderio gratificatur.

II. Hoc et nos faciamus : etiamsi ad pelagus et profundum sententiarum pertingere non possimus, nos confi-

[1] Hebr. v, 11. — [2] Ibid.

denter mari committamus, non nostris freti viribus, sed gratia nobis superne data : non fiducia nostra, sed ob utilitatem vestram mari nos committamus, hac in re Paulum imitantes. Quod enim non privaverit eos sermone de Melchisedecho, audi sequentia. Cum ergo dixisset : « De quo » nobis grandis est sermo, et explicatu difficilis, » subjunxit : « Hic enim Melchisedech, rex justitiæ, itemque rex » Salem, id est, rex pacis, sine patre, sine matre, sine » genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ ha- » bens, assimilatus autem Filio, manet sacerdos in perpe- » tuum [1]. » Nonne aures vestras feriit, dum de homine loquens dixit : « Sine patre, sine matre, sine genealogia? » Ecquid dico, de homine? nam si de Filio diceretur, annon magnam moveret quæstionem? Nam si sine patre, quomodo filius? si sine matre, quomodo unigenitus? Filius enim patrem habeat oportet, alias vero filius non fuerit. Sed sine patre et sine matre est Filius Dei ; sine patre secundum supernam, sine matre secundum infernam generationem. Nam neque in terra patrem habuit, neque in cœlis matrem, « Sine genealogia. » Audiant ii, qui substantiam ejus curiose explorant. Atqui illud « Sine genea- » logia, » putant quidam de superna ejus generatione dictum esse. Hæretici porro neque hoc volunt; nam et illam curiose inquirunt ac scrutantur; moderatiores autem ex illis, illa concessa, de hac terrena dici putant illud, « Sine » genealogia. » Ostendamus ergo de utraque generatione hoc dixisse Paulum, de superna nempe et de terrena. Nam et illa tremenda, et hæc admodum arcana est. Quapropter Esaïas ait : « Generationem ejus quis enarrabit [2]? » Verum, inquies, de cœlesti illa agit Propheta. Quid ergo dicemus de Paulo, qui, postquam duas generationes commemoraverat, illud subjunxit : « Sine genealogia ; » ut

[1] Hebr. VII, 1-3. — [2] Isaï. LIII, 8.

non modo secundum illam generationem, qua sine matre erat; sed etiam secundum hanc terrenam, qua sine patre erat, illum sine genealogia esse crederes. Ideo cum ambas posuisset, tunc dixit : « Sine genealogia. » Etenim hæc terrena incomprehensibilis est, ut cœlestem illam ne quidem inspicere audeamus. Nam si vestibula templi ita tremenda et inaccessa erant, ad adyta quis ingredi ausus esset? Quod a Patre genitus sit novi, quomodo autem, nescio. Quod a Virgine natus sit novi, modum autem neque hic capio. Utraque generatio in confesso est, et utriusque modus tacetur. Et sicut hic de Virgine, ignorans quomodo ex Virgine natus sit, ipsum esse natum confiteor, neque rem tollo propter ignorantiam ; ita et tu fac de Patre ; etsi non noveris quomodo genitus sit ab eo Filius, confitere tamen. Si dixerit tibi hæreticus : « Quomodo genitus est ex Patre Filius? » ejus fastum in terram deprime, et dic illi : « Descende de cœlis, et ostende quomodo natus ex Virgine, et tunc ad illa respice. » Detine ipsum, et conclude, ne sinas resilire, et in labyrinthum ratiociniorum regredi ; sed detine et suffoca, non manu, sed verbo. Ne des illi dilationem, ut effugiat quo velit. Hinc enim tumultum excitant inter disputandum, quia nos sequimur illos, neque abducimus eos sub leges divinarum Scripturarum. Murum ipsi undique circumpone, testimonia Scripturarum, ac ne hiscere quidem poterit. Dic quomodo natus est ex Virgine? non gradum revoco, non recedo. Verum non poterit nobis modum enarrare, etsi sexcenties id contendat. Cum enim Deus occluserit, quis postea aperiat? Hæc sola possunt fide percipi. Si porro nequeas, sed ratiocinia quæras, id tibi dicam, quod Christus Nicodemo : « Si terrena dixi vobis, et non creditis, » quomodo, si dixero cœlestia, credetis [1] ? » De ortu ex Virgine dixi, et non intelligis, nec hiscere audes, et tamen

[1] Joan. III, 12.

supernam generationem curiose exploras. Atque utinam cœlum tantum; sed tu etiam cœlorum Dominum curiose rimaris. « Si terrena dixi vobis, et non creditis. » Non dixit : « Non persuademini; » sed, « Non creditis; » ostendens nobis, si terrena fide opus habeant, multo magis cœlestia. Etsi tunc Nicodemo de partu loqueretur longe minore; de baptismate namque sermo erat, et de regeneratione spirituali : sed palam est ea etiam fide esse comprehensibilia. Terrena autem illa vocavit, non quod terrena vere sint, sed quod in terra consommentur, et comparatione illius ineffabilis, et omnem mentem superantis generationis, hæc sint terrena. Si ergo non potest intelligi quo pacto ex aquis regeneremur, sed sola fide id percipere oporteat, neque modum curiose explorare, quantæ insaniæ fuerit de superna generatione unigeniti Filii humana ratiocinia movere, et modi generationis rationes expetere? Quomodo sine patre et sine matre Dei Filius, et quomodo sine genealogia sit, satis demonstratum est.

III. Sed quoniam multi non intelligentes quæ de Melchisedecho scripta sunt, ipsum etiam Christo majorem esse dixerunt, hæresimque constituerunt, et vocantur Melchisedecitæ, nobisque contendunt, et pugnant ipsum esse Christo majorem, illud adducentes : « Tu es sacerdos » in æternum secundum ordinem Melchisedech [1], » illis quoque occurrere oportet. Dicunt enim « : Quomodo non fuerit ille Christo major, secundum cujus imaginem et ordinem Christus sacerdotium exercet? » Nos ergo dicimus ipsum hominem esse, perinde atque nos passionibus obnoxium, nec majorem Christo, imo nec Joanne Baptista, « Major » enim illo, inquit Christus, inter natos mulierum non » surrexit [2]. » Alii rursum errantes dicunt ipsum esse Spiritum sanctum (2), sed hoc non dicimus nos. Nam quæ

[1] Psal. cix, 4. — [2] Matth. xi, 11.

necessitas fuisset Verbum Dei incarnari, si jam olim Spiritus sanctus homo factus fuisset? Quia vero nec major Christo, nec Spiritus sanctus est, dicant nobis illi, cujus loci ipsum esse statuant, an cœlestis? an terrestris? an subterranei? Si ergo dicant Melchisedechum vel e Cœlestium numero, vel alius cujuscumque loci esse, audiant illum genu flectere Christo, qui incarnatus est ex Deipara Maria; ait enim Apostolus: « Ipsi omne genu flectetur[1], etc. » Si omne genu flectitur, sane Melchisedech Christo minor fuerit, adorat enim Christum. Si infelices illi ac miseri ea quæ sequuntur considerent; nam subjungit: « Assimilatus » Filio Dei[2]; » ita intelligendum est, ipsum nempe, perinde atque nos ad imaginem et similitudinem Dei factum fuisse. Judæi porro dicunt ipsum ex fornicatione natum esse, ideoque sine genealogia esse; quibus nos dicemus, quod ipsi perperam loquantur. Etenim Salomonis, qui adultera Uriæ uxore natus est, genealogia tamen ducitur. Sed quoniam Melchisedech typus erat Domini, et imaginem ferebat Christi, quemadmodum et Jonas, ideo Scriptura ejus patrem tacuit; ut in illo tanquam in imagine, Christum, qui vere sine patre et sine genealogia est, intueamur. Hoc etiam nobis objiciunt Melchisedecitæ. Quid sibi vult ergo id quod dicit ei Pater: « Tu es sacerdos in æternum se- » cundum ordinem Melchisedech? » Quibus respondemus Melchisedechum virum fuisse justum, et vere imaginem tulisse Christi. Ille itaque prophetico Spiritu motus, futuram oblationem pro gentibus proferendam intelligens, panc et vino Deum coluit, Christum venturum imitatus. Quoniam igitur Judæorum synagoga secundum ordinem Aaronis hostiam offerebat Deo, non panem et vinum, sed vitulos et agnos, et cruentis sacrificiis gloriam Deo referebat, Deus ad eum, qui ex Virgine Maria nasciturus erat,

[1] Philip. II, 10. — [2] Hebr. VII, 3.

Jesum Christum Filium Dei, clamat et dicit : « Tu es sa-» cerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, » non secundum ordinem Aaronis, qui vitulis et agnis Deo cultum referebat; sed, « Tu es sacerdos in æternum se-» cundum ordinem Melchisedech, » eorum perpetua mu-nera Deo offerens. Per quem Patri gloria cum sanctissimo Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

In Joseph et de Continentia.

I. Mihi [1] quidem semper utilissimus videtur, et Christi servis dignus sermo de continentia : maxime autem tem-pore hoc, quando Christum induti pueri Ecclesiæ præ aliis bonis continentiam possidere maxime debent. Nemo in-juste vel intempestive de fortitudine et certamine factum dixerit sermonem, cum athletæ juxta olympicas leges exer-centur. Itaque et nos nunc athletas Christi, quos vidimus accepisse virtutem a Spiritu propter divina sacramenta, ad agonem spiritualem missuri, merito de continentia dis-serimus. In mundanis enim certaminibus post victoriam coronæ; in Christi autem stadiis ante victoriam coronæ. Quare autem coronatos in agonem mittit nos Christus? ut metum incutiat adversariis, sensusque nostros erigat : ut ad honorem a Deo nobis datum spectantes, nihil indignum Domino vel loquamur, vel faciamus. Nam si rex aliquis purpura amictus, coronaque caput ornatus, et victus na-turæ affectionibus, indignum quiddam regia majestate fe-cerit, mox ut in regiam stolam aspexerit, emendat se,

[1] Vide D. Guillon, tom. XVI, pag. 417-420.

operamque dat ne posthac a fœdis vincatur cupiditatibus. Et tu quoque indutus Christum, vitata turpis animæ concupiscentia, ad divinam statim stolam respice, meliorque statim eris, neque maligni artibus offenderis. Igitur pulchrum quidem continentiam commendare laudibus, pulchrius autem possidere. Et sane non parum ad continentiam incitantur, qui multum de ea loquuntur et audiunt. Atque eam ob rem virtutes Sanctorum celebrare sacris Scripturis voluit Deus, ut omnes homines in illorum trahantur imitationem, vestigiaque illorum diligenter sequendo, persuasi continentiam parent. Etenim si in gymnicis certaminibus plerique, visis athletis coronatis, accensi, etiam ipsi se exuerunt, et multos sudores laboresque pertulerunt, ut ramis vel oleæ vel lauri coronarentur : quanta ergo nos convenit alacritate pro continentia sudores ferre, quando alios a Deo coronatos videmus, ut cœlestibus redimiamur coronis, propter bona salutariaque facinora? Quomodo non grave, et multa ira dignum, si athletas allectet folium lauri vel olivæ, et gloria transitoriæ hujus vitæ : nos autem nihil moveant Christi munera, ut omnem voluptatem amoveamus, et timorem Dei præferamus concupiscentiis? Porro non in solis hominibus videmus similium imitationem, sed et in brutis. Nam et columbæ sæpe, visa una avolante, statim sequuntur omnes : et pullus generosus in equorum armento exiliens, secum rapit omne armentum. Et inter vos, ut in armento Christi, bonus est pullus Joseph continentissimus, cœlestibus exultationibus ad sui imitationem nos conservos vocans.

II. Saltemus igitur cum bono adolescente spiritualem choream, laudantes ipsius continentiam, non verbis solum, sed et operum imitatione. Ille igitur, ille erat diligens et perpetuus continentiæ custos, cum posset reginæ ipsi imperare, et in deliciis atque luxu divitem et volup-

tarium agere. Verumtamen quamvis talium et tantorum dominus futurus, cum cogitasset quod divitiæ quidem, et potentia ac gloria cum præsenti vita transeant, et temporalium lucrum duntaxat habeant, solius autem virtutis nullus sit finis, ideo voluptatibus timorem Christi, ut frenum quoddam injecit. Divitias autem et delicias, ac promissiones dominæ derisit, miseriam in carcere dulciorem censens præclaris domiciliis, tametsi his qui excellenter formosi sunt, difficile est imperare voluptati. Hic autem tantum specimen exhibuit continentiæ, ut pulchritudine animæ pulchritudinem corporis occultaret, stellæ cuidam pulchræ formositate corporis, Angelis autem venustate animæ conferendus. Nos autem decet admirari, non solum adolescentis continentiam, sed et pericula, quæ pro illa sustinuit, qui morte gravius ac terribilius judicavit servire voluptatibus. Admirabitur autem, qui virtutem ipsius diligenter cognoverit, et tempora expenderit in quibus animam puram servavit. Nam priusquam in terra et Dominus et opifex universi apparuit, libertatem custodivit mentis. In domo impiorum educabatur, multos habebat ad deteriora adhortantes, carebat continentiæ magistro. Omnes voluptati serviebant, ventri indulgebant, nihil pium, nihil sanctum faciebant : attamen in tantorum taliumque impiorum corona, videns dominam intemperantem jacere, cœlestium thesaurorum proditor non est factus, sed Spiritus templum indeprædabile custodivit, malens mori, quam servire voluptatibus. Non audierat Paulum dicentem, « Corpora nostra membra Christi esse : » et priusquam audiret vocem divinam, non minor apparuit iis qui cœlestibus promissionibus honorati sunt, docens nos in ecclesiis quam oporteat nos certare, et incorruptam servare animam. Nam si ego, dicere potest Joseph, qui ante natum Christum fui, nec audivi excelsum apostolum Pau-

lum clamantem « Corpora nostra membra esse Christi [1], » putavi Dei servos decere ut imperent voluptati : nec inventus sum continentiæ decoctor, quamvis multa pericula parata viderem : quantum vos convenit cum timore et tremore vivere in continentia, ut ne appareatis indigni honore, et ne membra Christi fiant membra scorti? Hoc verbum potest omnem animam continentia munire, hoc verbum ardentes concupiscentias facile restinguit. Neque imber in ignem cadens, ita facile flammam deprimit, ut malas concupiscentias marcescere facit sermo ille in animam admissus.

III. Eosdem sermones nobis loqui et magnus Job potest, qui non solum diligens continentiæ fuit exercitator, sed et legem oculis suis posuit, ne in virginis viderent faciem [2], ne forte mentem illius irradians raperet pulchritudo : quamvis quis non admiraretur et obstupesceret, videns virum hunc cum diabolo quidem viriliter certare, et omnes maligni machinas vincere, virginis autem faciem fugere, et a formosæ puellæ aspectu oculos subducere? Diabolum quidem videns accedentem non fugit, sed mansit sicut leo viribus fidens : virgine autem visa non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, sed statim secessit. Censebat nimirum in prælio contra dæmones virili et audaci animo opus : in continentiæ autem præparatione victoriam concedi, non ex virginum consuetudine, sed secessu. Quisquis igitur promittit virginitatem, accipiat consilia continentissimi omnium hominum, qui et ipse ante Christum incarnatum tam diligens continentiæ fuit custos. Neque enim negligenter audiendum, quod ante Christum incarnatum apparuerint justi tantum continentiæ specimen exhibentes. Non enim erat quod tanta vi ad virtutem illam urgeret, neque virginibus crimen erat ne-

[1] 1 Cor. VI, 15. — [2] Job XXXI, 1.

electa continentiæ possessio. Quomodo autem hoc? quia hujus causæ gratia Deus excelsus universorum opifex nostram accepit formam, ut Angelorum sanctimoniam ex cœlo deduceret. Quando igitur homines post tantum honorem voluptatibus se mancipant, dici nequit temeritatis magnitudo, qua membra Christi membra meretricis facientes, Domini misericordiam afficiunt, et quantum in eis est, vanam reddunt. Audiunt dæmones, et timent, quia Deus non connivet ut conjungantur sibi, nos autem sibi adjungat. Et audent fidelium quidam abscindere se a Christo, et jungere meretricibus? Non tantum est malum e cœlo in lutum cadere, quantum malum fuerit membrum Christi factum a divino honore excidere, et membrum fieri scorti.

IV. Quando igitur concupiscentia mala inflammat animam, statim recordare Christi, cogita astare tibi Paulum adhortantem, ac dicentem: « Nescitis quod corpora ves» tra membra sunt Christi? Gerens membra Christi, facies» ne membra scorti [1]? » Si illorum verborum fueris recordatus, statim fugientem videbis voluptatem. Nam si ancillas domina casta et pudica turpitudini deditas statim solo aspectu pudicas facit, quid mirum, si titillantem voluptatem Christi memoria statim sopit? semper crucem habe ante oculos tuos radiantem, et purus a peccatis per id temporis abibis. Nam sicut columna nubis figura nostræ crucis, Hebræorum multitudinem protegebat [2], ne quid mali ab Ægyptiis paterctur: ita crux ante oculos visa, omnem statim abigit malam voluptatem. Hæc enim salus est animæ, fœdarumque concupiscentiarum salubre antidotum. Etenim infirmitates corporis medicorum artes sanant, animam autem ægrotam curant statim eloquia Christi. Eapropter et eos qui peccarunt, et adhuc carnis serviunt

[1] 1 Cor. VI, 15. — [2] Exod. XIII, 21.

voluptatibus, oramus et precamur, ut excitentur ac resipiscant, ne omnino ab affectionibus vincantur, neve impetu ferantur, neve in amaram servitutem sponte se subjiciant, sed se in acie opponant, et timore Christi mentem corroborent, ac ejiciant ex arce gravem dominam : ut abjecta omni macula, et peccantium turba, cum sancta et incorrupta anima possimus accedere ad divina et reverenda sacramenta magni Dei et Salvatoris Jesu Christi : cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Homilia hortatoria habita in Templo sanctæ Anastasiæ adversus eos qui non affuerant; ac demonstratio de agonibus et certaminibus beati et justi Jobi.

I. Quanto [1] pauciores sunt ii, qui convenire solebant, tanto majore nos utemur alacritate : neque enim æquum fuerit absentium ignaviam studium nostrum labefactare ; sed propterea lautiorem apponemus mensam, ut quantum damni passi sint experimento discentes, studiosiores postea sint circa conventus hujusmodi. Ideo charitatem vestram rogo dictis attendatis. Sic enim duplex vobis lucrum proveniet. Absentibus enim dicta referentes, studiosiores illos efficietis, animamque vestram philosophiæ magis deditam reddetis. Quemadmodum enim terræ natura, si negligatur, herbas affert malas ; sed si frequenter agricolarum manibus fruatur, fructum reddit opportuno tempore : sic et hominis anima, quæ in ignavia jacet delictorum, spinas

[1] Vide D. Guillon, tom. XV, pag. 429-437.

parit; quæ vero studiose colitur, vernantem virtutis fert fructum. Ideo Sapiens quidam admonet, dicens: « Quasi » ager est vir stultus, et quasi vinea vir mente carens; si » reliqueris eum, arescet, ac fœnum stulte proferet [1]. » Ne igitur hoc nunc eveniat, frequenter verbi falcem immittimus; et si quid mali germinet, assidue amputamus; si quid autem opportunum, si fructum habeat, nutrimus et irrigamus, et ad maturitatem adducimus, assiduam rei curam habentes. Duplici enim, imo triplici egemus providentia; primo, ut a nequitia liberemur; secundo, ut virtutem possideamus; ad hæc vero ut acquisitam virtutem servemus: ubi etiam multo labore est opus. Nam malignus dæmon bona operantibus nobis magis invidet, et bene operantes invadit. Ac sicut piratæ si quam navim videant arena onustam prætereunt; sin vero sarcinas pretiosas et divitias ferentem, hanc adoriuntur, infra perforantes, superne oppugnantes, nullamque machinam non adhibent. Ita et diabolus illos maxime adoriri solet, qui virtutis copiam magnam collegerunt, ipsisque invidere et insidias struere. Tales ergo homines in orbe erant Jobi tempore: et adversus illum solum sese accinxit diabolus, machinasque omnes contra illum movit. Sed non potuit inferre naufragium; imo majorem sarcinam effecit et ampliorem negotiationem. Ejusmodi enim est virtus: impugnata potentior efficitur, et insidiis impetita tutior evadit: ut in Beato illo contigit: qui undique oppugnatus, firmior constitit, et mille telis exceptis, non cessit, sed diaboli pharetram evacuavit; ipse vero non cecidit, neque supplantatus est: sed sicut optimus gubernator, nec furente mari, nec concitatis fluctibus immergebatur; neque in tranquillo tempore negligentior erat; sed in utroque temporum discrimine, parem servabat artem: et neque divitiæ ipsum inflabant, neque

[1] Prov. xxiv, 30.

paupertas ejus animum deprimebat. Nec igitur cum res illi pro voto cederent, ignavior erat, neque cum tota domus ejus eversa fuit, et universa in perniciem ierunt, turbatus est, nec a virtute constantiaque sua deflexit. Audiant divites, audiant pauperes : ambobus enim hæc enarratio utilis est. Imo vero omnibus hæc historia utilitatem affert ; tam iis qui prospere rem agunt, quam iis qui in calamitate versantur. Utraque enim arma assumens, pietatis certator, orbis athleta coronatus, in utroque tropæum erexit : et in omni belli genere, dæmone illo irruente, in omni certamine stabat, et in omnibus victor proclamabatur : ac sicut miles generosus, qui sciret noctu pugnare, muros oppugnare, navalem pugnam committere, pedes concertare, arcu, lancea, funda, telis, omnique pugnæ genere adversarios superare et ubique vincere ; sic generosus ille, quamvis tentationem cum fortitudine magna tulit, a paupertate, a fame, a morbo, a dolore, a filiorum pernicie, ab amicis, ab inimicis, ab uxore, a servis partam. Neque enim humana calamitas ulla est, quæ non in corpus ejus inflicta fuerit. Attamen retibus omnibus et diaboli illiciis superior fuit. Quodque mirabilius est, omnia in illum irruebant, omnia cum exuperantia, omnia uno tempore.

II. Ne hoc solum consideres quod tanta passus sit ; sed adde, non paulatim, neque dato temporis, respirandi causa, spatio ; sed omnia simul et uno tempore : non modicum autem illud est tentationum additamentum. In reliquis enim hominibus nemo inveniatur, qui omnia simul patiatur ; sed si cum paupertate concertet, bona tamen valetudine fruitur ; si paupertate simul et morbo circumveniatur : at sæpe uxorem habet ad gravia patienda solatium afferentem, quæ portus instar ipsi sit. Sin nec uxorem habeat talem, at eam tamen quæ non perniciosa consulat ; sin etiam perniciosa consulentem, at non filios omnes uno temporis

momento perdit; si uno temporis momento, at non illo modo; si illo modo, at amicos habet, qui se consolentur; si non consolentur, at non domestici insultant; sin insultent, at non in faciem conspuunt; si autem illi etiam in faciem conspuant, at non ille tali morbo detinetur, si tali morbo detineatur, tamen domicilio et tecto fruitur, neque in fimo sedet; si in fimo sedeat, at habet qui sibi manum porrigant; sin non habeat qui sibi manum porrigant, at non habet qui contra se invehantur. Hic autem illa omnia sustinuit; quodque mirabilius est, ut jam dixi, omnia simul: quod id efficit ut mala duplo et triplo majora videantur esse, quando is qui cum malis concertat, ne respirandi quidem solatium habet; sed ex continuitate inflicti mali major dolor et perturbatio oritur, quod hic contigit. Nam ovium perniciem et incendium excepit boum rapina, et hanc asinorum; hanc vero camelorum captura et servorum cædes: istam vero filiorum pernicies, et terribile illud insolutumque mortis genus horribiliusque sepulcrum; idipsum enim et exitium et sepulcrum fuit: et mensa, quæ nunc cibum sumentia corpora, nunc quoque concisa excepit: et phialæ atque pocula cum vino sanguinem excipientia, et concisa membro. Attamen hanc gravem tragœdiam graviora alia excipiunt, cum ne vel tantillum respirasset. Illinc enim vermium scaturigines, saniei torrentes, in fimo sedes, testa quæ latera radat, vulnerum fœtor, qui novum illud famis genus induxit, ac ne præsentes quidem tangere sinens, graviorem, quam ipsa fames, molestiam inducebat: et hæc non duorum, non decem, non viginti, non centum dierum spatio, sed plurimis mensibus. Neque hic steterunt corporeæ calamitates: sed cum in hoc statu ille esset, et undique ille intus cruciaretur, extrinsecus uxoris machinæ invehebantur: dæmonis telum effecta conjux, virum suum lingua impetit, et pacto initio cum diabolo, illum telis op-

pugnat, iis, quæ supra diximus, acerbioribus et perniciosioribus : neque hic fuit certaminum finis ; sed initia et proœmia acici erant. Quia enim nihil inde lucratus erat diabolus, amicorum chorus accessit, qui commiserantium specie, inimicorum tamen more insiliunt in jacentem, et ulcera refricant sibi mutuo succedentes, neque respirare sinentes, multis circulis ipsum circumdantes, molestamque agentes choream. Dicam etiam noctis intolerabilem tentationem, quæ et ipsa nova insolitaque erat. Cæteris namque hominibus omnibus, licet innumera patiantur gravia, licet in carcere habitent, licet catena constringantur, et et calamitates suas deplorent, licet corporis mutilationem patiantur, licet fame premantur, et morbo, laboribusque et ærumnis ; attamen nox advenicns consolationis pharmacum adducit, corpus laboribus vacuum, et animam a curis liberam dimittens. Quoniam vero illi tunc portus in scopulum versus est, et pharmacum fuit ulcus, consolatio gravioris terribiliorisque doloris additamentum ; tempestas ipsi fuit in nocte, quæ cæteris hominibus parit tranquillitatem. Et fugiebat quidem ille quasi a tempestatibus diei, ob intolerabiles illos dolores ; invenit autem procellas, vortices, petras et saxa latentia, ita ut jam diei fluctus optaret. Ideoque ille hoc novum malum enarrans clamabat, dicens : « Si accubem, dico : Quando dies erit ? si surgam, dico : » Quando vespera [1] ? » Qua de causa, dic mihi ? Nam in die quidem jure noctem requiris ; vesperam enim ille noctem vocat, quæ a diurnis malis dat requiem : cum autem nox advenit, tunc adest tranquillitas, et dolorum sollicitudinumque oblivio. Cur ergo rursus diem requiris ? Quia mihi nox die molestior est. Neque enim mihi immunitatem a laboribus præstat, sed eorum augmentum et tumultus, atque perturbationes : atque hoc ipsum declarans dicebat : « Terres me

[1] Job. VII, 4.

» in insomniis, et in visis me percellis [1]. » Etenim timore percellebatur tremendis illis nocturnis visis, intolerando timore, mentis excussu terroreque obrutus.

III. Annon defatigamini tam frequentes illas audientes calamitates? At ille patiens non fatiscebat. Quamobrem rogo charitatem vestram, adhuc paululum expectetis. Nondum enim totum diximus : neque alia diximus quæ exuperant. Unum quidem erat, quod omnia mala, quæ hominibus accidunt, unum corpus perferret ; aliud vero, quod omnia simul, nec vel minimam habebat requiem vel dilationem. Tertium addere volo. Quodnam illud est? Quod dictorum singula non modo simul ingruerent, sed etiam cum vi magna et vehementia : nam paupertas ejus erat omni paupertate gravior ; morbus item, sedes, filiorum pernicies, bonorumque omnium. Perpende autem : perdidit quispiam bona sua? at non penitus omnia, neque tali modo. Amisit filios? At nunquam uno momento omnes, neque tot, neque tales. In morbum incidit? At non talem : sed vel febri laboravit, vel mutilatione, vel simili consuetoque morbo. Illa autem plaga insolita erat, quæ uni patienti nota esset. Nullus enim sermo explicare possit quam acerba essent ulcera illa, et quantum inferrent vulnera dolorem. Sed satis est dixisse quis malum inflixerit, et quam exulcerato is animo esset, ut plagæ magnitudo ostendatur. Nova item et insolita erat ejus sedes. Neque enim ullus unquam pauper sic sedit omne tempore sub dio, ut ille sedebat vestibus nudatus, tecto privatus omni, in fimo vermibus scatens et sedens. Sæpe evenit ut quis malam haberet uxorem : sed nulla unquam tam improba fuit : quæ in tanta calamitate virum insectaretur, et gladium acueret adversus animam ipsius, taliaque consilia. Amicorum quoque et domesticorum animum considera : famis quoque novum

[1] Job. VII, 14.

genus, quod mensa apposita nihil gustare posset. Dicam et quartam hyperbolem, divitias nempe et prosperitatem pristinam. Nam qui ab initio in paupertate vixit, facilius fert illam; utpote qui malum illud diu tulerit : qui autem ex tanta opulentia in paupertatem delapsus est, utpote nec expertus nec noscens illam, verisimile est id gravius sensisse, acerbius doluisse, et magis turbatum fuisse. Quinta etiam dici possit; quænam illa? In aliis quidem, singuli homines qui multorum sibi malorum conscii sunt, causam norunt, cujus causa patiuntur : idque non parum est ad consolationem. Ille vero ne quidem cogitare poterat quod delictorum peccatorumque pœnas daret : et hoc maxime ratiocinium ejus turbabat : cum enim vitam suam perpendebat, et conscientiam suam plus quam sol effulgentem, ac recte factorum multitudinem, noverat se coronis, et bravio et præmiis innumeris esse dignum. Cum autem corpus suum respiciebat, ulcera, et omnia quæ sibi acciderant, videns se graviora pati, quam qui extrema scelera perpetrarant, nullam causam invenire et dicere poterat cur talia pateretur. Ideo ad incomprehensibilem Dei dispensationem confugiens dicebat : « Sicut Domino placuit, ita factum est [1]. » Et uxorem reprimens ex iis quæ suppetebant, rationem addidit, quæ pietatem ejus admodum ostendebat, sic dicens : « Si bona suscepimus a Domino, mala non sustine-» bimus [2]? » Aliam quoque dicam hyperbolem, quæ athletam illum maxime coronet ac prædicet, ostendatque illius animam sublimem, ad cœlum usque pertigisse. Quænam igitur illa est? Temporis differentia. Cum enim ante gratiam et ante legem fuerit, tali tamen plenus erat philosophia. Non parum autem illud est, sed quod sexcentas possit nectere coronas. Eorumdem enim recte factorum non eædem sunt mercedes, cum alius quidem priscis illis

[1] Job. II, 21. — [2] Ibid. 10.

temporibus hæc patravit; alius autem infimo ævo; sed prioris longe majores. Neque enim par res est, postquam Christus advenit, postquam tot tantaque exhibuit et monuit, et philosophandi consilia dedit præclara agere, ante et ipsius adventum, imo ante legem et Prophetas similia præstare. Propterea postquam advenit, majorem virtutem requirit, dicens: « Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum » et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum [1]. » Quanto major enim fuit doctrina, tanto justiores et majores virtutis mensuræ positæ sunt. At hic non doctrina institutus, non scriptis, non libris; cum nullos similes vidisset, nec posset ad superiora tempora recurrere, et præclare gesta considerare; nondum enim erat scriptura, nec historia quæ res gestas traderet; sed in via non trita, in mari, in quo nullus navigaverat, in tanta nequitiæ caligine, solus et primus ille tunc hanc philosophiæ viam aperuit, in eo quod caput bonorum est cum exuperantia summus declaratus. Maximum quippe est, vel minores virtutis partes recte exequi; longe majus autem in summo supremum omnium esse. Quod autem patientia sit omnium suprema, nemo negaverit. Hæc igitur cum ipse diabolus sciret, dicebat : « Pellem » pro pelle, et omnia quæ habet homo, dabit pro anima sua. » Sed mitte manum tuam, et tange carnem ejus [2]. » Unde palam est hanc virtutem esse omnium supremam quæ virili et ferrea opus habeat anima; siquidem videre posses quantus ille erat in tentationibus. Rem enim sermo accurate exhibere non potuit. Dolorem enim, supplicia, mœroris tyrannidem, et perturbationem ex tot tristibus rebus ortam, nulla vis sermonis efferre sic potest audientibus, ut ipsa rerum experientia.

IV. Age ergo rursus illum tibi monstrabo; hoc enim non modicum est, sed animo valde philosopho opus habet;

[1] Matth. v, 20. — [2] Job. II, 4.

in divitiis et in opulentia magnam exhibuisse philosophiam. Quid igitur erat cum dives esset? Communis omnium portus, communis omnium pater, communis medicus; imo medico major. Audi igitur illum dicentem : « Ego eram » oculus cæcorum, pes claudorum [1]. » Vides-ne quomodo medico sit major? Naturæ vicem agebat erga mutilos et mancos. Et quod non poterant medici arte corrigere, id ille restaurabat adhortatione, ob multam circa illos sollicitudinem, membrorum vicem ipsis gerens. Nam quasi sani, pedibus valentes, et videntes degebant ii, qui his mulctati erant membris, non sentientes claudicationem, neque cæcitatem, ob magnam ejus providentiam. Quapropter non dixit: «Ego consolor claudos et cæcos;» sed, «Pes et oculus illorum eram; » et rursus : « Ego eram pater impotentium [2]. » Neque hic dicit : «Consolabar orphanos;» sed, «Pater illorum eram, » hinc ostendens se non sivisse ipsos in sensum venire quod orphani essent, neque permisisse ut malum illud appareret; quemadmodum et illic cæcitatem ne sentirent cæci vi providentiæ suæ efficiebat, dum incommoda auferret. Neque corpora solum manca et mutila curabat, neque orphanos tantum, dum illis membrorum, his parentum vice aderat; sed etiam judex a seipso constitutus fuerat; imo plus quam judex; nam ait : « Causam, quam nesciebam, » investigavi, et confregi molas iniquorum, et ex medio » dentium eorum prædam eripui [3]. » Hoc multo majus est quam judicis officium. Judices enim sedent expectantes eos qui injuriam patiuntur; et postquam illi supplices accesserunt, tunc suum præbent auxilium illi qui inter judices celeberrimi sunt; multi namque nec illud præstant. Hic vero etiam celeberrimos illos vicit et longe superavit. Neque enim expectabat donec ii, qui injuria afficiebantur, ad se venirent; neque postquam illi supplices accesserant, ad opem feren-

[1] Job. xxix, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 17.

dam pergebat. Sed ille præveniens circuibat quærens eos qui lædebantur; et non modo quærens, sed cum multa vigilantia, cum magna sollicitudine. Id vero clare noveris, si dicti vim didiceris. Non enim dixit: «Quæsivi;» sed, « Causam » quam nesciebam, investigavi; » id est, « Examinavi, curiose perquisivi cum sollicitudine. Omnia movere non cessabam, ut comperirem an quis latenter injuria afficeretur. » Vidisti ne vigilem animum? Vide fortitudinem et curam : « Et con- » trivi molas dentium. Illam vim mordacem solvi, inquit, ut ad aliam faciendam iniquitatem jam inutilis sit. Ambos itaque juvabat, illos ne male paterentur, hos ne male facerent impediens, et moderatiores reddens. Deinde constantiam et perseverantiam. « Et ex medio dentium eorum cri- » pui prædam. » Neque enim desperabam, neque desistebam, etsi res jam capta erat; sed quod jam absorptum erat retrahebam, pastoris optimi et vigilis sollicitudinem erga conservos exhibens. Quanta vero humilitas ejus esset cogita. « Si autem despexi judicium famuli mei et ancillæ, » dum judicantur adversum me. Quid enim faciam si visi- » tationem meam faciat Deus? Annon ut ego in ventre fui, » et ipsi fuerunt[1] ? » Contritum animum vidisti, et naturam hominum accurate visitatam ac scientem quid sit servus, quid liber, id quod a multis circumfertur. Hanc igitur ejiciens inæqualitatem a pari natalium honore, de philosophia sermonem inducit. Quodque mirabile in illo est, hoc faciens non se ex humilitate loqui putabat, sed debitum implere. Quapropter ratiocinium posuit, quod hominibus omnibus suadeat, ut non altius sapiant, quam servi, etiamsi millies domini sint. Hæc quippe nomina, servus et liber, nomina tantum sunt, re vacua. Servitus autem in peccato, libertas in justitia definitur. Ergo nos sic humiliabimus. Annon desiderabilis amabilisque ille est? Etiam amabilis.

[1] Job. xxxi. 13.

Et hic hyperbolem consideres velim. Quemadmodum enim in molestis, viriliter et cum fortitudine magna illata mala tulit; ita et in prosperitate virtutes singulas apprime exercuit, non utcumque; sed ad summum ascendens. « Si » vero sæpe dixerint ancillæ meæ : Quis det nobis de carnibus » suis ut saturemur? cum valde bonus ego sim [1]. » Hic amorem enarrat famulorum, qui ad furorem usque amatores ardentes erant, ex modo scilicet, quo erga illos se gerebat. Ita enim, inquit, mihi addicti erant, ita affixi, ita me ambabant, ut cuperent vel ipsis impleri carnibus, ipsasque devorare, quod me ardenti amore diligerent.

V. Quid vero dici possit de contemptu divitiarum? Nam hanc ille virtutem apprime exercuit. Non modo enim alienas non concupiscebat, quod multi nunc faciunt, imo neque suas; sed illas cum exuperantia multa. Ideoque dicebat : « Neque lætatus sum cum multæ mihi fuerint divitiæ, » neque lapidi pretioso confidi [2]. » Quapropter cum sublatæ ipsi fuere, jacturam ille facillime tulit; cum adessent autem, eleemosynam largiter erogabat, omnibus dexteram porrigens, domumque suam aperiens. Neque id faciebat, quod multi solent, qui curiose inquirunt a petentibus : sed, « Janua mea, inquit, omni venienti aperta erat. In» firmi enim ope mea non privabantur. Peregrinus non » egrediebatur ex janua mea sinu vacuo [3]. » Vidisti largitatem? vidisti humanitatem? vidisti benignitatem, humilitatem? Vis etiam castitatem ediscere? « Pepigi fœdus, inquit, » cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine » aliena [4]. » Quæ postea veniens Christus præcipit, ea ipse rē executus est. Vidisti illum divitem, vidisti pauperem; vidisti bene valentem, vidisti ægrum; vidisti res illi pro voto succedentes, vidisti illum omnium jacturam fecisse. Vidisti qualem se exibuerit erga filios, erga famulos, erga

[1] Job, xxxi, 31. — [2] Ibid. 24. — [3] Ibid. 32 et 34. — [4] Ibid. 1.

injuria affectos, erga pupillos? « Si vero abiissem cum irri-» soribus [1], » inquit, id est, neque hæc consortia quærebam, irrisorum nempe : et hoc continentiæ non parvum est signum. Omnem quippe virtutem sectatus est : et cum in tanta opulentia esset, accuratius se gerebat, quam ii qui nihil haberent. Non enim vel ille qui nihil habebat, tantum a pecuniarum amore alienus erat, quantum ille, qui tot tantaque possidebat. Ubique enim animi propositum est quod coronatur : et ad ipsum temperantiæ culmen ille ascenderat, et virtutem cum accuratione congruenti executus fuerat. Hæc æmulare, dilecte, hæc imitare : et hanc imaginem tibi depictam assumens, in conscientia tua infige : et, si in mœrore sis, ad illum confuge; si in divitiis, hinc pharmacum accipe : ita ut neque in paupertate deprimaris, neque in divitiis infleris. Si filios amiseris, hinc consolationem habes. Hic enim culmen invenies et calamitatum et patientiæ. Si in morbum incideris, cogita vermium scaturigines, quas caro ejus ebulliebat, et omnia patienter feres. Si amicus tibi insidias struxerit, rursus Sanctum in medium adduc, et id mali superabis. Si qui vilis pretii te impetant, perpende ea quæ a famulis ipse passus est, et multam accipies medicinam. Si mala quædam te suspicio invadat, cogita illa quæ hac de re dixi, quod nondum peccatis pares pœnas dederit, et qualia ipsi exprobrarent, et id morbi superabis. Nulla enim est, ut initio dixi, in hominibus calamitas, quam non passus sit hic vir, adamante firmior; famem nempe, paupertatem, morbum, filiorum amissionem, tot opum jacturam simul excipiens et tolerans. Et postea quoque uxoris insidiis, amicorum molestiis appetitus, a famulis impugnatus, per omnia quavis petra firmior ostensus est; et hæc ante legem et gratiam. Etenim ne minimam quidem habebimus defensionem, si post legem

[1] Job. xxxi, 5.

et gratiam tanto fruentes dono, minus feramus quam ille, qui in principio et ipsis initiis vitæ hominum tantam exhibuit philosophiam. Ut ergo et consolationem habeamus in tristibus, et optimæ philosophiæ doctrinam, his conscriptis, ita recedamus, æmulemur Athletam, ejusque certamina imitemur, ut et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

De serpente, quem Moyses in cruce suspendit in deserto, deque divina Trinitate.

I. Heri sermonem instituimus contra hæreticos, et pro gloria Unigeniti concertavimus, non ut arcana quædam in lucem proferremus, sed ut gratiam ex animo profiteremur. Non enim ex verbis nostris Christi gloria augetur; sed præclaris ab eo ornati muneribus, grato animo beneficium prædicamus. Absurdissimum enim esset nos beneficiis ornatos, silentio munerum vicem persolvere : maxime vero cum David, ut modo audistis, ita jubeat : « Omnis terra » adoret te et psallat tibi [1]. » Deum laudamus, non quod ipsi honorem afferamus, sed nobis ipsis honorem conciliemus. Gloriam Deo referimus, non quam ipsi largiamur, sed quam nobis immortalem conferamus : nam « Eos qui me glorifi- » cant, glorificabo, et qui contemnunt me, contemnen- » tur [2]. » Pro virili nostra docuimus non licere terminos gloriæ Dei transilire; non hominibus, qui in terra degunt;

[1] Psal. LXV, 4. — [2] 1 Reg. II, 30.

non Angelis qui in cœlis, non Archangelis, non Principatibus, non Cherubinis, non Seraphinis. At meministis, ut bene novi, quotquot estis discendi cupidi auditores, qua ratione his de rebus instituta oratio ad exitum deducta sit. Sed quia hodie, fratres, ipse rex gloriæ crucem suam prænuntiavit, et Apostolus regiam sequens Servatoris vocem, de cruce philosophatus est. Nam Dominus Discipulis dicebat: « Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis trade» tur in manus inimicorum [1]. » Paulus vero Galatas objurgans scripsit; « Quis vos fascinavit, quibus ante oculos » Christi præscriptus est in vobis crucifixus [2]? » Quoniam igitur et regia Domini vox, et fidelis servi doctrina, regiis insistunt vestigiis, operæ-pretium existimo nos etiam pro virili de dominica cruce consentanea loqui, non ut dignitatem illa attingamus, sed ut pro virili nostra debitum persolvamus. Quid igitur ait Servator? « Ecce ascendimus » Jerosolymam, et Filius hominis tradetur. » Prædicit passionem victor mortis; crucem prænuntiat, qui cruce mortem dissolvit: certamen prænuntiat, ut victoriam prædicet. Hic rursus ad intelligendam Domini vocem animum converte. Vide quanta cum autoritate dicat: « Ecce ascendimus » Jerosolymam, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. » Qui hæc prædicit, in ipso certamine jam constitutus dignitatem auctoritatis mutat, negatque dignitatem Divinitatis suæ dicens: « Pater, si possibile est, transeat a me calix » iste [3]. » Annon repugnantiam animadvertis? Incarnationem cogita. Sed ad propositum redeamus. Discipulis ait: « Ecce » ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur. » Vide quam caute loquatur. Cum passionem prædicat, humanam ostendit naturam, « Filius hominis tradetur. » Etenim corpus visibile patitur, Divinitatis vero dignitas, quæ intelligendo percipitur, vitam affert. Et figura quidem cor-

[1] Matth. xx, 18. — [2] Gal. III, 1. — [3] Matth. xxvi, 39.

poris, fratres, morte solvitur, virtus autem inhabitantis id, quod solutum erat, excitat. Ipse erat qui corpore solvebatur, et qui secundum Spiritum quod solutum erat excitabat. Nam ait: « Solvite templum hoc, et in tribus diebus » excitabo illud [1]. Ecce ascendimus Jerosolymam. » Christum sequentium non est unquam descendere, sed ascendere perpetuo. Alioquin vero via Jerichunte Jerosolymam acclivis erat, modo sensibili loquendo, et intelligendi modo passio ad ascensum resurrectionis ducebat. Adamum enim in infernum delapsum in cœlum revocabat, et humi jacentem imaginem in sublime efferebat. « Ascendimus Je- » rosolymam. » Ubi Deus, ibi et virtutis ascensus; ubi malitia, ibi iniquitatis descensus. Ideo David de iis, qui secundum virtutem vivunt, ait: « Beati omnes, qui habitant in » domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Beatus vir » cujus est auxilium abs te: ascensiones tuæ in corde ejus [2]. » Ascensiones tuæ, hoc est piæ illæ et in altum evectæ ratiocinationes, quæ in sublime agunt eos, qui recte de Deo cogitant. Est ergo temperantiæ via in sublime erigens, via justitiæ in altum ducens: omnisque, ut ita dicam, justitiæ via Dei amantem in altum adducit; de quo dicebant gentiles: « Venite, proficiscamur ad montem Domini, et ad » domum Dei Jacob [3]. » Ubi pietatis doctrina, ibi ascensus est: ubi vero malitia, ibi plane descensus. Id testificatur David propheta dicens: « Libera me a descendentibus in » lacum [4], » et rursus: « Qui exaltas me de portis mortis [5]. » Itaque illud, « Ascendimus, » non frustra dictum est. « Ecce » ascendimus. » Atqui solus ad passionem venit. Cur ergo in communi ait: « Ascendimus? » Quia passio quidem mea, salus vero omnium hominum communis est. Ideo divinus Apostolus in generosam illam et miraculi plenam erupit

[1] Joan. II, 19. — [2] Psal. LXXXIII, 5, 6. — [3] Mich. IV, 2. — [4] Psal. XXIX, 4. — [5] Id. IX, 15.

vocem, ut modo audistis : « Cum Christo crucifixus sum. » Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus [1]. » Alioquin cum vellet fructum crucis ostendere, subjecit statim in sequentibus : « Christus nos redemit a maledicto » legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum est enim : » Maledictus omnis qui pendet in ligno [2]. »

II. Hic mihi diligenter animadverte, ne abs te veritatis perceptio elabatur. Contradicent enim statim Judæi, de quibus ait Paulus : « Inimici crucis Christi, quorum finis » interitus [3], » et statim simplicibus objicient : « Si maledictus qui pendet, quomodo a maledicto tibi benedictionem impetriri expectas? Quomodo ab eo, qui in mortem cecidit, vitam speras? » Id quod apparet, ut ipse doctor noster Paulus confitetur : « Maledictum est. Scriptum est enim : Ma- » ledictus omnis qui pendet in ligno [4]. » Si itaque scriptum est et in testimonio firmatum, quomodo benedictio a maledicto datur crucis cultoribus? Hæc semper dicit et objicit Judæus, inimicus crucis Christi. Si itaque Judæus tibi dixerit : « Quomodo maledictus dat benedictionem? » dic illi : « Quomodo in deserto serpentes mordebant progenitores tuos; Moyses autem, imagine serpentis facta, et in cruce suspensa, dicit : « Quicumque a serpente morsus fuerit, » serpentem respiciat, et salvus erit [5] ? » Sed ait : « Quid hoc ad rem? » Sane multum ad rem pertinet. Annon audisti Deum dicentem : « Maledictus tu præ omnibus bestiis ter- » ræ [6] ? » Quomodo igitur maledicti imago vitam attulit progenitoribus vestris? Dictum repeto, ut sententiam firmius statuam. Siquidem difficile tibi videatur ex maledicto benedictionem emanare; « Maledictus enim omnis qui pendet » in ligno, » quomodo imago serpentis maledicti, qui audivit : « Maledictus tu præ omnibus bestiis, » populo in cala-

[1] Gal. II, 19, 20. — [2] Id. III, 13. — [3] Philip. III, 18, 19. — [4] Deut. XXI, 23. — [5] Num. XXI, 8. — [6] Gen. III, 14.

mitate constituto benedictionem attulit? Annon fide dignius fuisset dicere: «Si quis ex vobis morsus fuerit, respiciat in cœlum ad Deum, et sanabitur?» Vel dimisso cœli aspectu, annon poterat dicere: «Si quis morsus fuerit, respiciat in candelabrum luminis, et salvus erit? aut respiciat in mensam propositionis sanctorum panum, et salvus erit? aut in altare, aut in velum, aut in arcam, sive in imaginem Cherubinorum, vel in propitiatorium?» At nihil eorum adduxit Legislator magnus; verum unam crucis imaginem erexit, et hanc per maledictum serpentem. Cur ergo, Judæe, Moyses hæc facit? Cur serpentem conflat, qui per legem dixerat: «Non facies sculptile, neque fusile?» Sed cur hæc ingrato loquor? ipsum Legislatorem interrogo: «Dic mihi, fidelissime Dei famule: An id facis quod prohibes? an quod reprobas id operaris? qui dicis: «Non facies sculptile, » neque fusile [1], » fundis et sculpis serpentem. Verum dicet: «Illas tuli leges, ut omnem impietatis materiam excinderem, et hunc populum a quovis idolorum cultu averterem; nunc autem serpentem conflo, ut imaginem dispensationis crucis præfigurem; viam, per quam Apostoli decurrant, complanans, signum illius crucis magnum inauditumque longe antea adhibeo.» Quod autem hæc explicatio non detorta sit, audi Dominum, qui veterem illam imaginem confirmat ac de seipso interpretatur. Nicodemum etiam alloquens ut populi doctorem, virum apud Judæos præcipuum, qui posset œconomiam intelligere, ait: « Et sicut exaltavit Moyses » serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, » ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam » æternam [2]. » Dic igitur, o stupide Judæe: «Annon æs erat illud?» Mortua materies mortem vincere possit, figuram crucis habens, et ipsa crucis veritas non creditur? et hæc post conversionem orbis terræ, post constitutam in toto

[1] Levit. xxvi, 1. — [2] Joan. iii, 14, 15.

orbe pietatem, postquam gentiles crediderunt, post excitatas Ecclesias, post tanta certamina, post tantam virtutum exercitationem, post tantam angelici instituti accessionem? Sane luculenter demonstratum est omnem adversariis crucis aditum præclusum esse, ad exprobrandam nobis figuram maledicti. Et adversus illos quidem hæc satis sint. Nos autem fideles nobiscum expendamus, et exploremus verborum accurationem. Cur Dominus imaginem illius œconomiæ, non per alium, sed per serpentem præsignificet. Ad certamina cum adversariis suscipienda, exemplar illius maledicti serpentis satis est. Verum jam persuadendum iis, qui filii pietatis sunt, quo pacto figura illius maledicti serpentis imago fuerit Christi, qui adoratur? Quocirca id nos accurate explicare, et vos studiose audire par est.

III. Figura serpentis, fratres, imago erat œconomiæ crucis. Quod autem ad modum attinet, sicut illa serpentis figura imaginem quidem et speciem serpentis præ se ferebat, venenum autem nequitiamque serpentis non habebat; sic et Servator secundum divinum Apostolum, in similitudine carnis peccati apparens, extra omne peccatum fuit, sicut et beatus Esaïas, cum beato Paulo consonans, ait: « Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore »ejus[1]. » Secundum Esaïam imaginem unam habes : ad alteram accede. Contuere veritatem per figuras splendentem. Serpentes mordebant filios Israël, quando populus in perniciem ruit. Petit Moyses a Deo ut medicinam salutarem præberet : Deus famulo medicinam beneficam commonstrat, et ait : « Fac serpentem æneum, illumque erige ante »tabernaculum testimonii[2]. » Quid sibi vult hoc signum? Alii sunt mordentes serpentes, et alius pro illis crucifigitur. Quid significat ænigma? Quid præ se fert umbra illa mysterii? Quemadmodum illic in figura aliis mordentibus

[1] Isaï. LIII, 9, et 1 Pet. II, 22. — [2] Num. XXI, 8.

serpentibus ; alius, qui non momorderat, cruci affixus est ; sic aliis peccantibus hominibus pro omnibus passurus est innocens Jesus. Pro serpentibus qui mordebant, Serpens innoxius crucifigitur ; pro nobis qui morti subjicimur, is, qui morti non subjectus fuit, crucifigitur. Quod præclare cum aliis Esaïas prædixit in hunc modum : « Pro peccatis » populi venit in mortem ; » et, « Dominus tradidit seipsum » pro peccatis nostris [1]. » Testimonio confirmanda iterum est mysterii ratio. Quemadmodum illic alii serpentes erant, qui mordebant, alius qui suffigebatur : ita et hic omnes peccaverant, et unus pro omnibus crucifigitur. Habes secundam, sed et tertiam imaginem considera. « In ore duo- » rum vel trium testium, stabit omne verbum [2]. » Quare crucifigitur serpens æneus ? ut aboleantur morsus serpentium. Aliud ergo est quod in crucem tollitur, et alia quæ abolentur. Annon significationem veritatis animadvertis ? Annon quasi sub involucro Scripturæ vim œconomiæ perspicis ? Sublatus in crucem est, inquit, æneus serpens, ut abolerentur morsus draconum ; crucifixus est Christus, ut dæmonum operationes cessarent. Alius est serpens ille qui erigitur, alii qui comprimuntur dracones. Alius qui cruci affixus est Christus, et alii qui abolentur dæmones. Et quemadmodum illic imago serpentis, qui apparebat, morsus serpentium abolevit ; ita et hic mors Christi mortem sustulit, et dæmonas profligavit. Merito itaque Servator imaginem sibi adaptans dixit : « Et sicut Moyses exaltavit » serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, » ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vi- » tam æternam [3]. » Habes, mi frater, beatum Moysem alia figura crucem subindicantem, quo autem pacto audi. Eos enim, qui de cruce loquuntur, multas mysterii contemplationes in medium afferre oportet. Israëlitis in deserto bel-

[1] Isaï. LIII, 5, 6, et Cor. XV, 3. — [2] Deut. XIX, 15. — [3] Joan. III, 14, 15.

lum intulere alienigenæ quidam, Amalecitæ dicti, Moyses autem Jesum Nave populi ducem et successorem suum armatum proficisci jubet, ipso interea in monte manibus expansis manente. Nam ait scriptura: « Moyses ascendit in » montem, et expandit manus suas: et factum est, cum ex- » tenderet manus, vincebat Israël; et cum dimitteret a cor- » porea gravitate victus, vincebat Amalec [1]. » Quid sibi vult hæc figura? Judæus statim metuens, ne per imaginem gloria crucis Christi effulgeat, ait: « Nihil hæc figura pertinet ad ea, quæ tu fabularis. Precationis figura erat illa forma, non imaginis, prout tu opinaris. » Quod si ita est, si vere victoria illa fructus precationis fuit, cur Scriptura non precationi victoriam ascripsit? Non enim ait Scriptura: « Cum precaretur Moyses: » illud enim vere significat victoriam non fuisse precationis fructum; sed ascribit imagini figuræque manuum. Cum enim manus demitteret Moyses, superabatur Israël; cum expanderet, profligabatur Amalec. Nam si id precationi ascribendum erat, dicere oportuisset: « Et cum precabatur Moyses, vincebat. » Sed, ut dixi, precatione omissa, non quidem ut inutili, sed ut quæ imagini crucis cedere deberet, figuræ et signo victoriam ascribit. « Quando enim Moyses expandebat manus, vince- » bat Israël. » Quid sibi vult expansa manus? Depinge tibi manus expansas, ut splendentem adorandæ Crucis imaginem videas. Verum defatigatus est, inquit Scriptura, Moyses, neque enim manus corporea gravitate victæ illam imaginem sustinere poterant. Quid ergo? Ne, soluta imagine, victoria quoque amitteretur, sustinent Aaron et Or, allevantque manus ejus, ne, evanescente imagine, victoria quoque claberetur. Cur omnino Aaron et Or manus suffulciunt? Aaron, fratres, sacerdotali munere fungebatur, Or vero regiæ tribus cognationem habebat. Itaque imaginem Crucis sa-

[1] Exod, xvii, 10, 11.

cerdotium et regnum instar satellitum stipant. Ac quemadmodum, cum transfiguraretur Dominus in monte, visi sunt Moyses et Elias a dextris et a sinistris, ut regiam Christi imaginem quasi satellites stiparent; sic etiam hic Aaron sacerdotii ordinem obtinens cruci astat, et similiter Or primum regiæ dignitatis florem habens crucem stipat. Hæc a me dicta sunt, ut ostendam quomodo priscis illis patribus pietatis imago fuerit proposita, necnon quam honorata ab illis fuerit œconomiæ figura. Si autem illi qui prænuntiabant, tanta cum laude illam prædicarunt, et cum tanto honore præsignificarunt: quo ore nos Domini Crucem divinamque illam œconomiam convenit celebrare? Non ignoro vos magno desiderio teneri talium orationum, quibus sacræ theologiæ dogmata explicantur. At quæ nunc dicta sunt illis sunt affinia. Ejusdem enim animi est et crucem prædicare, et unigenitum Deum Verbum laudibus extollere. Quamobrem sive Divinitatem Unigeniti celebres, sive ejus œconomiam honores, una eademque est pietatis demonstratio.

IV. Cæterum quando crucem, quando corporis œconomiam audis, mentem erige ad sublimitatem potestatis Unigeniti, ne illa figura, quæ hic tui causa facta est, sensus tuos deprimat; sed benignitas illa Christi, qui te servavit, mentem tuam extollat. Crux quidem propter te, majestas vero Dei propter ipsum. Majestas divina nulla oratione amplificari, nulla etiam dejici potest. Sed qui dejicere student, seipsos dejiciunt; qui vero Deum laudibus evehunt, se licet indignos in altum extollunt. Quamobrem, ut prius dicebamus, qui incarnationem, qui theologiam laudat, in hac sententia versatur. Quoniam vero aliquid deerat iis, quæ heri tractavimus, circa illud, « Ut cognoscant te solum » verum Deum et Dominum Jesum Christum[1]; » ac circa

[1] Joan. XVII, 3.

illud quidem « Solum verum Deum, » prolatæ sunt prophetiæ et testimonia quod Filius solus verus Deus sit ; necessarium existimo illius dicti vim explorare. Atqui, ait hereticus : « Quid potes de missione illa dicere, diserte enim scriptum est : « Et quem misisti Jesum Christum. » An qui misit parem cum misso sortitur honorem? » Hæc si ita legas, ut litteræ servias, ut supra diximus, sæpe dissidebis a nobis, neque rationi congruentia deprehendes ea, quæ bene quidem scripta, sed male intellecta sunt ; si vero sententiam secundum rei veritatem accipias, nusquam tibi in contrarium vertetur mentis oculus ad accuratam intelligentiam a Spiritu sancto directus. Verba enim hæc « Missus est, » et « Misit » humana quidem sunt, at divinos quosdam sensus declarant. Neque enim et qui misit, ex locis in loca misit ; neque is, qui missus est, ex locis in loca venit. « Atqui, ait hæreticus : « Pater Filium misit in mundum, quasi qui in mundo præsens non esset, ad quem mittebatur. Quomodo Scriptura de ipso Domino ait : « In mundo erat et mundus » per ipsum factus est [1]. » Quomodo ergo venit, qui aderat? apparuit qui latebat? » Quod si vere illud, « Misit, » ita intelligis ut audis, necesse omnino est eum, qui missus fuit, in iis constitui locis, in quibus nondum præsens erat, et mittentem eo mittere, ubi non aderat. Quomodo igitur Evangelista dicebat : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso » factum est nihil [2] : In mundo erat, et mundus per ipsum » factus est. » Si itaque in mundo erat, quomodo mittitur in mundum? » Non audisti eum dicentem : « Cœlum et terram » ego impleo, dicit Dominus [3] ? » Quid ergo sibi vult illud : « Missus est? » id est, visus est, per carnem illuxit. Missio enim nullam de loco in locum profectionem indicat ; sed ex invisibili Divinitate in conspicuam præsentiam. Neque enim cum in terram secundum humanam naturam et per

[1] Joan. I, 10. — [2] Ibid. 3. — [3] Jer. XXIII, 24.

œconomiam venit, cœlos sua majestate vacuos reliquit, neque nunc post carnis assumptionem, terram reliquit sua administratione vacuam. Iterum rem alio modo excutiamus. Si secundum litteram, fratres, Pater misit Filium in mundum, palam est mittentem a misso secundum propriam stationem separatum esse. Nam si cum ipso est, supervacaneum est illud, « Misit. » Sin vero misit, necesse est separatum esse, siquidem verbi vim respicias. At nequaquam serviliter oportet verbis hærere, sed cum fide procedere. Et quis nobis testificabitur eum, qui in terra apparuit, etiam in cœlis fuisse ? Quis sermo testificabitur eum a Patre missum, a Patre separatum non fuisse? si missus est in mundum, ut scriptum est, si qui misit, a misso separatur, quomodo dicebat : « Ego in Patre, et Pater in me [1] ; » ac rursus quomodo dicebat : « Et qui misit me Pater mecum » est [2]. » Vides naturam non separari? Œconomia autem sive incarnatio missionis speciem ostendit. Quid ergo sibi vult illud : « Ascendo ad Patrem meum [3]? » Si cum ipso Pater est, cur ascendit? Ascensio illa humanam Christi œconomiam interpretatur, corporis assumptionem, non separationem a Divinitate. Vis-ne discere eum, sicut cum in terram venit, cœlos non reliquit, neque a Patre separatus est ; sic etiam, cum in cœlos assumptus est, terram non reliquisse, qui dixit Discipulis suis : « Et ecce ego vobiscum sum ; » sed « Ascendo, » unde descendi, « Ad Patrem meum : » idem ipse ait illis : « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus » usque ad consummationem sæculi [4]. » Illud igitur, « Ut » cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum » Christum, » sensum habet duplicem, duplicemque gladium. Aliud contra idololatriam armatum, aliud contra judaïcam incredulitatem comparatum. Solum enim verum

[1] Joan. xiv, 2. — [2] Id. viii, 16. — [3] Id. xx, 17. — [4] Matth. xxviii, 20.

Deum dicit, ut mortua idola traducat. « Missum autem Je-» sum Christum; » ut iis, qui incarnationem negant, os obstruat. Verba igitur secundum sensum accipe, ac ne propter litteram majestati contumeliam inferas.

V. Ut autem accurate discas missionem a Deo, non mutationem a loco in locum significare, sed incarnationem declarare, de Joanne Baptista, qui de terra erat et in terra apparuerat, ait Evangelium: « Fuit homo missus a Deo [1]. » Num Joannes de cœlo missus est? num de supernis venit? Quomodo ergo venit? Atqui homo missus, non a loco in locum translatus est, sed illi aliquid administrandum commissum fuit; et Deus Verbum, qui omnia implet, si dicat se missum esse, naturam suam contumelia afficiet, neque ita incarnationem suam sive œconomiam indicabit? Vide illum, frater, et carnis œconomiam implentem, et divinæ potestatis dignitatem non tollentem de medio. Et sacerdotale munus sic declaratur: « Ascendo ad Patrem meum, » et « Rogabo eum, et Paracletum mittet vobis Spiritum verita-» tis [2]. » Si ascendis sursum, et rogas, et rogans impetras, ac post rogationem mittis Spiritum (nam rogo, ais, et mitto); cur ante ascensionem Patris auctoritatem tollis? Si non cum auctoritate secundum divinam dignitatem agis; sed expectas donec ascenderis ad Patrem in cœlum, ut preces supplicationesque offeras, et sic acceptam Spiritus gratiam in totum orbem mittas, cur antequam ascenderes, antequam rogares, propriam ostendisti auctoritatem? Cur ante ascensionem, cum resurrexisses ex mortuis, insufflasti in facies Apostolorum, et dixisti: « Accipite Spiritum sanc-» tum [3]? » Quod petis a Patre, id das, antequam ab eo petas? Ergo simulas, dum petis? Non simulo, inquit, nulla enim apud veritatem simulatio; sed aliud dignitati convenit, aliud incarnatum decet. Cur ergo insufflasti in facies

[1] Joan. I, 6. — [2] Id. XIV, 12 et 16, 17. — [3] Id. XX, 22.

Apostolorum? Me oportebat, inquit Servator, postquam ex mortuis resurrexeram, primitias vitæ mundo largiri. Quia enim Adam formatus acceperat spiraculum vitæ : « Inspi» ravit enim Deus in faciem Adami, et factus est in animam » viventem [1] ; » id quod ille acceptum perdidit, hoc ego præsens revoco. Lapsum erigo, corruptum renovo, mortuum vivifico. Testis est incarnationis Propheta ille qui meam « insufflationem prædicavit. Et quis Propheta exclamando hanc sanctam insufflationem prænuntiat? Audi, inquit, Prophetam ex illis duodecim cui nomen Nahum, dicentem : « Celebra, Juda, festa tua, redde Deo vota tua. Non » amplius adjicient venire ad vetustatem [2]. » Prima illa consummata sunt, inquit, « Non amplius adjicient venire ad ve» tustatem. » Novam ille gratiam annuntiat, quia vetera desierunt, nova florent. « Celebra festa tua. » Cur dicit: « Celebra? » Quia in festo Paschæ resurrectio futura erat. « Celebra, in» quit, Juda, festa tua, redde Deo vota tua. Non amplius adji» cient venire ad vetustatem » consummata sunt, sublata sunt, id est, prima finem habent. Cur prima finem habent? Ascendit enim de terra qui insufflavit in faciem tuam, et ex omni afflictione liberavit. Sed ad rem iterum redeamus : « Celebra, » Juda, festa tua, redde Deo vota tua. Non amplius adjicient » venire ad vetustatem. » Quænam festa. Illa enim vetera novorum imaginem ferebant. Prima dies Azymorum, quæ accurate explorantibus imago passionis est. Post hanc dies Pentecostes, quæ imago et ipsa fuit adventus sancti et adorandi Spiritus. Festum Tabernaculorum, quod imago tabernaculorum cœlestium erat. Hinc Dominus demonstrare volens, quandoquidem illa tabernacula temporanea sunt, esse illa figuram futurorum tabernaculorum, dicebat divitibus hujus mundi : « Facite vobis amicos ex mammona ini» quitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna ta-

[1] Gen. II, 7. — [2] Nahum. I, 15.

» bernacula [1]. » Temporanea igitur tabernacula æternorum figura tabernaculorum erant. Quoniam ergo Christi œconomia seu incarnatio veteres figuras implebat, novamque illam gratiam florentem reddebat, probe Propheta prænuntiat dicens : « Celebra, Juda, festa tua, redde Deo vota » tua ; » id significat illud, « Non amplius adjicient ut ve- » niant ad vetustatem. » Renovata sunt enim vetera per gratiam, consummata sunt, sublata sunt. Ascendit enim ex terra qui insufflat in faciem tuam, et qui te ærumnis eripit. At Nahum propheta Dominum gratiam inspirantem tibi nude exhibuit. Esaïas autem alio modo eum, qui ex mortuis surrexit et Spiritum sanctum suis elargitur, prænuntiat his verbis : « Recordatus est dierum æternorum, qui eduxit de » terra pastorem ovium [2]. » Et loco « Insufflavit in faciem » eorum, » statim subjunxit, « Qui posuit in eis Spiritum » sanctum [3]. » Divina dignitas, divina nuncupatio, regia majestas, intemerata gloria, incomprehensibilis virtus, qui cum Patre conglorificatur, cum Filio regnat, qui operatur omnia, et divina munera singulis dividit prout vult. Hæc bene novi Ecclesiæ domesticos roborare, mordereque ac disrumpere inimicos ejus, maximeque piæ religionis hostes, qui cum Patre et Filio conglorificare Spiritum sanctum recusant. O miseriam ! ne ea quidem quæ sortiti sunt ipsi, volunt tribuere Spiritui sancto. Apostolus autem de se, deque sui similibus dicebat : « Si compatimur, etiam con- » gloficabimur [4]. » Paulus conglorificatur cum Deo, et Spiritus non conglorificatur? Mortalis natura in tantam sublimitatem evehitur, ut cum Christo glorificetur, et adorandus Spiritus, nec iisdem nobiscum muneribus fruetur? De iisdem hominibus ait idem Apostolus : « Si compatimur, et » conregnabimus [5] ; » et Spiritus sanctus non regnabit cum

[1] Luc. XVI, 9. — [2] Isaï. LXIII, 11. — [3] Joan. XX, 22. — [4] Rom. VIII, 17. — [5] 2 Tim. II, 12.

Christo? O ingratum animum! O insaniam intolerandam! O sententiam impiam, et ingentem blasphemiam, plagamque incurabilem! Nos expectamus conregnaturos nos esse, et Spiritum sanctum in servi ordinem redigemus?

VI. Hæc porro dicimus, fratres, non quod Spiritus sanctus ita debeat cum Christo conglorificari, ut nos conglorificamur; sed ut impietatem eorum confutemus, qui nec tantum quidem ipsi tribuere dignantur. Propitius sis nobis, Domine, circa ea quæ diximus. Licet enim impiorum dicta simpliciter et verborum tenus tantum repetamus, attamen nemo, fratres, putet hinc contumeliam Spiritui sancto inferri, quod eorum contumeliæ repetantur. Illas enim in medium proferimus, non ut impietati assentiamur, sed ut errorem traducamus, et pietatis alumnos, a prava illa doctrina avertamus. Etenim Apostoli, qui Dominum amabant, et ejus majestatem viderant, Judæorum contumelias in sacris Evangeliis referre non dubitarunt. Itaque scripta ibi sunt quæcumque ausi sunt illi de Christo dicere, quod peccator esset, quod ex Deo non esset, quodque coram eo ausi sint dicere: « Samaritanus es tu, et dæmo» nium habes [1]. » Verum Scriptura non scriptores accusat, sed blasphemos. Audi Spiritus vim et efficaciam; audi Apostolorum laudes, eorum sequere doctrinam; sectare patrum vestigia, ne ex profanorum vestigiis in errorem deducaris. Trinitatem adora, Trinitatem glorifica, Trinitatem prædica. Ita sentiunt Prophetæ, ita prædicant Apostoli, ita credunt Martyres. Audi Paulum Trinitatem prædicantem: « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; » divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: » divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui ope» ratur omnia in omnibus [2]. » Cur non incipit a Patre? Cur non primo illum prædicat, deinde Filium, demum Spi-

[1] Joan. VIII, 48. — [2] 1 Cor. XII, 4-6.

ritum sanctum? Invertis-ne ordinem, Paule? mutas-ne seriem? Dum Servator ita tradiderit, « In nomine Patris, et » Filii, et Spiritus sancti [1], » tu-ne solvis theologiæ legem? Verum absit ne quid tale unquam de Paulo cogitemus. Sanctus enim ille et admirabilis præco hoc probe noverat se, etiamsi Spiritus primo meminisset, nihilominus theologiam illæsam servare, neque inconfusam naturam contumelia afficere neque dividere indivisibilem dignitatem, Spiritum primo memorat; ut ostendat Spiritum, etsi postremus scribatur, non hinc ultimum et postremum effici. Quia enim illi prave interpretantur, non connumerantes, sed posteriori ordine numerantes post Patrem Filium, post Filium Spiritum sanctum; primus enim, aiunt, Pater, secundus Filius, tertius Spiritus sanctus, accuratam illam adorandæ Trinitatis seriem ignorantes, sed mente perversa theologiæ puritatem contumelia afficere conantes; jure Paulus nominum ordinem invertit, ut veritatis vim ostendat, et improborum opinionem confutet. At scio, ait hæreticus, cum Filii quidem et Spiritus sancti obiter mentionem fecisse, sed cum ad Patrem venisset, sublimiorem theologiam adhibuisse. De Spiritu enim dixit: « Idem vero Spiritus : » de Filio, « Idem vero Dominus : » sed cum ad Patrem venisset, adjecit : « Qui operatur om- » nia in omnibus. » Quid ergo? illud-ne verbum, « Operari » omnia in omnibus, » auctoritatem indicat? Etiam, inquit, et supereminentem excellentiam prædicat? Sane et ego quoque tuam confessionem recipio, si in conditionibus permaneas. Videamus ergo quid vas illud electionis, ille, inquam, a Spiritu sancto ductus, circa hanc quæstionem suggerat : « Unicuique datur manifestatio Spiritus ad uti- » litatem. Alii quidem datur sermo sapientiæ secundum » eumdem Spiritum; alii sermo scientiæ in eodem Spiritu;

[1] Matth. xxviii, 19.

» alii gratia sanitatum in eodem Spiritu; alii prophetia, alii » interpretatio linguarum; alii fides; alii dona [1]. » Hæc porro omnia attende diligenter; vide dictionis et potestatis consonantiam. Qui prius dixerat: « Idem autem Deus, qui » operatur omnia in omnibus, » ubi ad Spiritum venit, eamdem ipsi vim inesse testificatur. « Hæc autem omnia, in- » quit, operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis » prout vult [2]. » Sic non labefactatur glorificationis ordo seriesque, quando aliquod nomen ex sancta Trinitate, aut primum, aut secundum aut tertium ponitur. Illud enim, primus, secundus, tertius, non indicat naturæ differentiam, sed theologiæ viam nulli confusioni obnoxiam. Rursus idem Apostolus, ut ostendat se nominum ordine ubique indiscriminatim uti, utpote qui recto ordine et caute divinam prædicationem adiret, Thessalonicensibus scribens ait; « Ipse vero Dominus noster Jesus Christus, et » Deus pater noster [3]. » An primum, Paule, Filium, postea- que Patrem prædicas? Tu primum, inquit, quasi ordine et dignitate expromis : « Ego cum primum et secundum dico, naturam indivisibilem opinor; imo vero non opinor, sed constanter prædico. » Ne igitur divinis eloquiis contumeliam inferas, nec cœlestia dogmata calumnieris. Par exemplum in Veteri Testamento reperis. Quemadmodum enim hic Paulus a Spiritu orsus venit ad Filium, et a Filio rursus ad Patrem, et quod nominum ordine tertium erat, primum effecit, non mutans prædicationis ordinem, sed indifferentem theologiæ cognitionem ostendens : sic in Veteri Testamento eamdem figuram invenies, quasi in imagine præ lucentem. Quis nostrum ignorat, fratres, Scripturam primo Abraham ponere, secundo Isaac, tertio Jacob. Nam, « Ego Deus Abraham, Deus Isaac, » Deus Jacob [4]. » Et jure Scriptura primo parentem, se-

[1] 1 Cor. xii, 7-10. — [2] Ibid. 11. — [3] 2 Thess. ii, 15. — [4] Exod. iii, 6.

cundo filium, postea nepotem collocat. Verum quia natura indivisibilis erat, licet tempore et serie distingueretur, non dubitavit Deus ordinem mutare ut confessionem ostenderet. Ait enim in Levitico; locum enim indico, ne dicta calumnieris : « Si vero peccarint filii Israël, tradam » eos in gentem alienam, et illuc proficiscentur, et servient » diis alienis, » prænuntians captivitatem babylonicam, ait, « Et illuc proficiscentur, et servient diis alienis. Tunc » confundetur cor eorum incircumcisum. » Et Paulo post : « Et recordabor testamenti Jacob, et testamenti Isaac, et » testamenti Abraham.

VII. Dictum repetam : plausus enim argumentum obscuravit. « Illic, inquit, pudore suffundetur cor eorum in- » circumcisum, et revertentur ad me, et sanabo eos; » nondum comminatus, reconciliationem promittit; « Et re- » ducam eos in terram patrum suorum, et recordabor tes- » tamenti Jacob, et testamenti Isaac, et testamenti Abra- » ham. » Vides quomodo mutet ordinem, ut æqualitatem honoris ostendat? Neque enim Jacobum tempore primum fecit; sed indiscriminatim locutus est, ut paritatem honoris ostenderet. Verum apud Patriarchas, tempus distinguit fructum a radice; mortalis quippe natura est et parentum et natorum. Sanctæ vero immortalis et adorandæ Trinitatis naturam sermo non dividit, non distinguit tempus, non sæcula separant. Nihil enim intercedit inter Patrem, et Filium et Spiritum sanctum. Conditor sæculorum est Unigenitus. Audi divinum illum generosumque præconem de Patre sic loquentem : « Multifariam multisque modis olim » Deus locutus patribus in Prophetis, novissime diebus » istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem » universorum, per quem fecit et sæcula [2]. » Nihil ergo inter Patrem, et Filium et Spiritum sanctum; nullum tem-

[1] Levit. xxvi. 39-42. — [2] Hebr. 1, 1, 2.

pus aut intervallum temporis. Ante sæcula Pater, ante sæcula Filius; ipse enim sæcula fecit; ante sæcula Spiritus sanctus. Nusquam scinditur natura, nusquam separatur potestas. Animadverte diligenter. Regnat Pater, regnat Filius, regnat Spiritus sanctus. Scio me jam hac usum esse demonstratione; verum eadem ipsa dicere mihi quidem onerosum non est; vobis autem tutum. Regnat Pater, secundum illud, « Deus rex noster in sæculum [1]; » Regnat Filius : nam, « Dabit illi Dominus solium David » patris ejus, et regnabit super domum Jacob in æter- » num [2]. » Regnat Spiritus sanctus. Esaïas enim dixit : « Et » regem Dominum Sabaoth vidi oculis meis sedentem in » solio excelso et elevato. Et dixit ad me : Vade et dic » populo huic : Auditu audietis, et non intelligetis, et viden- » tes videbitis et non perspicietis [3], etc. » Apostolus vero de Spiritu sancto Prophetæ theologiam explicat. Illo dicente : « Vidi regem Dominum Sabaoth, et dixit mihi : Vade et » dic populo huic, » Paulus per regem Dominum Sabaoth Spiritum sanctum accipiens, cum Romæ contra Judæos disputaret, ait : « Bene Spiritus sanctus dixit ad patres » nostros per Esaïam prophetam : Vade, dic populo huic : » Auditu audietis, et non intelligetis [4], etc. » Esaïas dixit : « Regem Sabaoth vidi, et dixit mihi : Dic populo huic, » Paulusque disserens Spiritui sancto hanc auctoritatem ascripsit. Ergo Spiritus sanctus rex est et Dominus Sabaoth, qui dixit Esaïæ : « Vade, et dic populo huic : Auditu au- » dietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non » perspicietis, etc. Et audivi vocem Domini dicentis : Vade, » dic populo huic ; » Dominus Pater, Dominus Filius ; nam « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis [5] : » Dominus Spiritus sanctus. Nam « Dominus Spiritus est [6] : »

[1] Psal. xxiii, 12. — [2] Luc. i, 32. — [3] Isaï. vi, 1 et 9. — [4] Act. xxviii, 25, 26. — [5] Psal. cix, 1. — [6] 2 Cor. iii, 17.

ubi vero Spiritus Domini, ibi libertas. Ne quis vero putet majus esse primum nomen, Deus, secundum vero, Dominus; nam in natura immortali, et Dominus et Deus, licet dictum illud non eamdem vim habeat, eamdem tamen dignitatem prædicat. Quid enim si nomen « Deus » primum esset, si secundum « Dominus, » sane Moyses non secundo ut primo usus esset dicens, « Dominus Deus tuus, Dominus » unus est [1]; » oportuisset enim, si de primo mentionem facere voluisset, primum dicere sic : « Deus tuus, dominus unus est. » Sed ut ostenderet nominum indifferentiam, « Do- » minus » primo dixit, postea, « Deus. » Sed ad propositum redeamus, Dominus item est Spiritus. Dominus ergo Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus. Verum Paulus dicit : « Unus Dominus. » Si unus Dominus, quomodo Dominus et Dominus? videlicet una dominatio. Eadem ratione et unus Deus, ait Paulus : « Nobis autem » unus Deus Pater ex quo omnia, et unus Dominus Jesus » Christus per quem omnia [2]. » Ergo, ait hæreticus, Patrem Deum dixit, Filium vero Dominum. Videamus ergo, videamus, fratres, videamus, quæso, num illud, « Dominus, » secundum sit nomen divinæ dignitatis, et annon vere primum ipsisque congruens, atque Scripturæ sacræ testimonio fultum. Necesse enim est ut et nos accurate loquamur, et vos studiose audiatis, illique ex veritate instituantur. Quis ergo nobis sermo testificabitur illud, « Dominus, » nomen esse primum et magnificentissimæ gloriæ proprium. Audi prophetam Davidem : « Confundantur et conturben- » tur in sæculum sæculi, et revereantur, et pereant. Et » cognoscant quia nomen tibi Dominus [3]. » Solet adversarius dicere de Servatore Verbo : « Nomen Christi Dominus, nomen Patris Deus. » Rursus definitionem eorum, quæ proposita sunt, postulo. Hæreticorum verbis inhæres? Per-

[1] Deut. VI, 4. — [2] 1 Cor. VIII, 6. — [3] Psal. LXXXII, 18, 19.

manes-ne in conditionibus propositis? Inconstantiam enim tuam metuo. Quando confutatus es ex hac demonstrata veritate, ad aliud commentum confugis, si illic convincaris, declinas ad aliud improbitatis elementum; cum oporteret splendentem et illuminantem veritatem non effugere : non fugat enim cum illustrat. Verum, « Fugit impius, » nemine persequente [1]. »

VIII. Nos autem ad propositum revertamur. « Cognos- » cant quia nomen tibi Dominus. » Si Patrem memoret, disce nomen Patris esse illud « Dominus. » Et si Patris nomen est Dominus, ait Paulus, « Unus Dominus Jesus Chris- » tus. » Sed Dominus Pater, Dominus Filius. Ergo ut consors est nominis, consors est dignitatis. Verum Judæus abnuit confiteri id de Patre dictum fuisse, ut illud « Do- » minus » Filio ascribens, illud, « Deus » Patri servet : definitionem probo, conditiones accipio. Non distinguo nominum adorandæ Trinitatis dignitatem, ut sæpe dixi; quia Ecclesia indistinctam habet gloriam : sed ad miseriam tuam me demitto, ac dico : « Detur hoc : Cognoscant quia nomen » tibi Dominus, » quid igitur fiat de illo verbo quod sequitur; « Tu solus Altissimus super omnem terram [2]. » Ergo secundum impietatem doctrinamque tuam, non amplius Pater erit Altissimus, quia solus Filius est Altissimus. Hic, fratres, non fluctus maris sunt, ut quis præfocetur, sed charitatis fluctus qui sanctificent. Attamen cum Christus loquatur et prædicetur, quietem agat hæc religiosa navicula. Absurdum enim est mare ipsum vestigia Domini conspicatum, hæc audiens : « Tace, obmutesce [3], » auctoritatem reveritum esse, Ecclesiam vero non obtemperare Domino verba vitæ loquenti, ac divinam vere gratiam in labiis habenti : nam « Diffusa est gratia in labiis tuis [4]. »

[1] Prov. xxviii, 1. — [2] Psal. lxxxii, 19. — [3] Marc. iv, 39. — [4] Psal. xliv, 3.

Sed ad propositum redeamus. « Cognoscant quia nomen »tibi Dominus. » Utrum vis elige, non quasi res in tua potestate sit posita. Neque enim cum Jesus Nave ad populum diceret; « Eligite vobis hodie cui serviatis, an diis, »quos coluerunt patres vestri, an Domino Deo nostro [1], » ideo potestatem eligendi hominibus concedebat, sed ut ostenderet pietatem sequi arbitrium diligentium Deum. Item alibi : « Vos testes estis contra vos, quod vos Domi»num elegeritis ad serviendum illi [2]. » Quemadmodum enim tibi optio Dei dignitatem non contumelia affecit, sed liberum arbitrium piorum ostendit; sic etiam nunc, si libero arbitrio optionem dedero, non dignitatem contumelia afficio, sed arbitrium exploro. Illud, « Cognoscant »quia nomen tibi Dominus, » de Patre-ne, an de Filio dictum est? Nam si de Patre, et si nomen Patris sit Dominus, nomen quoque Filii Dominus : « Unus enim Dominus Je»sus Christus, per quem omnia [3]; » ergo quemadmodum dignitas, ita et nomen commune est. Verum Filii nomen Dominus est : ergo solus Filius est Dominus : nam « Tu »solus Altissimus super omnem terram. » Ergo cum unus et solus Dominus sit Filius, Pater alienus a dominatione est? Absit. Neque enim cum Pater solus prædicatur Deus, ideo Filius a Divinitate privatur. Nam « In principio erat »Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Ver»bum [4], » Ergo neque hoc, « Deus Pater, » Filium excludit a Divinitate : nam « Deus erat Verbum; » Neque cum Filius dicitur « Unus Dominus, » alienus ostenditur Pater a dominatione : nam « Dixit Dominus Domino meo : Sede »a dextris meis [5]. » Dominus ergo Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus. « Dominus enim Spiritus »est. » Sed rursum hæreticus exasperatur excitaturque, ac

[1] Jos. XXIV, 15. — [2] Ibid. 22. — [3] 1 Cor. VIII, 6. — [4] Joan. I, 1. — [5] Psal. CIX, 1.

Dominum audiens Spiritum sanctum, disrumpitur. Quomodo, inquit, Spiritus est Dominus, qui per prophetam Davidem loquens, Filium celebrat his verbis : « Dixit Do» minus Domino meo? » Vides-ne, inquit, Spiritum sanctum per Prophetam loquentem, Dominum confiteri suum et Patrem et Filium? Quid igitur, Fratres? Ne proposita dictio apud auditores in dubio versetur, in ipsam vocis disquisitionem veniam, totum vobis dictionis sensum explicabo.

IX. Servator aliquando, cum in Judæorum synagoga disputaret exploraretque quam de se opinionem pars major haberet, ait illis : « Quem dicitis esse Christum? cujus fi» lius est [1]? » Respondent Scribæ et Pharisæi : « David [2]? » Hinc Dominus eorum contradicens opinioni, rursus infert. « Quomodo David in Spiritu sancto vocat eum Dominum, » dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis [3], » Illud porro, « In Spiritu sancto » adjecit, non ut Spiritum servum declararet Christi, qui prædicabatur, sed ut palam ostenderet Prophetam in Spiritu sancto futura prævidentem, Filium suum secundum carnem Dominum confiteri secundum rei veritatem. Neque enim de Spiritu sancto, qui etiam Dominus est, quæstio erat; sed de ipso : an scilicet David filium haberet dominum, an herum? Sane Dominus hæreticorum sycophantiam diu ante confutans, Spiritusque sancti dignitatem illæsam conservans, objectione controversiam solvit. Quid ergo ait : « Si ergo David vocat » eum Dominum, quomodo filius ejus est [4]? » Non dixit : « Si ergo Spiritus sanctus vocat eum Dominum; » sed « Si David vocat eum Dominum. » Cur ergo addidit illum, « In Spiritu » sancto vocat eum Dominum? » Quoniam de Christo ante adventum Christi dicere, non erat corporis intuentis, sed Spiritus sancti præsignificantis. Neque enim quæ videbat

[1] Matth. XXII, 42. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 43, 44. — [4] Ibid. 45.

David prædicabat, sed quæ Spiritus sanctus suggerebat, hæc per spiritualem lyram pulsabat. Ideo illud adjecit: « Dominus, Quomodo David in Spiritu sancto vocat eum » Dominum ? » Ne vero hæreticus blasphemiam adversus Spiritum sanctum trahat, adjecit rursum, ut diximus : « Si » ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? » Igitur David Christum in Spiritu sancto vocat Dominum. Illud vero potissimum consideremus omnem Prophetam ex Spiritu sancto, quæ conveniant loqui. Omnes enim confitemur Prophetas in Spiritu sancto locutos esse, idque Apostolus testificatur dicens : « Bene Spiritus sanctus locu- » tus est ad patres vestros per Prophetam [1]. » Et iterum generatim Deus ait ; « Effundam de Spiritu meo super omnem » carnem, et prophetabunt [2]. » Et Moyses, « Quis dabit om- » nem populum Domini Prophetas esse, cum dederit Domi- » nus Spiritum suum super ipsos [3] ? » Hic attendamus diligenter, quemodo Spiritus sancti Divinitas demonstretur, non a nobis exaltata, sed a propria dignitate celebrata. Mihique concedite ut interrogatione et responsione rem propositam tractem. Hujusmodi enim quæstionibus facilior evadit dubiorum solutio. Interrogemus ergo: fatentur-ne Spiritum sanctum locutum esse per Prophetas, an negant, vel dubitant? Si dubitant, quæ ante dicta sunt in memoriam revocemus : « Quomodo ipse Deus testificatur dicens : « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et pro- » phetabunt. » Spiritus enim propheticam virtutem excitat. Sic et ille admirabilis Moyses, ut ostendat prophetiam ex Spiritu sancto proficisci et constitui, in hanc magnam mirabilemque erupit vocem : « Et quis dabit omnem populum » Domini Prophetas esse, cum dederit Dominus Spiritum » sanctum suum super eos ? » Si autem vere confiteantur id quod verissimum est, nempe Spiritum sanctum locutum

[1] Act. xxviii, 25. — [2] Joël. ii, 28. — [3] Num. xi, 29.

esse in Prophetis, audi ut beatus ille admirandusque Zacharias Præcursoris pater, Deum dicat Spiritum sanctum, qui per Prophetas locutus est : « Benedictus Dominus Deus » Israël, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, » Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui : » Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt » Prophetarum ejus [1]. » Si ergo Deus est ille, qui per os Prophetarum locutus est, et Spiritus sanctus in Prophetis locutus est, ut ait David in libro Regnorum; « Spiritus enim » Domini locutus est in me [2]; » ergo et Deus et Dominus est Spiritus sanctus, qui per Prophetas locutus est. Verum claram hujus rei demonstrationem accipe. Divinus Apostolus per propheticam vocem volens Spiritum sanctum ostendere, in Epistola ad Corinthios ait : « Si autem omnes pro- » phetent, intret aut quis infidelis, vel idiota, convincitur » ab omnibus, dijudicatur ab omnibus; occulta cordis ejus » manifesta fiunt; et ita cadens in faciem adorabit, pro- » nuntians quod vere Deus in vobis sit [3]. » Vides pietatis doctorem clare indicare Spiritum in prophetantibus loquentem, Deum esse?

X. Cur ergo, hæretice, scandalizaris circa piam fidem? Cur calumniaris Spiritus sancti dignitatem? Cur fidei confessionem transgrederis? Lege pacta tua in mysteriis emissa. Quomodo dixeris : « Credo in Patrem, et Filium, et Spi- » ritum sanctum. » An quod credidisti, eliminasti? quod confessus es, avertisti? quod palam declarasti, hoc impie labefactasti? Bellum-ne cum pace geris? abnegasti-ne fidem, et quæstiones moves? Credenti, confitenti tibi traditum est donum, et post donum fides eliminatur, et inducitur disputatio? Ne contumelia afficias dignitatem gratiæ. Ne violes pacta tremendæ illius et horrendæ initiationis, cum confessus es te credere in nomine Patris, et Filii, et

[1] Luc. 1, 68-70. — [2] 2 Reg. xxiii, 2. — [3] 1 Cor. xiv, 24, 25.

Spiritus sancti, baptizatus es similiter in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Benedictio similiter in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Nobis dona gratiæ, a vobis blasphemia in gratiam. Nobis libertas a Spiritu sancto, a vobis servitus Spiritui sancto ascribitur. O stultitiam! O ingratum animum! Aut novam nega gratiam, aut Vetus Testamentum reverere, vel ubique statue Trinitatis æqualitatem honoris, quam sæpe vobis ex multis Scripturæ testimoniis probavimus : quibus aliam demonstrationem adjungere placet. Nova, ut sæpe dixi, sæpe in Veteri Testamento prænuntiata sunt. Quid igitur? Imperat Deus Moysi dicens : « Loquere Aaron et filiis ejus: Sic benedicite filios » Israël [1]. » Adverte diligenter. Ne quis simplicius accipiens putaret rem quomodolibet bene se habere, adjecit illud, « Sic; » ne quis propria auctoritate benedictiones institueret; sed secundum Scripturæ regulam omnia facere jubet: « Sic, inquit, Benedicite. » Sic, quomodo? « Benedicet tibi » Dominus, et custodiet te. » Attende quomodo Trinitatem ubique mystice proponat, per quam benedictiones triplicantur. « Benedicet te Dominus, et custodiet te [2]. » Ostendet Dominus vultum super te, et benedicet te. Attollet Dominus vultum suum super te, et det tibi pacem. » Vide sanctam Trinitatem diserte celebratam. Et quænam gratia a Spiritu sancto non proficiscitur? Et quod donum non ab illo datur? quod bonum sine ipso? Quod cœleste bonum sine Spiritus sancti opera hominibus contingere possit? Scrutamini Scripturas, et videte. Itaque Scriptura sacra cum voluerit quidpiam, quod supra naturam factum sit, indicare aut ostendere, Spiritus auctoritati omnia ascribit. Verbi gratia, Samsonem, egregium illum bellatorem, cum egregia illa ac stupenda fortiter gesta Scriptura describit, Spiritus sancti ductu id fecisse præmittit. « Venerunt, inquit,

[1] Num. VI, 23. — [2] Ibid. 24.

» alienigenæ multi et innumeri in Samsonem; solusque ille » erat, neque id tantum, sed etiam ligatus. » Quæ igitur spes libertatis vincto? Quæ salutis captivo? Quomodo unus multis superior erit? Spiritus Domini descendit in Samsonem, et irruit in alienigenas, repertaque asini maxilla, mille viros interfecit. Ac vide divinæ Scripturæ sapientiam. Cum inexpertis incredibile videretur victum solutos vicisse, et solum multos superasse, ideo apposite præmisit: « Et Spiritus Domini advenit in Samsonem, et accepta » maxilla asini, mille viros occidit [1]; » ut cum secundum humanam naturam id incredibile videretur, per Spiritus potentiam crederetur. Itaque probe Moyses dixit: « Quo- » modo persequetur unus mille, et duo fugabunt decem » millia; nisi quia Dominus tradidit eos, et Deus vendidit » illos [2]? » Lege Scripturas, et in singulis facinoribus Spiritus sancti virtutem antepositam animadvertes. « Venerunt alie- » nigenæ, et Spiritus Domini advenit in Samsonem. » Insiliit leo et discerpsit leonem ut hœdum. Vinctus est ferreis catenis, et uxor ejus ad eum, « Alienigenæ in Samsonem. » Sed iterum Scriptura: « Et Spiritus Domini venit in Samso- » nem, et soluta sunt vincula, ut si stuppa sentiat ignem [3]. » Nullum ejus præclarum facinus inducit, non præmissa Spiritus efficacia. Deinde cum omni virtute nudatus esset: attende animo, quid dicat Scriptura, quæ ubique dixerat, cum aliquod facinus aggrederetur, et vinceret: « Spiritus » sanctus venit in Samsonem, » postquam caput ejus detonsum est, prodito gratiæ pignore, statim scripsit: « Et Do- » minus discessit a Samsone [4]. » Cum alienigenæ venerunt, Spiritus Domini descendit in ipsum: cum autem recessit, ait: « Et Dominus discessit ab illo. » Et jure quidem. Nam Spiritus Dominus est. Nec solum in Veteri Testamento id

[1] Judic. xv, 14. — [2] Deut. II, 30. — [3] Judic. xvi, 9. — [4] Ibid 19.

animadvertes, sed etiam in Apostolis. Quando magnam quamdam et præcellentem virtutem divinæ Litteræ prædicant, ubique Spiritus auctoritatem præmittit. Inducit rursus Paulum in Cypro, execrandum illum Elymam magum verbo punientem, quod contra veritatem pugnaret. Et quia rem stupendam narraturus erat, oculos nempe verbo extinctos, ait : « Ecce manus Domini in te, et eris cæcus » non videns solem [1]. » Illud autem et Pauli et omnium mortalium naturam superabat, nempe oculos hominibus verbo extinguere. Verbum enim hominis non mutat naturam, nec oculos excæcat. Ne quis ergo humana verba respiciens, de re obstupesceret, et commentitium quiddam dici putaret, præmittit iterum Scriptura Spiritus sancti auctoritatem. « Tunc, inquit, Paulus Spiritu sancto repletus, ait illi [2]. » Habes et aliam circa Spiritum sanctum demonstrationem: si quis homo rudis melius, quam facultas ferat, loquatur : verum hanc rursus operationem Scriptura Spiritui ascribit. Exempli gratia, Petrus et Joannes in Judæorum frequentia concionantur. Et tunc ait : « Pétrus plenus Spiritu » sancto dixit ad populum : An justum est in conspectu » Dei vos potius audire, quam Deum, vos judicate [3]. » Cur ergo dicitur : « Plenus Spiritu sancto? » Quia indoctum excedebat hæc loquendi fiducia, ne quis piscatorem respiciens, orationi illi sanctæ cum libertate habitæ fidem non haberet, præmisit Spiritus sancti sapientiam, ne mireris abundantiam. Quod si videtur, alium consideremus, ut magis ac magis dicta confirmentur. Sanctis cœlum aperitur; sed sine Spiritu sancto non aperitur. Neque enim oculis corporis cœlum apertum videtur, sed Spiritus sancti operatione. Vidit Stephanus cœlos apertos; verum, ut ait Scriptura, « Cum esset plenus Spiritu sancto vidit [4]. » Nusquam igitur, fratres, cœlum licet apertum videre, sine Spiritu,

[1] Act. XIII, 14. — [2] Ibid. 9. — [3] Id. IV, 8 et 19. — [4] Id. VII, 55.

neque docendi auctoritatem sumere, nec miraculorum virtutem exhibere sine sancto et adorando Spiritu. « Omnia » enim operatur unus et idem Spiritus, dividens singulis, » prout vult [1]. » Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

DE ANNA I.

Quod oporteat et in Pentecoste, et semper jejunii meminisse, et quod non præsentia solum, sed etiam recordatio jejunii sit utilis : et de Dei providentia, quodque non minima pars ipsius sit præter alia parentum erga liberos amor ; quodque non patribus solum, sed et matribus præceptum sit, ut liberorum mores componant, et ad extremum de Anna.

I. Ubi [2] peregrinum aliquidem apud nos diversatum, ad aliquot dies comiter exceptum, et colloquii mensæque participem factum dimiserimus, postridie profectionis illius mensa posita statim ejus ac verborum congressus recordamur, ac multa cum charitate ipsum requirimus : hoc nobis erga jejunium quoque præstandum est. Nam cum apud nos dies quadraginta fuerit diversatum, comiter illud excepimus ac dimisimus : quando igitur mensa jam nobis spiritualis apponenda est, reminiscamur illius, bonorumque omnium, quæ nobis invexit. Non enim præsentia tantum jejunii, sed etiam memoria jejunii maxime utilis esse potest. Et sicut illi quos amamus, non solum cum adsunt, verum etiam cum nobis in mentem veniunt multo nos voluptate perfundunt : ita quoque dies jejunii, collectæ, com-

[1] 1 Cor. xii, 12. — [2] Vide D. Guillon, tom. xvi, pag. 424-426.

munesque conventus et alia quibus ejus beneficio fruebamur bona, vel sola memoria nos oblectant, et hæc omnia si in memoriam revocemus, multum inde lucrum hoc etiam tempore colligemus. Hæc autem a me non eo dicuntur, quod cogere vos ad jejunandum velim, sed ut vobis persuadeam, ut ne genio indulgeatis, neve sic afficiamini, ut plerique homines solent, siquidem homines appellandi sunt, qui tantam pusillanimitatem præ se ferunt, qui tanquam e vinculis emissi, et gravi quopiam carcere liberati sic alloquuntur se mutuo: «Tandem molestum illud jejunii pelagus emensi sumus:» alii vero qui multo pejus, et imbecillius sunt affecti, etiam ob futuram quadragesimam pertimescunt. Hoc vero propterea quod, toto reliquo tempore, deliciis, luxuriæ, atque ebrietati se totos dedant. Quod si aliis diebus castæ modestæque vitæ agendæ nos assuefaceremus, et præteritum desideraremus jejunium, et venturum multa cum voluptate susciperemus. Quid enim boni jejunii nobis opera non obvenit? omnia tranquillitatis ac puræ serenitatis plena sunt. Nonne domus tumultibus, cursitationibus, omnique perturbatione sunt liberatæ? quin etiam ante ipsas domos eorum animus, qui jejunant, hac quiete perfruitur, civitas ipsa tota modestiam, quæ in animo ac domibus cernitur, imitatur. Nam neque sub vesperam audire canentes licet, neque interdiu tumultuantes et ebrios, non clamantes, non pugnantes, sed multam ubique tranquillitatem licet cernere. Nunc autem non ita est, sed jam inde ab exortu solis clamores ac turbæ, coquorum cursitationes, ac multus in domibus, multus in mentibus fumus, dum intus in nobis succenduntur affectus, et flamma turpium cupiditatum a deliciis excitatur. Propterea quod præteriit, jejunium requiramus, illud enim hæc omnia coërcebat. Ac licet laborem ejus excusserimus, ejus tamen desiderium non extinguamus, neque memoriam deponamus: sed cum pransus

et expergefactus in forum veneris, diemque videris vergentem ad vesperam, hanc ingressus Ecclesiam, et juxta sanctuarium istud veniens, jejunii temporis recordare, quo multitudinis plenam Ecclesiam cernebamus, omnes autem audiendi desiderio succensi erant, multa ubique lætitia, mens omnium erat erecta : hæc omnia tecum reputans, dies illos optabiles recordare. Quod si mensæ accubiturus sis, cum hac recordatione cibos degusta, nec unquam in ebrietatem labi poteris. Sed sicut qui honestam, castam et ingenuam uxorem duxerint, et ejus vehementi amore sint inflammati, ne absente quidem illa, meretricem et perditam mulierem adamare possunt, quod illius amor eorum mentempræoccupaverit, nec alium amorem ingredi sinat : sic et in jejunio fit et in ebrietate. Ergo si illius ingenuæ castæque meminerimus, publicam hanc meretricem omnisque turpitudinis matrem, ebrietatem inquam, facillime repellemus, dum amor jejunii vehementius quam manus ulla impudentiam istius repellet. Propter hæc omnia dies illos, quæso, semper mente versemus : ut autem quidpiam ego quoque ad memoriam illam conferam, idem argumentum, quod tractare tum paratus eram, in medium nunc quoque proferre connabor, ut ipsa similitudo doctrinæ recordationem temporis illius excitet. Vos enim fortasse nunc estis obliti nos multos interim sermones de aliis rebus habuisse. Nam reverso a longinqua illa peregrinatione patre nostro, necessarium fuit omnia commemorare, quæ in comitatu acciderant, ac deinde cum gentilibus disputare, ut hos vi calamitatis ad meliorem frugem revocatos, qui deserto gentilium errore sese ad nos contulerant, pro virili confirmaremus, ac doceremus, quantis tenebris liberati, ad tantam lucem veritatis accurrissent. Post illa rursus multis diebus Martyrum festivitatibus potiti sumus, neque tempori conveniens fuisset nos, qui juxta Martyrum sepulcra versare-

mur, earum laudum, quæ Martyribus debentur, exortes discedere. Successit his ad abstinendum a juramentis cohortatio : cum enim totam rusticorum nationem in urbem ingressam cerneremus, hos illo instructos a nobis viatico censuimus dimittendos.

II. Vobis quidem non facile fuerit disputationem referre, quam tum adversus gentiles instituimus : ego vero semper in his exercitatus, et huic palæstræ addictus, nullo negotio paucis ex iis, quæ tum diximus, repetitis, potero totius orationis argumenti vobis memoriam refricare. Quodnam ergo fuit argumentum? Quærebamus quo pacto Deus a principio generi humano provideret, et quo pacto quæ utilia forent doceret, cum nullæ extarent litteræ, neque Scripturæ datæ essent, et ostendimus per contemplationem creaturarum illud ad Dei cognitionem esse deductum : quo tempore vos non manu prehensos, at mente per universam creaturam circumduxi cœlum ostendens, terram, mare, lacus, fontes, fluvios, æquora immensa, prata, pomaria, florentes segetes, fructibus onustas arbores, obtecta nemoribus montium culmina : tum quoque de seminibus, de oleribus, de floribus, de plantis tam fructuosis quam infructuosis, de bestiis cicuribus simul et agrestibus, aquatilibus, et terrestribus, quæ ancipites in utraque sede vivunt, de iis quæ aërem pennis secant, de illis quæ humi repunt, deque ipsis mundi elementis multa disserui, et in singulis una voce simul acclamabamus omnes, cum mens nostra tot immensas opes capere non posset : « Quam magnificata » sunt opera tua, Domine : omnia in sapientia fecisti[1]. » Neque vero propter multitudinem tantum Dei sapientiam mirabamur, sed et propter utraque hæc duo, quod et pulchram et magnam et admirabilem condiderit creaturam, et quod multa imbecillitatis ejus indicia rebus, quæ cernuntur,

[1] Psal. xcii, 6.

indiderit, tum ut eb sapientiam laudetur, atque ad cultum suum eos, qui cernunt, alliciat : tum ne, Creatore dimisso, qui pulchritudinem ac magnitudinem illarum intuentur, pro illo res oculis subjectas adorent, cum ea, quæ in illis appareat, imbecillitas ejusmodi corrigere possit errorem. Item quo pacto creatura omnis corruptioni est obnoxia, et ad meliorem speciem transferetur, majori gloria perfruetur, et quando et quare, et cur obnoxia corruptioni sit edita, atque hæc omnia tum apud vos philosophamur, Deique potentiam inde demonstrabamus, quod in corruptibilibus corporibus tantam pulchritudinem, (quam et a principio Deus illis attribuit) siderum, cœli et solis. Vere namque mirari possumus, qua ratione cum tot anni sint elapsi, nihil tale sint passa, quale nostra corpora patiuntur, neque senectute reddita fuerint imbecilliora, neque morbo vel ægritudine aliqua debilitata sint, sed vim ac pulchritudinem suam, quam, ut ante dixi, Deus illis attribuerat, perennem conservent, et neque solis consumptum sit lumen, neque siderum splendor obscuratus, neque cœli fulgor effluxerit, non maris termini loco moti sint, non terræ virtus ad partus annuos fructuum edendos extincta sit. Hæc autem omnia corruptioni esse obnoxia cum ex rationibus, tum ex sacris Litteris demonstravimus : pulchre vero illa esse ac splendida suumque semper integrum vigorem conservasse, quotidianus eorum, qui cernunt, testatur aspectus, in quo maxime admirandus est Deus, qui sic ea ab initio condidit. Sed quoniam dum hæc a nobis dicerentur, refragabantur nonnulli dicentes : « Igitur omnium, quæ sub aspectum cadunt, vilissimum est homo, siquidem cœli corpus, terræ, solis, et omnium siderum tanto tempore duravit, hic vero post annos septuaginta dissolvitur atque interit. » Primum quidem illud dixerimus, non totum animal dissolvi, sed præcipuam magisque necessariam partem per-

petuo manere animam immortalem, quæ nullis ejusmodi morbis est obnoxia, minorem autem corruptioni esse obnoxiam: deinde hoc ipsum majorem cedere nobis in honorem. Neque enim temere, vel sine causa, sed et juste atque in rem nostram et senectutem et morbos sustinemus. Juste quidem, quod in peccatum lapsi fuerimus: in rem nostram autem ut ingenitam nobis ex ignavia superbiam, per hos defectus ac morbos retundamus. Non igitur ut contumelia nos afficeret, hoc fieri permisit Deus. Si enim afficere contumelia voluisset, non immortalem esse animam nostram sivisset. Sed neque, quod impotens esset, tale nostrum corpus effecit. Etenim si imbecillis esset, nequaquam cœlum et sidera, et terræ corpus tanto tempore tueri in rerum natura potuisset: sed ut nos meliores, moderatioresque redderet sibique magis obsequentes, quod omnis nobis salutis occasionem largitur. Propterea non effecit, ut aut senectute cœlum, aut aliis quibusdam talibus morbis corriperetur. Cum enim libero arbitrio sit et anima destitutum, neque peccare, neque recte agere potest: unde neque ejusmodi emendatione illi est opus: nobis autem qui ratione sumus et anima exornati, necessarium fuit, ut per has infirmitates morbosque modestia et humilitas ingeneraretur, quandoquidem a principio præ cæteris omnibus primus homo fuerit in superbiam elatus. Alioquin si quemadmodum nostra corpora, sic etiam cœlum constitutum fuisset ac senectuti obnoxium, multi Conditorem imbecillitatis accusassent, ut qui minime posset unum corpus in multos annorum circuitus conservare: jam vero præcisa est illis hæc occasio, cum tanto tempore opera ipsius permaneant.

III. Accedit ad ea quæ diximus, quod non intra hoc sæculum res nostræ subsistunt, sed postquam in hac vita probe fuerimus castigati, majori corpora nostra cum gloria resurgent, et cœlo, sole ac cæteris omnibus splendidiora

cernentur, et ad meliorem sortem conditionemque transferentur. Unus ergo modus est cognitionis Dei, per universam nempe rerum naturam: alter vero nihilo minor, is quem suppeditat conscientia, quem ipsum tunc pluribus verbis exposuimus, simulque ostendimus insitam esse nobis a natura bonarum malarumque rerum cognitionem, et conscientiam nobis interius hæc cuncta dictare. Duo quippe nobis a principio dati sunt a natura doctores, creatura, et conscientia, qui sine voce ulla homines instituebant. Nam et creatura conspectu suo spectatorem obstupefaciens, illum cuncta cernentem ad ejus, qui ipsam condidit, admirationem traducit: conscientia vero, quæ intus dictat, omnia quæ facienda sunt suggerit, ejusque virtutem et judicium ex ipso rerum aspectu deprehendimus. Dum enim intus peccatum accusat, vultum confundit exterius, ac multo mœrore complet. Rursus pallidos reddit et pavidos, cum in re aliqua turpi fuerimus deprehensi; vocem non audimus, sed per externum aspectum ingeneratam intus indignationem contemplamur. Cum his autem duobus tertium quoque doctorem a Dei providentia fuisse adjunctum oratio demonstrabat, non jam mutum ut priores, sed qui sermone, admonitione, consilio animum nostrum componeret. Quis ille porro est? Qui attributus est unicuique nascenti pater. Ideo namque fecit Deus, ut a parentibus diligeremur, ut præceptores virtutis haberemus. Non enim genuisse tantum patrem efficit, sed recte instituisse: neque peperisse tantum, sed recte educasse matrem reddit. Atque hoc verum esse, neque naturam sed virtutem patres efficere, confitebuntur parentes ipsi. Sane quidem filios suos sæpe cum depravatis moribus esse viderint, atque in improbitatem degenerasse, ex suorum illos cognatorum numero ejiciunt, abdicant, alios sibi adoptant filios, qui nulla sibi erant propinquitate conjuncti. An vero quidquam hoc fieri potest mirabilius, quam

ut quos genuerunt, ejiciant: quos autem non genuerunt, sibi asciscant? Non sine causa dicta sunt hæc a nobis, sed ut scias majorem esse vim liberi arbitrii quam naturæ, atque ipsam potius quam illam patres efficere consuevisse. Enimvero divinæ hoc opus fuit providentiæ, ut neque naturali affectu destitutos liberos relinqueret, neque totum rursus illi committeret. Si enim nulla penitus impulsi necessitate naturæ filios suos parentes dilecturi fuissent, sed morum probitate tantum et recte factorum studio ducti, multos paternis ædibus exactos ob ignaviam suam, totumque genus humanum passim distractum ac dissipatum vidisses. Si rursus rem totam tyrannidi naturæ commisisset, et ne improbos quidem odio prosequi permisisset, sed ab illis contumelias et innumera mala passi patres naturæ necessitate devincti filiis in se contumeliosis, ac debacchantibus blandiri non cessassent, ad summum nequitiæ culmen genus humanum provectum esset. Nam si nunc cum omnino confidere naturæ non possint filii, sed multos sciant, cum depravati essent, et domo et facultatibus paternis excidisse, sæpe tamen parentum amore freti contumeliis eos afficiunt: nisi permisisset Deus, ut illos succensi ulciscerentur, et improbos factos liberos procul amandarent, quo non se nequitiæ genere contaminassent? Ideo et naturæ necessitate, et liberorum moribus niti parentum amorem voluit Deus, ut et mediocriter peccantibus liberis, ad hoc eos invitante natura, veniam darent, et depravatos atque immedicabili morbo laborantes punirent, ne ad vitium illos indulgentia sua erudirent, si natura rursus vinceret, eosque liberis suis blandiri cogeret, etiam cum improbi essent. Quantæ hoc quæso providentiæ, cum et diligere jubeat et amori modum ponere, et rursus optimæ liberorum educationi mercedem constituat. Propositam enim esse mercedem et non viris tantum, sed etiam fœminis ut intelligas, audi quo pacto

multis in locis et ad illas, et de illis Scriptura verba faciat, neque minus ad illas quam ad viros. Cum enim dixisset Paulus : « Mulier autem seducta in prævaricatione fuit, » adjecit, « Salvabitur autem per filiorum generationem [1]. » Quod autem ait, hanc sententiam habet : « Doles quod te mulier prima in partus dolores laboresque, ac longam uteri gestationem conjecerit? at tu noli succensere : neque enim tanto damno propter dolores partus et labores affecta es, quantum quæstum facis, si velis, dum bonorum operum occasionem ex recta liberorum educatione sumis. Qui enim nati sunt liberi, si convenientem fuerint cultum nacti, ac tua cura fuerint ad virtutem informati, multam tibi offerent occasionem salutis ; ac præter propria bona opera multam ob studium in ista collatum recipies mercedem.

IV. Atque ut discas non partum matrem efficere, neque mercedem huic esse rei propositam, alibi quoque viduam alloquens Paulus ita dixit : « Si filios educavit [2] : » neque dixit : « Si filios peperit, » sed, « Si filios educavit. » Nam illud quidem naturæ, hoc vero liberi est arbitrii. Propterea cum hic etiam dixisset : « Salvabitur per filiorum generationem, » neque hic substitit, sed cum ostendere vellet non liberos genuisse, sed recte liberos educasse, hoc nobis afferre mercedem, adjecit : « Si permanserint in fide, et dilectione, et » sanctificatione cum sobrietate [3]. » Quorum verborum hic sensus est : « Tunc multam mercedem accipies, si qui procreati sunt liberi, permanserint in fide, et dilectione et sanctificatione. Si igitur ad hæc eos incites, si admoneas, si doceas, si consilio juves, ob hanc curam multa tibi apud Deum merces erit constituta. « Ne igitur alienum a se mulieres arbitrentur, si et fœminarum et marium curam gerant. Non enim hic sexum distinxit Deus, sed et illic simpliciter dixit : « Si filios educavit, » et hic, « Si permanserint in fide, et

[1] 1 Tim. II, 14, 15. — [2] Id. V, 10. — [3] Id. II, 15.

» dilectione, et sanctificatione. » Itaque utriusque generis liberorum suscipienda nobis est cura, tantoque magis mulieribus, quanto sæpius domi resident. Nam viros quidem peregrinationes, ac fori sollicitudines, et negotia civitatis sæpe distrahunt : mulier autem ab his curis immunitatem sortita facilius poterit, cum tanto fruatur otio, liberorum curam gerere. Ita faciebant antiquæ mulieres : non enim a viris solum, sed etiam a mulieribus hoc postulatur, ut suos, inquam, liberos curent, atque ad philosophiam illos incitent. Quod ut verum esse constet, veterem vobis historiam narrabo. Fuit apud Judæos Anna mulier quædam. Hæc Anna multo tempore sterilitate laboravit, quodque gravius fuit, ejus æmula multorum liberorum mater erat. Scitis autem quam natura sua et per seipsam res illa mulieribus sit intolerabilis : cum vero liberos habens accedit æmula, fit gravior. Siquidem ex mulieris illius prosperitate melius calamitatem suam intelligit, sicut et qui extrema premuntur egestate, tum dolent acrius, cum divites illis in mentem venerint. Neque vero calamitosum hoc tantum fuit, quod hæc liberos non haberet, illa haberet, sed quod æmula esset : neque quod æmula tantum esset, verum etiam quod ipsam ad iracundiam provocaret, eo quod illam sperneret. Deus autem cum hoc cerneret, tolerabat. « Et non dedit » ei Dominus, inquit, filium secundum tribulationem ejus » et secundum tristitiam animæ ejus [1]. » Quid est « Secundum » tribulationem ejus? » Dici non potest, inquit, eum videntem illam æquo animo calamitatem ferre, cohibuisse partum ejus, quamvis eam cruciari, dolere, affligi videret, mœrorem tamen ejus non discussit, ut majus aliquid moliretur. Hæc me tanquam aliud agentes audiamus, sed maximam philosophiam hinc discamus, et si quando in malum aliquod inciderimus, licet doleamus, licet lamentemur, licet into-

[1] 1 Reg. 1, 5.

lerabile nobis malum videatur, ne properemus, nec animo concidamus, sed Dei providentiam expectemus. Ille namque probe novit, quando illud discutiendum sit, quod tristitiam nobis parit : quod et isti contigit. Non enim quod ipsam odio prosequeretur, aut aversaretur, Deus concluserat vulvam ejus, sed ut fores nobis philosophiæ reseraret, qua prædita mulier fuit, ejusque fidei divitias conspiceremus, ac nobiliorem illam hinc ab eo fuisse redditam cognosceremus. Audi vero etiam quæ sequuntur. « Et sic faciebat, inquit, singulis annis a multo tempore, cum ascenderet » ipsa in domum Domini : et tristabatur, et plorabat, et non » comedebat [1]. » Intensus dolor, diuturna ægritudo, non duo tresve dies, nec viginti, nec centum, nec mille, nec bis totidem. Multis annis dolebat mulier, et cruciabatur, hoc enim est illud, « A multo tempore : » verumtamen non impatienter tulit, neque temporis longitudo philosophiam ejus superavit, neque probra et convitia ipsius æmulæ, sed orabat assidue ac supplicabat : quod omnibus majus est, ejusque potissimum erga Deum amorem indicat, non simpliciter hunc ipsum obtinere filium optabat, sed Deo fructum dicare, atque uteri sui primitias offerre, ac præclaræ istius promissionis mercedem referre. Unde id constat ? ex iis verbis, quæ sequuntur. Scitis utique omnes mulieribus propter viros intolerandam esse sterilitatem. Sunt enim homines plurimi tam immanes, ut mulieribus vitio vertant, si forte non pariant, nec sciunt hoc pariendi donum de cœlis atque a providentia divina originem trahere, ac neque naturam mulieris, neque congressum, neque aliud quidquam ad hoc per se sufficere. Verumtamen quamvis sciant immerito se vitio vertere, exprobrant et aversantur persæpe, neque illarum consortio delectantur.

V. Videamus ergo, num huic mulieri hoc ipsum accide-

[1] 1 Reg. 1 7.

rit. Nam si despectam quidem illam, contemptam et contumeliis affectam videris, neque gratia apud maritum valere, qui nec ulla ipsam benevolentia complectatur, idcirco illam filium exoptasse conjicere poteris, ut multa fiducia et libertate gauderet, ac viro gratior fieret. Sin autem contrarium deprehenderis, eamque gratiorem illa fuisse, quæ liberos habebat, quod eam vir suus majori benevolentia complecteretur, hinc apparet non ob humanum aliquem affectum, neque ut virum sibi magis conciliaret, eam optasse liberos, sed ob eam causam, quam diximus. Unde igitur hoc liquet? audi hoc dicentem auctorem. Non enim hoc temere posuit, sed ut mulieris virtutem agnoscas. Quid ergo inquit ille? « Diligebat enim Annam Elcana super » Phenannam [1]. » Deinde porro, cum illam videret non comedere, sed plorare, inquit; « Quid est tibi, quia ploras? » et cur non comedis, et cur verberat te cor tuum? nonne » bonus ego tibi super decem filios [2]? » Vides quam illi devinctus esset? et ejus causa potius dolebat, non quod liberis careret, sed quod tristem illam et mœrore confectam videret? Non tamen persuasit, ut tristitiam discuteret. Non enim propter illum filium quærebat, sed ut aliquem Deo fructum exhiberet. « Et surrexit, inquit, postquam ipsi co- » mederant in Selom, et biberant, et stetit coram Domino [3]. » Non sine causa dictum est hoc quoque, « Postquam come- » derant, et biberant: » sed ut intelligas, quod alii voluptatibus et otio tempus impendunt, illud eam precibus ac lacrymis impendisse, quod sobria plurimum ac vigilans esset. « Et stetit coram Domino; et Heli sacerdos, inquit, se- » debat super sellam in liminibus templi Domini [4]. » Ne hoc quidem temere positum est, « Heli sacerdos sedebat in li- » minibus templi Domini, » sed ut fervor mulieris ostendatur. Nam ut sæpe vidua mulier auxilio destituta ac deserta,

[1] 1 Reg. 1, 5. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid.

contumeliis ac variis injuriis affecta, cum forte imminet imperatoris adventus, satellitibus, clypeatis militibus, equitibus, alioque multo famulitio præcedente, minime terretur, neque patrono indiget, sed omnes illos perrumpens, multa cum fiducia imperatorem alloquitur, suamque calamitatem deplorat, ad ejus alloquium ab ipsa necessitate deducta : sic nimirum et mulier ista non erubuit, neque illam puduit, sedente sacerdote, per seipsam petere, ac multa cum fiducia ad imperatorem accedere, sed impulsa desiderio, atque in cœlum mente subvecta, tanquam ipsum contueretur Deum, ita cum summo illum fervore compellabat. Quid vero ait? Imo vero nullum verbum prius emittit, sed fletuum præmittit exordium, et calidos lacrymarum rivos effundit. Et sicut cum imbres decidunt, tellus ipsa durior irrigata et emollita seipsam facilius ad producendas fruges excitat; sic etiam in hac muliere contigit : siquidem tanquam ab imbribus quibusdam a lacrymis emollita vulva, et dolore calefacta cœpit ad præclaram hanc liberorum procreationem excitari. Audiamus autem ipsa verba, pulchramque istam supplicationem. « Plorans, inquit, ploravit, » et votum vovit Domino dicens : ADONAI DOMINE ELOI SA» BAOTH [1]. » Tremenda verba et horroris plena, recteque factum est a scriptore, cum in nostram linguam ea non transtulit. Neque enim propria retenta virtute in græcum illa sermonem convertere potuisset. Nec uno illum vocabulo mulier appellavit, sed pluribus quæ illi tribuuntur, ut amorem erga illum suum, et ardentem affectum ostenderet. Et sicut qui libellos supplices offerendos imperatori scribunt, non unum inserunt nomen, sed triumphatorem, augustum, imperatorem, et alia multa sublimiora istis cum addiderint, tum demum suas preces offerunt : sic et ista cum libellum quemdam supplicem offerret Deo, multa

[1] 1 Reg. 1, 10, 11.

in exordio supplicationis suæ nomina ponit, cum ut affectum, ut ante dixi, proprium, tum ut honorem indicet, quo prosequitur eum cui supplicat. Enimvero preces ipsas dictavit dolor; quapropter et confestim exaudita est, cum illas admodum prudenter scripsisset. Tales quippe sunt, quæ ex animi dolore funduntur orationes. Nam pro charta fuit mens ejus, pro calamo lingua, lacryma pro atramento : quam ob causam ad hunc usque diem ejus supplicatio permansit. Indelebiles quippe fiunt ejusmodi litteræ, quæ illo tinctæ fuerint atramento. Atque exordium quidem libelli supplicis tale fuit; quæ vero sequuntur, quænam? « Si respiciens » respexeris, inquit, super humiliationem ancillæ tuæ [1]. » Nec dum quidquam accepit, et a promissione orationis duxit exordium. Remuneratur Deum, cum nihildum manibus teneat. Adeo fervebat, et ad hoc potius quam ad illud aspirabat, ideoque sibi filium dari precabatur. « Si respiciens » respexeris super humiliationem ancillæ tuæ. » Duplici jure nitor, inquit, servitutis, et calamitatis. « Et da mihi an- » cillæ tuæ semen viri, dabo illud datum coram te [2]. » Quid est coram te datum? Deditium et plane servum. Omni potestate me abdico. Eatenus enim tantum fieri mater cupio, quatenus a me filius ducat initium, tum deinceps meo jure cedo ac rursus ei renuntio.

VI. Ac vide mulieris pietatem. Non dixit : « Si dederis mihi tres, duos tibi do : sin autem duos, unum do tibi, » sed « Si unum solum dederis, totum tibi fructum consecro. « Et vinum et omne quod inebriare potest non bibet. » Nondum filium accepit, et jam Prophetam informat, ac de illius educatione verba facit, et cum Deo pactum init. O confidentiam mulieris! Quia non tum persolvere poterat, quod nondum accepisset, a futuris sumptum pretium persolvit. Et quemadmodum sæpe multi agricolæ summa pressi eges-

[1] 1 Reg. 1, 21. — [2] Ibid.

tate, cum tantum pecuniæ non suppetat, ut vitulum possint aut ovem emere, hac conditione a dominis ea accipiunt animalia, ut semissem fructuum reddant, seque pretium ex futuris deductum fructibus persoluturos promittunt : sic etiam ista, vel potius majus quiddam præstitit. Non enim ea conditione, ut semissem fructuum reddat, filium accipit, sed ut totum illi deinde restituat, et fructuum loco filii educationem accipiat. Sufficientem enim esse mercedem existimavit, ut labores suos in Dei sacerdotis educationem impenderet. « Et » vinum et omne quod inebriat non bibet, » inquit. Non illi venit in mentem hæc apud se dicere : « Quid vero fiet, si dum tener est infans, aquæ potu ejus valetudo lædatur? quid si in morbum incidat? quid si gravi morbo oppressus moriatur? » sed cum cogitasset eum, a quo fuerat datus, posse illius quoque sanitati providere, ab ipsis incunabulis et partus secundinis in sanctitatem illum invexit, Deoque rem totam commisit, et ante partum sanctificabatur ejus uterus in quo Propheta gestabatur, et sacerdos concipiebatur, et donarium ferebatur, donarium inquam animatum. Ideo diutius eam mœrore confici permittebat Deus, ideo tarde dabat, ut eam ipso genere partus illustriorem redderet, ut philosophiam ejus animique moderationem ostenderet. Nam in oratione non meminit æmulæ, non ejus convitia memoravit, non in medium protulit ejus opprobria, non dixit : « Ulciscere me de improba et scelesta illa muliere, » quod multæ faciunt mulieres : sed neque probrorum recordata, de iis tantum, quæ sibi proderant, preces offerebat. Ita fac tu quoque mi homo, cumque videris inimicum dolore afficientem, in eum quidem nullum asperius verbum mittas, neque male erga te affecto imprecceris : sed ingressus ac flexis genibus, fusisque lacrymis, Deum precare, ut tristitiam discutiat, doloremque restinguat ; quod hæc quoque mulier fecit, nec mediocrem fructum

ex inimica collegit. Illa enim ad hunc partum infantis obtinendum opitulata est. Quo pacto id factum sit ego dicam. Quia opprobria jactarat, afflixerat, majoremque dolorem reddiderat, a dolore ardentior fuit oratio, Deum vero illi conciliavit, atque ut impetraret effecit, sicque Samuël est partu editus. Itaque si vigiles simus, non modo nihil nos lædere poterunt inimici, sed et plurimum proderunt, dum in omnibus nos diligentiores efficient, tantum ne propter molestiam ac dolorem, quem nobis inurunt, ad convitia probraque nos abripi sinamus; sed ad preces nos potius convertamus. Postquam autem peperit filium, vocavit illum Samuëlem, hoc est, audiet Deum. Nam, quoniam ex eo, quod exaudita fuerit, et precum opera ipsum accepit, non beneficio naturæ, memoriam quæstus illius tanquam in ænea quadam columna in appellatione pueruli voluit esse defixam. Neque dixit: «Vocemus eum nomine patris sui, vel patrui, vel avi, vel proavi : sed ille ipse qui dedit eum, inquit, appellatione pueruli honoretur. »Hanc æmulamini mulieres, hanc imitemur viri, tantamque liberorum curam geramus, ita natos educemus, cum in aliis omnibus, tum maxime in castitate. Nihil enim adeo contendendum et curandum est, quam ut juvenes casti sint et pudici. Hæc enim maxime ægritudo illi ætati molestiam exhibet; et quod in lucernis agimus, hoc et erga liberos observemus. Certe sæpe ancillam admonemus, quæ lucernam accendit, ne in eum locum lucernam transferat, in quo stipula fœnumve fuerit, aut aliquid ejusmodi, ne forte nobis insciis excidat scintilla quæpiam, et materiam illam corripiens totam domum incendat: eamdem quoque sollicitudinem erga liberos impendamus, neque vultus eorum illuc traducamus, ubi lasciviæ sunt famulæ, ubi luxuriosæ puellæ, ubi petulantes ancillæ, sed jubeamus ac denuntiemus illis, si forte talis nobis sit famula, seu vicina, sive quævis ejusmodi, ut

neque in conspectum, neque in sermonis congressum cum juvenibus veniat, ne qua inde scintilla excidens totam pueruli animam incendat, et irreparabilem illi calamitatem importet. Neque vero tantum a spectaculis, sed etiam a mollibus ac dissolutis cantilenis abducamus, ne his eorum anima fascinetur, neque illos ad theatra deducamus, nec ad convivia et compotationes, sed cautius quam conclavi abditæ virgines, custodiantur a nobis juvenes. Nihil ætatem illam adeo solet exornare ac pudicitiæ corona, et si quis ab omni lascivia purus, ad conjugium veniat. Sic et mulieres illis fient amabiles, cum antea nulla se fornicatione exercuerit, aut corrupta fuerit anima, cum eam solam mulierem notam habuerit juvenis, quæ sibi fuerit nuptiis copulata. Sic et ardentiores amores, et sincerior benevolentia, sic amicitia fit vehementior, cum ad nuptias juvenes cum tanta cautione perrexerint. Nam nunc quidem quæ geruntur non nuptiæ sunt, sed mera negotiatio pecuniæ, et cauponatio. Cum enim ante conjugium corruptus fuerit juvenis, et post conjugium rursus in alteram mulierem oculos suos converterit, quid, quæso, prodest conjugium? imo tum majus supplicium debetur, et indignum est venia peccatum, cum, intus residente uxore, seipsum meretricum congressu polluat, et adulterium committat. Quippe uxore ducta, tametsi meretrix est, quæ se mariti congressu contaminat, adulterium est illud facinus. Hæc autem jam fiunt, et contractis nuptiis ad mulieres meretrices currunt, quoniam ante nuptias castitatem servare non didicerunt. Hinc pugnæ, maledicta, domorum eversiones, et quotidiana bella : hinc fit ut erga uxorem amor diffluat et marescat, cum lupanarium frequentatione dissolvatur. Quod si castitatem servare discat, præ cæteris omnibus expetendam uxorem suam arbitrabitur, multa illam cum benevolentia contuebitur, magnamque cum illa concordiam conservabit:

si vero pax fuerit et concordia, omnia bona in domum illam introibunt. Ut igitur et res hujus vitæ recte a nobis dispensentur, et cum illis regnum cœlorum consequamur, hujus præcipue mandati gratia et nostrum et liberorum curam geramus, ne sordidis vestimentis induti in nuptias illas spirituales intremus, sed cum fiducia fruamur honore, qui dignis est illic reservatus. Quem utinam omnes assequamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

DE ANN II.

De fide Annæ; deque philosophia, hoc est, animi moderatione, et modestia ipsius, et de honore deferendo sacerdotibus, et quod tum in initio, tum in fine prandii sit orandum.

I. Nihil precationi par est, charissimi, neque quidquam fide potentius. Utrumque nobis nuper declaravit Anna : cum his enim muneribus accedens ad Deum, omnia quæ voluit effecit. Siquidem et naturam sterilem correxit, et vulvam quæ erat conclusa aperuit, et probrum sustulit, et convitia æmulæ dissolvit, seque ipsam ad magnam restituit fiduciam, dum e petra infrugifera spicam messuit comantem. Omnes audistis quomodo fleverit, quomodo precata sit, quomodo orarit et exorarit : concepit, peperit, educavit et consecravit Samuëlem. Itaque non aberrarit, qui

hanc mulierem pueri simul et matrem et patrem appellarit. Quanquam enim vir addiderat semen, hujus tamen precatio vim efficaciamque semini præbuit, effecitque ut Samuël honestioribus exordiis nasceretur. Neque enim sicut in cæteris hominibus somnus et congressus tantum parentum, verum preces, lacrymæ, fidesque fuerunt hujus generationis principia, eoque cæteris illustriorem habuit ortum Propheta, propter matris fidem natus. Ideo de hac muliere jure quis dixerit : « Qui seminant in lacrymis, in »exultatione metent [1]. » Hanc æmulemur viri, hanc imitentur fœminæ : nam utriusque sexus magistra est mulier. Quæ steriles sunt, ne desperent : quæ matres sunt, sic educent natos liberos. Sed omnes simul imitemur mulieris philosophiam, quam habuit ante partum, fidem quam habuit in partu, studiumque quod habuit post partum. Quid enim esse possit illa muliere magis philosophicum, quæ calamitatem adeo intolerabilem, placide fortiterque tulit, nec prius destitit, donec eam molestiam discussit, malique finem reperit, tum admirandum, tum incredibilem, nullo e terrenis accito adjutore et opitulatore? Noverat enim humanitatem Domini, eoque sola illum adiit, et quidquid voluit impetravit. Neque enim humanum auxilium, sed divinam gratiam requirebat illius tristitiæ correctio : ea enim non nascebatur ex jactura pecuniarum, ut aliquis allato auro dilueret angorem : neque ex adversa corporis valetudine, ut accitis medicis morbum posset abigere. Natura erat male affecta, cœlestem manum desiderans. Eoque sane prætermissis omnibus terrenis, ad naturæ Dominum confugit, nec prius destitit, quam illum exoraret, ut orbitatem tolleret, ac vulvam aperiret, eque sterili faceret matrem. Itaque beata est et ob hoc, non quod mater facta sit, sed quod, cum non esset, facta sit. Siquidem illud est naturæ

[1] Psal. CXXV, 5.

commune, hoc autem erat eximium fœminæ meritum. Beata quidem igitur et propter nixus illos, nihilominus tamen beata propter omnia illa quæ partum præcesserunt. Scitis enim profecto omnes, sive mulieres, sive viri, nihil gravius aut intolerabilius accidere posse fœminæ, quam ut liberis careat, adeo ut si mille prosperitatibus alioqui fruatur, dolorem ex hoc vulnere natum nunquam ex animo valeat depellere. Quod si id nunc adeo est intolerandum, cum ad majorem philosophiam vocati sumus, cumque ad cœlum tendentibus nullus est rerum præsentium respectus, sed ad alteram vitam adornamur, cumque multis laudibus effertur virginitas : cogita quantæ infelicitatis ea res visa tum fuerit, cum futurorum nulla esset spes, ac ne cogitatio quidem veteribus illis, sed omnia fierent rerum præsentium gratia : cum id temporis sterilem et orbam esse fœminam, damnationis notam ferret : nemo possit eloqui, nec ullo sermone consequi doloris magnitudinem ex hoc vulnere venientis. Testes vero sunt fœminæ, quæ cum in cæteris omnem exhibuerint philosophiam, hanc infelicitatem non pertulerunt æquo animo, sed quædam maritis indignatæ sunt, aliæ sibi vitam judicarunt esse injucundam. Hanc vero fœminam non anxietas modo a sterilitate proveniens, verum et aliud quiddam obsidebat malum, ira videlicet, propter æmulæ opprobria. Et sicut ventis ex adverso inter sese concurrentibus, mediamque scapham, dum inter se depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus partim a prora, partim a puppi insurgentibus, gubernator clavo assidens servat navim, undarum incursus gubernandi prudentia depellens : sic et mulier tum illa, cum ira et angor ceu venti in animum ipsius facerent impetum, rationem illius perturbantes, multosque fluctus excitarent, non jam biduum aut triduum, aut dies viginti, sed et totos annos : nam hoc, ut ait Scriptura, multo tempore factum est ; for-

titer pertulit tempestatem, nec passa est rationem demergi. Siquidem Dei timor tanquam nauclerus gubernaculis assidens, persuasit eam tempestatem magno animo perferendam esse, nec prius destitit mentem illius gubernare, donec in tranquillum adduceret portum navem onere plenam, hoc est, uterum pretioso thesauro onustum. Neque enim aurum argentumve portabat, sed Prophetam et sacerdotem. Eratque gemina ejus uteri sanctificatio, et quod tali puero prægnans esset, et quod conceptionis initium per precationem ac cœlestem gratiam accepisset.

II. Onus autem illud non solum erat inopinatum et admirabile, verum et negotiationis modus fuit admirabilior : neque enim illud hominibus ullis vendidit aut negotiatoribus, sed protinus ut exposuerat e scapha, Deo vendidit. Tantum autem hac negotiatione lucrum fecit, quantum facere par est eam, quæ cum Deo habuerit commercium. Etenim posteaquam eum fœtum acceperat Deus, reddidit illi alterum filium : imo potius, non unum, neque duos, neque tres, neque quatuor tantum, sed his multo plures, « Quia sterilis, inquit, peperit septem [1], » et usura sortem excessit. Talis enim est negotiatio, quæ cum Deo geritur. Non ille quantulamcumque sortis partem, sed multis partibus conduplicatam reddit. Neque solum dedit illi proles fœmineas, sed ex utroque sexu lucrum illius cumulavit, ut illi jam perfectum contigerit gaudium. Hæc eo commemoro, non ut laudetis tantum, sed et æmulemini hujus mulieris fidem ac tolerantiam, quam ex parte quidem audistis nuper, verum ut reliquias persolvamus, concedite mihi pauca commemorare de sermonibus post primam precationem cum sacerdote ejusque ministro habitis, ut perspiciatis mitem ac placidum hujus mulieris animum. « Et factum est, inquit, cum multiplicaret precationem in

[1] 1 Reg. II, 5.

» conspectu Domini, Heli sacerdos observabat os illius [1]. » Geminam scriptor hic virtutem in fœmina suo testimonio comprobavit : in precibus assiduitatem, et animi vigilantiam : illam quidem, cum ait, « Multiplicavit : » hanc, cum addit, « In conspectu Domini. » Nam omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu Dei. Etenim cum corpore in terra prostrato, et ore temere delirante, mens ubique per domum ac forum circumvagatur : quo ore talis posset dicere, quod oraverit in conspectu Dei? Nam in conspectu Domini orat, qui orat undique colligens suam mentem, nihil habens cum terra commercii, sed ad ipsum cœlum totus commigrans, omni cogitatione humana ab animo depulsa : quemadmodum id temporis hæc fecit mulier : totam enim sese collegerat ac mentem intenderat, atque ita Deum invocavit animo dolente. Sed cur dicit eam multiplicasse precationem, quando exiguus est modus precationis, quam fudit mulier? Neque in longum produxit sermonem, neque in multum temporis extendit supplicationem, sed pauca nudaque verba prolocuta est. « Adonai domine eloi Sabaoth, si respiciens respexeris ad » humilitatem ancillæ tuæ, meique memor fueris, nec obli» tus ancillæ tuæ, dederisque ancillæ tuæ prolem mascu» lam, offeram illam dono in conspectu tuo, usque ad diem » mortis ipsius. Vinum et quidquid inebriat, non bibet, et » ferrum non ascendet super caput ejus [2]. » Quæ est hic verborum multitudo? Quid igitur innuit, cum ait: « Multi» plicavit? » Hæc frequenter dicebat, nec destitit iisdem verbis iterandis multum temporis absumere. Ita et Christus in Evangelio docuit orare. Cum enim jussisset Discipulis ne more gentilium orarent, utentes multiloquio, etiam modum precationis docuit [3] : ostendens, ut exaudiamur, non esse situm in verborum multitudine, sed in vigilantia men-

[1] 1 Reg. 1, 12. — [2] Ibid. 11. — [3] Matth. VI, 7.

tis. Quomodo igitur, dixerit aliquis, si paucis orandum est, parabolam eis proposuit, admonentem semper esse orandum? Vidua quædam erat, quæ assidue appellando crudelem et inhumanum judicem, neque Deum timentem, neque homines reverentem, frequenter adiens flexit [1]. Quomodo nos et Paulus hortatur dicens : « Precationi instan» tes [2], » ac rursus, « Indesinenter orate [3] ? » Nam si verba proferre in longum non oportet, et tamen assidue orare, hoc cum illo pugnat. Non inter se pugnant ista. Absit : sed magnopere inter se congruunt. Siquidem et Christus et Paulus jussit breves, sed crebras fieri precationes ex paucis intervallis. Nam si in longum extenderis verba, cum frequenter parum sis attentus, multam audaciam diabolo suppeditasti, ut accedat supplantetque, ac mentem ab iis quæ dicuntur avocet. Quod si frequenter ac subinde oraveris, tempus omne crebris dirimens intervallis, facile poteris esse sobrius ac vigilans, ut precationem multa cum attentione perficias. Quod sane hæc fecit, dum non longo sermone, sed crebris ac frequentibus precibus adiit Deum. Deinde posteaquam sacerdos illi occlusit os ; nam hoc est quod ait : « Observabat os ejus, et labia ejus movebantur, vox » autem illius non audiebatur [4] : » coacta est obedire sacerdoti, et ab orando desistere. Et vox quidem illi interclusa est, at non est exclusa fiducia, sed vehementius etiam cor clamabat intus. Nam illa potissimum est precatio, cum ab intimis voces sursum feruntur : hoc præcipue mentis est exercitatæ, non intentione vocis, sed animi fervore precationem absolvere.

III. Sic oravit et Moses : cui, cum nihil voce resonaret, Deus tamen : « Quid, inquit, clamas ad me [5] ? » Homines quidem externam hanc vocem tantum audiunt, at Deus et

[1] Luc. XVIII, 3. — [2] Rom. XII, 12. — [3] 1 Thess. V, 17. — [4] 1 Reg. I, 12, 13. — [5] Exod. XIV, 15.

ante hanc intus inclamantes audit. Itaque fieri potest, ut etiam qui non clamant audiantur, ut per forum ambulans quis oret accuratissime, et in consessu amicorum aliorumque, quidvis aliud agens vehementi clamore invocet Deum, clamore inquam interno, etiamsi nihil faciat, quod a quoquam præsentium sentiatur. Quod sane tum hæc fecit mulier : « Vox, inquit, illius non audiebatur, » et exaudivit illam Deus. Tantus erat illius clamor internus. « Et dixit » illi puer Heli : Quousque eris ebria? Discute vinum tuum » abs te, et recede a conspectu Domini [1]. » Hic potissimum licet hujus mulieris philosophiam perspicere. Domi exprobrabat æmula, venit in templum, et sacerdotis puer afficit illam contumelia, et increpat ipse sacerdos. Effugerat domesticam tempestatem, venit in portum, et rursus invenit fluctus : venit acceptura medicamen, sed addita est probrorum plaga, qua vulnus cresceret, nedum curaretur. Scitis enim quomodo animi mœrentes adversus contumelias et convitia sint affecti. Sicut enim acerba vulnera ne levem quidem manus contactum ferunt : sic et animus perturbatus ac morosus, ad omnia indignatur, levique verbo mordetur et offenditur. Verum hoc non accidit huic mulieri, ne tum quidem cum a puero convitiis peteretur (5). Nam si sacerdos fuisset convitiatus, non erat perinde miranda tolerantia : dignitatis quippe magnitudo, ac magistratus auctoritas vel invitam illam compulisset ad modestiam. Nunc vero nec adversus sacerdotis puerum indignata est : quo magis etiam sibi conciliavit Deum. Sic quoties opprobriis milleque malis affecti, convitiantes generoso ferimus animo, majorem nobis a Deo benevolentiam conciliamus. Et unde hoc liquet? ex his quæ evenere Davidi. Quid autem illi evenit? Exulabat aliquando e patria, simul et de libertate et vita sua periclitans, et exercitu adversus

[1] 1 Reg. 1, 14.

intemperantem illum juvenem tyrannum ac parricidam instructo, errabat in desertis : nec tamen indignatus est, nec despondit animum apud Deum, neque dixit : « Quid tandem hoc rei est? permisit ut filius insurgeret adversus illum, a quo genitus est : qui etiamsi quid haberet, de quo juste queri posset, non oportuit tamen id facere. Nunc vero nec in parvo nec in magno læsus a nobis obambulat, cupiens dextram paterno sanguine polluere, et Deus hæc videns patitur. » Sed nihil horum dixit. Quin quod profecto majus est et admirabilius, errantem et undique expulsum Semeï quidam vir improbus ac scelestus insectatus est, homicidio pollutum et impium appellans aliisque innumeris convitiis impetens. At ne sic quidem fuit exasperatus. Quod si quis dixerit : « Quid mirum si non ultus est, cum propter imbecillitatem ulciscendi potestatem non haberet? » Primum illud dixerim : « Non perinde mirarer eum, si diadema gestans et regno potiens, inque solio sedens convitiantem pertulisset, ut nunc illum et laudo, et admiror tempore calamitatis philosophantem. Nam illic et imperii magnitudo, et convitiantis vilitas sæpe persuasit, ut contumeliam negligeret. » Multi reges frequenter similem animi moderationem præstiterunt, qui insignem convitiantium insaniam acceperunt pro excusatione. Neque enim æque nos in rerum prosperitate atque in adversis opprobria mordere solent : sed ubi concidimus, tunc magis pungunt nos, acriusque mordent convitia. De hoc porro aliud quiddam licet addere, videlicet quod illi fuerit in manu vindictam sumere, nec sumpserit. Atque uti perspicias eam animi moderationem non fuisse impotentiæ, sed patientiæ, cum id dux exercitus cuperet sibi committi, ut ad convitiantem transiret, ejusque caput amputaret, non solum non permisit David, verum etiam indignatus est, dicens : « Quid mihi tecum, fili Sar-» viæ; sinite illum maledicere, ut videat Dominus humili-

» tatem meam, et reddat mihi bona pro maledictis hujus in » die hoc [1]. » Quod quidem et evenit.

IV. Vides Justum intellexisse magno animo perpeti convitia, occasionem esse adipiscendæ gloriæ? Hanc ob causam Saülem aliquando nactus inter geminum parietem, cum esset occidendi facultas, pepercit, idque cum comites hortarentur, ut gladio confoderet. Sed neque tam prompta occidendi facultas, neque comitum qui aderant provocatio, neque multarum injuriarum, quas perpessus fuerat, memoria, neque graviora patiendi periculum, ad stringendum gladium illum impellere potuerunt. Tametsi neque exercitus manifestus homicidii futurus erat, si cædem illam patrasset. Siquidem spelunca erat, nec ullus alius aderat, nisi ipse solus (4). Neque dixit quod quispiam adulterium commissurus dicebat : « Tenebræ circum me et muri, quid » timeo [2]? » sed insomnem oculum spectabat, et sciebat infinitis partibus splendidiores esse sole Domini oculos. Idcirco sic omnia agebat et loquebatur tanquam ipso præsente, et de iis quæ dicebantur, judicium ferente. Ait ergo, « Non inferam manum meam in Christum Domini [3]. » Non respicio improbitatem, sed respicio dignitatem. Neque mihi dicat aliquis illum esse violentum ac nefarium : ego enim Dei calculo honorem defero, quamvis indignus iste videatur. Non enim meum est hoc crimen, quod hic honore videatur indignus. Audiant qui sacerdotes aspernantur, discant quantam hic regi reverentiam exhibuerit. Tametsi multo dignior est honore ac veneratione sacerdos, quam rex, quanto ad majorem etiam vocatus est principatum. Discant non judicare, nec pœnas exigere, sed subjici ac cedere. Nam tu quidem vitam sacerdotis minime nosti, quantumvis abjectus ille sit ac vilis : hic vero cuncta probe noverat quæ Saül patrarat : nihilominus sic delatum illi a

[1] 4 Reg. xvi, 10-12. — [2] Eccli. xxiii, 26. — [3] 1 Reg. 24, 7.

Deo principatum reverebatur. Quod autem, quamvis eos probe noveris, venia tamen et excusatione indignus sis, si magistratus contemnas, nec eorum dictis obtemperes, audi quo pacto hunc nobis prætextum per ea Christus eripuerit, quæ in Evangelio dixit: « Super cathedram Moysi sederunt » Scribæ et Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vo- » bis facienda facite, secundum vero opera eorum nolite » facere [1]. » Vides-ne quo pacto quorum adeo depravati erant mores, ut digni essent, qui a Discipulis reprehenderentur, eorum tamen adhortationem non aspernatus est, neque doctrinam rejecit? Hæc non eo dico, quod sacerdotes velim accusare: absit; siquidem vos conversationis ac pietatis eorum testes estis; sed ut longe majorem illis reverentiam et honorem exhibeamus. Neque enim adeo in illos, atque in nos ipsos utilitas dimanabit. « Qui recipit » ergo Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ » accipiet [2]. » Si enim de nostra invicem vita judicium ferre prohibemur, multo magis de patrum vita: sed quod dicere instituera m; rursus enim ad hanc redire mulierem oportet; quotiescumque convitia excelso ferimus animo, multorum nobis bonorum causam id fieri, possumus et ipsi Job cernere contigisse. Neque enim illum perinde miror, priusquam esset ab uxore instigatus, ut post illud perniciosum consilium. Verum ne cui videatur incredibile quod narro, frequentor quos ipsa rerum natura non subvertit, verbum corruptaque exhortatio devicit. Quod cum non ignoraret diabolus, post inflictum vulnus, ut experiretur, etiam per sermones fecit insultum, quod etiam fecit in Davide. Posteaquam enim vidit illum generose tulisse filii rebellionem, et impiam illam tyrannidem, volens supplantare Davidis mentem, atque ad iracundiam movere, aggressus est illum amarulentis Semeï verbis, hoc agens, ut morderet animum

[1] Matth. xxiii, 2, 3. — [2] Id. x, 41.

illius. Hoc ipsum et in beatum Job astu molitus est. Ut enim perspexit et illum sua deridere jacula, neque secus atque turrim quamdam adamantinam adversus omnia fortiter consistere, obarmavit in eum uxorem, quo videlicet non esset suspectum consilium, et venenum verbis fœminæ texit, calamitatem exaggerans. Quid igitur ille magnanimus? « Cur locuta es, inquit, sicut una de stultis mulieribus. » Si bona accepimus de manu Domini, mala non excipie- » mus [1]? » Quod autem hic dicit hunc sensum habet : « Si non esset, inquit, Dominus, neque tanto nobis excellentior, sed amicus aliquis pari conditione, quam haberemus excusationem, si tot tantisque affecti beneficiis, etiam contrariis eum remuneraremur? » Vides ut vir Deum diligens, nec effertur animo, nec gloriatur, quod plagas illas humanam naturam excedentes fortiter toleret, neque suæ sapientiæ vel magnanimitati tribuit tam insignem tolerantiam; sed quasi debitum exolvisset, nihilque præter æquum accidisset, ita strenue mulieri os occlusit? Idem factum est in hac muliere. Nam simul ut Satanas perspexit eam magno animo ferre sterilitatem, immisit sacerdotis puerum, qui magis illam exacerbaret. At nihil horum accidit mulieri : sed domi parata ad perferenda maledicta, æmulæque convitiis exercitata, intrepide adversus ejusmodi assultus ferendos se accingebat. Quapropter in templo multam præstitit humanitatem, viriliter et magno animo scommata perferens, dum vocatur temulenta ac vinolenta. Nihil autem vetat et ipsa mulieris audire verba. Cum enim puer dixisset : « Digere vinum tuum abs te, et recede a conspectu » Domini : » respondit Anna, et dixit : « Nequaquam, do- » mine [2]. » Qui contumeliose locutus fuerat, eum appellat dominum. Non dixit quod plerique solent homines : « Ista-ne sacerdos? ita qui alios docet, temulentiam ac vinolentiam

[1] Job. II, 10. — [2] 1 Reg. I, 14, 15.

mihi exprobrat?» Sed illud spectabat, quomodo suspicionem depelleret, licet falsam.

V. Nos contra, si quando convitiis appetimur, cum oporteret excusare et in gratiam redire, excitamus incendium, ac ferarum in morem insilimus in convitiatores, præfocantes, trahentes, pro dictis pœnam reposcentes, atque his ipsis factis suspicionem de nobis confirmamus. Nam si cupis exprobrantibus ostendere te non esse temulentum, ostende per mansuetudinem, ostende per humanitatem, non per contumelias et convitia. Nam si percusseris eum, qui te afficit convitiis, temulentiam tuam condemnaturi sunt omnes. Sin magno pertuleris animo, factis ipsis depuleris malam de te suspicionem : id quod tum hæc fecit mulier. Cum enim diceret : « Nequaquam, domine : » res ipsa declaravit falsam esse illius suspicionem. Unde autem hoc vel suspicari potuit sacerdos? Num ridentem vidit? num saltantem? num titubantem et concidentem? num audivit verbum obscœnum, aut illiberale? Unde igitur concepit hanc suspicionem? Haud ille quidem temere, nullaque de causa; sed ex diei tempore, erat enim meridies cum precaretur illa. Unde hoc liquet? Ex iis, quæ locum hunc præcedunt. « Surrexit, inquit, Anna, postquam illi comederant et biberant in Selom, et post potum constitit in conspectu Domini [1]. » Vide-ne? Quod omnes faciunt tempus relaxationis, illa fecit tempus precationis; post convivium accurrens ad supplicationem, fontes lacrymarum emisit, mentemque præ se tulit sobriam ac vigilantem : ac post epulas adeo intente oravit, ut donum acciperet supra naturam, solveretque sterilitatem, ac naturæ imbecillitatem corrigeret. Hoc igitur a fœmina lucri consecuti sumus, ut sciamus et post convivium orare. Quisquis enim ad hoc præparatus fuerit, nunquam in ebrietatem aut vinolentiam incidet, nunquam

[1] 1 Reg. 1, 9.

crapula disrumpetur : sed quoniam expectationem precationis habet pro freno impositam animo, conveniente mensura attinget ex omnibus quæ fuerint apposita, multaque benedictione tum animam, tum corpus implebit. Convivium enim quod a precatione cœptum in precationem desinit, nunquam deficiet, sed quovis fonte uberius nobis omnia afferet bona. Ne igitur tantum negligamus lucrum. Absurdum enim fuerit, si cum famuli nostri, si quando partem aliquam eorum, quæ nobis apposita sunt, acceperint, nobis gratias agant, beneque nobis precantes abeant, nos, cum tot tantisque fruamur bonis, ne hoc quidem honoris Deo persolvamus, licet hinc multam simus assecuturi securitatem. Ubi enim precatio et gratiarum actio, eo sancti Spiritus advenit gratia, abiguntur dæmones, et omnis adversaria potestas diffugit ac discedit. Qui se conversurus est ad orandum, non audet quidquam absurde loqui, ne in medio quidem convivio : aut si locutus fuerit, mox resipiscit. Proinde oportet tum in initio, tum in fine convivii gratias agere Deo, ob hanc præcipue causam, quod ut dicere cœperam, haud facile prolabemur in ebrietatem, si nos ipsos in hanc consuetudinem constituerimus. Quin si quando surrexeris crapula potuque gravatus, ne sic quidem abjicies consuetudinem : sed quamvis habeamus gravatum caput, quamvis vertigine circumferamur, et concidamus, nihilo secius tamen oremus, nec aboleamus consuetudinem. Etenim si præcedenti die ad hunc oraveris modum, postridie corriges dedecus pridie commissum. Quoties igitur prandebimus, meminerimus hujus mulieris, et illius lacrymarum, nec non præclaræ ejus ebrietatis. Nam ebria erat mulier, non e vino, sed ex abundantia pietatis. Etenim si post prandium talis fuit, qualis erat sub auroram? Si tam instanter oravit post cibum et potum, qualis erat jejuna?

VI. Redeamus igitur denuo ad verba illius, verba multæ plena philosophiæ, multaque referta mansuetudine. Cum enim dixisset : « Nequaquam, domine, » subjecit : « Mulier in » duro die sum ego, vinum, et quod inebriat, non bibi [1]. » Observa quomodo nec hic commemorat æmulæ convitia, neque traducit illius malitiam, nec domesticam calamitatem exaggerat evulgans, sed hactenus aperit suam anxietatem, ut tantum sese apud sacerdotem purgaret. « Mulier in » duro die ego sum, vinum, et quidquid inebriat non bibi, » sed effundo animam meam coram Domino. » Non ait : « Deprecor Dominum, supplico Domino, « Sed effundo animam » meam coram Domino [2] : » hoc est, meipsam totam converti ad Dominum, mentem meam evacuavi apud illum, toto animo, totaque virtute precationem meam peregi. Deo narravi calamitatem meam, ostendi vulnus, ille potest dare remedium. « Ne des ancillam in faciem, in filiam pestilentem [3]. » Rursus ancillam appellat seipsam, multam adhibens curam, ne a sacerdote malam referat famam : nec apud se dixit : « Quid mihi curæ est istius calumnia? ignoranter ac temere accusat, suspicatur ubi nihil erat opus; mea conscientia pura esto, et omnes me traducant : » sed apostolicam illam implevit legem, quæ præcipit ut provideamus bona non tantum coram Domino, sed etiam coram hominibus [4]. Atque omni modo suspicionem depulit, cum ait : « Ne des ancillam tuam in faciem, in filiam pestilen- » tem. » Quid autem est, « In faciem? » Ne me existimes effrontem et impudentem esse. Angoris, non vinolentiæ est hæc audacia : mœroris, non ebrietatis. Quid igitur sacerdos? Considera et illius prudentiam. Non inquisivit curiose de genere calamitatis, non exactius scrutatus est angoris causam : sed quid ait? « Vade in pace, det tibi Dominus

[1] 1 Reg. 1, 15. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 16. — [4] Rom. xii, 17.

» Deus Israël omnem petitionem, quam ab eo petisti[1]. » Mulier ex accusatore fecit patronum. Tantum bonum est humanitas ac mansuetudo. Pro contumelia copioso accepto viatico discessit, eumque nacta est propugnantem et intercessorem, quem habuerat objurgatorem. Ac ne sic quidem destitit, sed rursus ait : « Inveniat ancilla tua gratiam in » oculis tuis[2] : » hoc est, utinam e fine rerumque exitu discas me hanc precationem obsecrationemque fecisse, non ex vinolentia, sed ex angore : « Et cum abiit, inquit, non » amplius concidit[3]. » Vides mulieris fidem? priusquam acciperet quod postularat, perinde confisa est, quasi jam accepisset. In causa erat, quod oraret multo cum fervore, multoque studio citra ullam hæsitationem. Hanc ob rem abiit quasi totum impetrasset. Quin insuper Deus jam totam anxietatem illi excussit ex animo, largiturus donum, quod petebat. Hanc fœminam imitemur et nos, et in omnibus afflictionibus ad Deum confugiamus. Et si nobis non fuerint liberi, ab illo postulemus, quos si acceperimus, multa cura educemus : adolescentes cum ab omni vitio sevocemus, tum præcipue a lascivia, quod hoc difficile sit bellum, nec alia res molestior sit illi ætati, quam hic morbus. Undique igitur circumvallemus illos consiliis, adhortationibus, terroribus, minis. Si hanc devicerint cupidinem, nec ab aliis facile expugnabuntur, sed et pecuniis erunt superiores, et temulentiam vinolentiamque superabunt, et improbos convictus omni studio discutient, et amabiliores erunt parentibus, et omnibus hominibus magis reverendi. Quis enim non revereatur juvenem caste sobrieque viventem? Quis non amplectatur, exosculeturque eum, qui cupiditatibus frenum imposuit? Quis non vel e numero prædivitum multa cum gratia volet illic locare filiam suam, etiamsi fuerit omnium pauperrimus? Sic e diverso luxu-

[1] 1 Reg. 1, 17. — [2] Ibid. 18. — [3] Ibid.

riose viventem, etiamsi fuerit omnium opulentissimus, nemo tam miser est, nemo tam abjectæ fortunæ, ut sibi generum velit asciscere. Contra nullus adeo stultus est, ut sobrium ac pudicum rejiciat, ac dedecore afficiat. Ut igitur filii et hominibus reverendi fiant, et Deo amabiles, exornemus illorum animos, cumque pudicitia ad conjugium perducamus. Sic enim illis velut e fonte provenient omnia, et Deum habituri sunt propitium, ac præsentis futuræque vitæ gloria perfruentur. Quam assequi contingat nobis omnibus gratia et bonitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, gloria, honor, imperium, simul cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

DE ANNA III.

De Anna, deque Samuëlis educatione, et quod utilis sit in pariendo tarditas, et quod periculosum sit liberos negligenter habere.

I. Nisi videor aliquibus fastidio et oneri esse, volo idem argumentum rursum attingere, de quo vobis nuper disserui: vosque ad Annam introducere, atque in pratum virtutum illius inducere sermonem: pratum, inquam, non quod rosaria profert, aut flores qui marcescunt, sed quod precationem, ac fidem, magnamque tolerantiam. Siquidem hæc vernis floribus longe præstant odore, ut quæ non aquarum fontibus, sed lacrymarum imbre rigantur. Neque enim perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, ut plantam precationis fontes lacrymarum irrigantes in summam altitu-

dinem deducunt. Quod huic contigit mulieri. Simul enim ut locuta est, subvolavit in cœlum ejus deprecatio, ac fructum ipsi produxit tempestivum, sanctum videlicet Samuëlem. Nolite igitur moleste ferre, si rursus idem argumentum tractare incipimus. Neque enim eadem dicemus, sed nova quædam ac recentia. Nam in convivio corporali, ex eodem obsonio multa eduliorum genera potest aliquis conficere. Quin et aurifices videmus ex eadem auri massa, et armillas, et torques, aliasque multas res aureas fingere. Quanquam enim ejusdem generis est materia, ars tamen est varia, nec coarctatur similitudine materiæ subjectæ, quod ipsa sit copiosa, variique artificii : quod si res istius vitæ sunt ejusmodi, multo vero magis spiritus gratia. Nam quod gratiæ mensa sit varia, multiformis, et opipara, audi Paulum dicentem : « Alii quidem per Spiritum datur sermo » sapientiæ, alii vero sermo scientiæ, alii rursus fides, alii » vero dona sanationum, subventiones, gubernationes, ge- » nera linguarum. Hæc autem operatur unus et idem Spi- » ritus, dividens seorsum cuique ut vult [1]. » Vides quam varia sit? Multa, inquit, flumina, sed unus est fons. Varia sunt edulia, sed unus est convivator. Ergo cum tam magna, tamque multiplex sit Spiritus gratia, ne defatigemur. Vidimus eam sterilem; vidimus eam factam matrem; vidimus lacrymantem; vidimus gaudentem; tum simul cum illa indoluimus, simul cum illa gaudio afficiamur et hodie. Sic et Paulus jubet « Gaudere cum gaudentibus, flere cum flen- » tibus [2]. » Id vero faciendum est, non solum super iis, qui nobiscum vivunt, sed ut super iis, qui olim nati fuerint. Ac ne quis mihi dicat : « Quid fructus capiam ab Anna, et ab illius commemoratione? » Nam et orbæ hinc poterunt discere quomodo possint fieri matres : rursus matres scient quæ sit optima ratio liberos educandi. Nec fœminæ tan-

[1] 1 Cor. XII, 8-11. — [2] Rom. XII, 15.

tum, sed et viri plurimum ab hac historia fructus auferent, si hinc didicerint placido mitique erga uxores esse animo, etiamsi sterilitatis vitio laborent, ut Elcana erga Annam fuit affectus. Nec vero hoc solum, sed et aliud eo majus lucrifacient, cum didicerint patres omnes oportere liberos, qui nati fuerint, educare Deo. Ne igitur quoniam pecunias et argentum accipere ex hac narratione non licet, existimemus sermonem nobis infrugiferum esse, sed ob idipsum arbitremur lucrosum et utilem, quod non aurum argentumve, sed quod iis longe majus est, animi pietatem, cœlestesque thesauros nobis ostendit, docens quo pacto periculum omne depellamus. Siquidem largiri pecuniam hominibus in proclivi est : at corrigere naturam, ac talem mœrorem excutere, talem animi cruciatum tollere, animam jamjam collapsuram erigere, nulli quidem hominum, sed soli naturæ Domino in manu est. Tu vero si cum morbo laborans insanabili, percursa tota civitate, pecunias impendisses, pluribus utens medicis, nec ullum mali solatium reperisses, postea incideres in mulierem, quæ cum eodem morbo teneretur, liberata sit, non desineres obsecrare, rogare, exhortari, ut eum tibi commonstraret, cujus opera fuisset sanata. Nunc vero cum videas Annam in medio stantem, suumque morbum enarrantem, et ejusdem remedium commemorantem, ac medicum commonstrantem, nullis obsecrationibus, nullis precibus adductam, non accedes acceptura remedium, nec audies tota cum attentione historiam? Et quid unquam boni poteris consequi? At alii frequenter magna etiam emensi sunt maria, longinquas peregrinationes susceperunt, pecunias impenderunt, labores perpessi sunt, ut medicum commonstratum in peregrina regione conspicerent, idque cum non admodum certa esset fiducia, ut prorsus morbo liberarentur. At tu, o mulier, cum non sis initura profectionem transmarinam,

nec ultra patriæ fines demigratura, nec laborem similem perpessura: et quid dixi, ultra patriæ fines, cum nec ipsum domus limen transire cogaris, sed vel in ipso thalamo possis convenire medicum, citraque mediatorem cum illo colloqui de quibuscumque volueris; « Deus enim, inquit, ap» propinquans ego sum, et non Deus procul [1], » differs et cunctaris? Et quam habitura es excusationem? quam consequeris veniam, si cum proclivem et undique facilem viam invenire possis, qua ab urgentibus malis libereris, per socordiam tuam ipsius salutem prodideris? Hic enim medicus non sterilitatem solum, sed et omne morborum genus tum corporis, tum animi sanare potest, si velit tantum. Neque id solum mirandum est, quod citra laborem, sine peregrinatione, sine impendiis, absque intercessoribus curationem adhibet, verum etiam quod citra dolorem. Neque enim ferro ignive curat malum, ut cæteri medici faciunt: sufficit vel simplex nutus, ac protinus omnis angor, omnis dolor, omne malum fugit, atque exulatum abit.

II. Ne cunctemur igitur, neve procrastinemus, licet pauperes simus, et ad extremam redacti egestatem. Neque enim hic numeranda est pecunia, ut inopiam possimus obtendere. Hic nimirum medicus non argentum pro mercede petit, sed lacrymas, preces ac fidem. Hæc si portans ad illum accesseris, quidquid omnino postularis accipies, multoque cum gaudio discedes. Id sane cum multis ex rebus cognoscere licet, tum vero præcipue ex hac muliere, quæ non aurum, non argentum exhibuit, sed preces, fidem, et lacrymas obtulit, atque ita quidquid petiit consecuta discessit. Proinde ne putemus hanc narrationem nobis infrugiferam esse, quandoquidem « Hæc scripta sunt ad correp» tionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt [2]. » Sed adeamus eam, discamus quomodo liberata sit a malo,

[1] Jer. xxiii, 23. — [2] 1 Cor. x, 11.

et quid egerit morbo levata, et quo pacto fuerit usa munere a Deo dato. « Sedit, inquit, et lactavit Samuëlem [1]. » Vide quomodo conspiciebat deinceps infantem illum, non tantum ut infantem, verumetiam ut rem Deo consecratam : eoque matri geminus amoris stimulus insitus est, alter a natura, alter a gratia. Ac mea quidem sententia, etiam reverebatur puerum suum, et merito. Etenim si qui phialas poculave aurea Deo dicaturi sunt, posteaquam ea jam confecta acceperint, domique reposuerint, non ea quasi profana vasa intuentur, sed tanquam Deo sacra, nec audent ea temere citraque causam attingere, sicut cætera : multo magis hæc mulier simili animo attendebat ad puerum etiam priusquam illum in templum induceret : et diligebat impensius filium, et curabat tanquam Deo dicatum, existimans se per illum sanctificatum iri, quando domus ipsius jam erat facta templum, ut quæ Prophetam ac sacerdotem intra se contineret. Non solum autem ex eo quod illum Deo spopondit, verumetiam ex hoc quod non ausa sit ascendere in templum, priusquam ablactasset infantem, ejus pietatem licet perspicere. Ait enim viro suo : « Non ascen» dam donec ascendat puer mecum : cum autem ablacta» vero illum, offeretur in conspectu Domini, et sedebit illic » in ævum [2]. » Vides-ne ? Non existimabat esse tutum, illo domi relicto, ascendere in templum, quod cum accepisset donum, non sustineret absque dono comparere. Rursus adducto illo, ac mox recepto, descendere verebatur : ideo tanto tempore remansit, ut cum dono compareret. Adduxit ergo, ac reliquit, nec puer a mamma divulsus moleste tulit, licet sciatis quam soleant indignari pueri quoties a lacte depelluntur. Verum nec ipse puer ægre tulit a matre divulsus, sed ad Dominum respexit, qui ipsam matrem fecerat: nec ipsa mater doluit a puero sejuncta, quia naturalem

[1] Reg. 1, 22, — [2] Ibid.

affectum vicit interveniens gratia, et uterque se cum altero existimabat: quemadmodum eodem in loco fixa vitis, in longum producit palmites, et uva multo intervallo pendens, radici hæret: itidem et in hac accidit fœmina, quæ in urbe manens usque ad templum extendit suum palmitem, atque illic uvam suspendit maturam: nec intervallum illud ullum attulit impedimentum, cum charitas, quæ secundum Deum est, puerum matri copularet. Quanquam enim ætas erat immatura, virtus tamen aderat matura: ascendentibusque in templum omnibus multæ religionis magister factus est. Nam illi dum inquirerent discerentque modum natalium illius, abunde magnum solatium accipiebant spei quæ est erga Deum. Neque quisquam, viso puero, tacitus descendebat, sed omnes glorificabant illum, a quo præter spem datus erat. Hanc ob causam Deus distulit partum, ut hanc augeret voluptatem, ut mulierem redderet illustriorem. Nam quicumque calamitatem ejus noverant, ii testes facti gratiæ Dei : et quod longo tempore mansit in orbitate, effecit, ut et ipsa multis esset notior, et ab omnibus beata prædicaretur, esseteque in admiratione : hincque factum, ut per illam Deo gratias agerent quam plurimi. Hæc ideo loquor, ut etiamsi nos fœminas sanctas noverimus in orbitate aut in alia ærumna degentes, ne moleste feramus, neve indignemur, nec dicamus apud nosipsos : « Quare Deus despexit mulierem tanta pietate præditam, nec dedit prolem ?» Neque enim ista sunt negligentis, sed hoc nobis expedire melius scientis quam nos ipsi scimus. Ascendit igitur in templum, et agnum induxit in ovile, ac vitulum perduxit ad armentum, et in pratum deduxit rosam a spinis liberam, rosam, inquam, quæ nunquam marcescit, sed floret perpetuo, quæque possit ad ipsum usque cœlum extendi, cujus fragrantia in hodiernum usque diem potiuntur omnes qui terrarum incolunt orbem.

Tantus annorum numerus præteriit, et tamen virtutis illius fragrantia semper augescit, nec tanta temporis magnitudine facta est languidior. Talis enim est rerum spiritualium natura.

III. Ascendit igitur præclarum illud germen transplantans, et quemadmodum industrii agricolæ primum semen in terram deponunt, cupressi, aut aliarum arborum similium : deinde ubi conspexerunt a semine factam arborem, non relinquunt in eadem terra, sed inde revulsam in aliud transferunt solum, ut terra in recens gremio suo exceptam illius radicem, puram et integram vim suam proferat ad eam alendam : sic et hæc fecit mulier, quæ puerum præter spem proseminatum in utero a domo transtulit, et in templum transplantavit, ubi perpetuæ sunt fontium scatebræ et irrigationes spirituales, ut videre licuerit illud propheticum in illis impleri, quod David dixit, ita canens : « Beatus vir qui non ambulavit in consilio impiorum, et in via » peccatorum non stetit, et super cathedram pestilentiæ non » sedit : sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus medi- » tabitur die ac nocte : et erit tanquam lignum quod planta- » tum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit » in tempore suo [1]. » Neque enim post malitiæ experientiam venit ad malitiæ remissionem, sed ab ipsis cunabulis virtutem elegit, non habuit consortium cum consessibus iniquitati obnoxiis, neque communionem habuit cum conventiculis impietate plenis : sed prima statim pueritia, a mamma matris venit ad mammam spiritualem. Et quemadmodum arbor perpetua irrigatione in magnam excrescit altitudinem : sic et hic divinorum eloquiorum doctrina assidue irrigatus, ad virtutis fastigium pervenit. Age videamus quomodo illum plantarit; sectemur mulierem, simul cum illa templum ingrediamur. « Ascendit, inquit, cum » illo in Selom in vitulo trienni [2]. » Jam geminum fit sacri-

[1] Psal. 1, 1-3. — [2] 1 Reg. 1, 24.

ficium : et erat vitulus hic irrationalis, ille rationalis : et illum quidem sacerdos immolavit, hunc vero dedicavit mulier. Eratque mulieris victima melior quam hostia, quam obtulit sacerdos, hæc suorum viscerum facta est sacerdotissa. Imitata est patriarcham Abraham, cumque illo certamen suscepit. Sed ille quidem filium receptum reduxit de monte, hæc vero reliquit in templo, ut illic perpetuo maneret. Quin potius ille quoque totum dedicavit : cave enim illud spectes, quod non occidit, sed quod animo totum peregit. Vidisti fœminam cum viro decertantem? Vidisti nihil a sexu vetitam, quominus æmularetur Patriarcham? Sed videamus, quomodo illum consecrarit : « Adiit, inquit Scriptura, sacerdotem, ac dixit illi : In » me, domine, » Quid tandem est illud, « In me? » Ausculta, inquit, diligenter quæ loquar. Quoniam multum temporis jam intercesserat, studet illa quæ prius dicta fuerant in memoriam revocare? ideoque dicit : « In me, » domine. Vivit anima tua. Ego sum mulier, quæ constiti » in conspectu tuo deprecans Dominum pro puero hoc. » Effudi preces ad Dominum, et ille dedit mihi petitionem » quam petebam ab eo. Et ego commodo illum Domino, » ut serviat Domino omnibus diebus vitæ suæ [1]. » Non dixit : « Ego sum illa mulier, cui tu exprobrasti, quam maledictis impetisti, quam velut tumulentam et ebriam derisisti; ideo Deus tibi declaravit me non esse vinolentam, te vero crimen hoc temere mihi impegisse : » nihil hujusmodi verborum asperorum dixit, sed multa cum mansuetudine loquitur, licet haberet rerum eventum sibi patrocinantem, ac jure posset exprobrare sacerdoti, quod id temporis ipsam temere citra causam incusasset : nihil horum facit, sed tantum commemorat Dei erga se beneficentiam. Considera vero gratum ac prudentem an-

[1] 1 Reg. 1, 26-28.

cillæ animum. Cum afflligeretur, nemini suam aperuit calamitatem, nec sacerdoti dixit : « Æmulam habeo mulierem, quæ mihi exprobrans convitiansque, chorum habet liberorum : ego vero, quæ mansuetudinem colo, ad hunc usque diem nondum potui fieri mater : sed Deus conclusit vulvam meam, cumque videret afflictionem meam, non est misertus. » Nihil horum dixit, sed, suppresso calamitatis genere, tantum indicavit se animo angi, dicens : « Mulier » in duro die ego sum, » nec illud quidem dictura, nisi sacerdos huc compulisset, suspicans eam esse temulentam. At posteaquam id vulnus sustulit, Deo dante quod postularat, tum demum Dei beneficentiam aperit sacerdoti, cupiens illum in agendis gratiis habere consortem, quemadmodum prius habuerat in precando, aitque : « Pro puero » hoc precabar, deditque mihi Dominus petitionem meam » quam petebam ab eo. Et nunc commodo eum Domino. » Vide quam sit modesta. « Ne putes, inquit, me magnam rem aut admirandam facere, quod infantem dedico : non ego hujus boni operis sum auctor, sed persolvo debitum. Depositum enim accepi, et hoc ei restituo qui dedit. » Atque hæc dum loquitur, seipsam quoque dedicavit cum puero quasi catena quadam naturæ affectu seipsam templo alligans.

IV. Etenim si « Ubi est thesaurus hominis, illic est et » cor ejus [1], » multo magis ubi puer mulieris, ibi et mens illius erat, atque uterus illius rursum implebatur benedictione. Nam simul atque hæc dixerat, oraveratque, audi quid loquatur sacerdos Eleanæ : « Reddat tibi Dominus » semen alterum ex muliere ista pro commodato, quod » Domino commodasti [2]. » Initio non dixerat : « Reddat tibi. » Sed quid ? « Det tibi Dominus quidquid postularis. » Verum posteaquam illa Deum fecerat debitorem, ait : « Reddat » tibi, » bonam de futuris spem præbens. Etenim si dedit,

[1] Matth. VI, 21, et Luc. XII, 34. — [2] 1 Reg. II, 20.

cum nihil deberet, multo magis redditurus est, postquam accepit : et hic ergo primus ex precatione, et post hunc cæteri ex benedictione duxerunt originem, totus autem mulieris fructus sanctificatus est. Atque hic primogenitus fœminæ virtuti debebatur : alter vero mulieris ac sacerdotis erat communis, et sicut terra pinguis ac fertilis, postquam accepit semina, ostendit nobis vernantes segetes : sic et mulier hæc, quoniam cum fide excepit verba sacerdotis, alias nobis lætas spicas produxit, veteremque maledictionem Evæ mutavit, pariens ex precatione ac benedictione. Et tu igitur, o mulier, hanc æmulare, et si sterilis fueris, talem precationem exhibe, sacerdotem accerse, ut tecum suscipiat apud Deum legationem. Omnino si cum fide verba exceperis, patrum benedictio in fructum exibit præclarum ac maturum. Quod si mater fueris, ad hujus exemplum consecra filium tuum Deo : illa in templum adduxit, tu teipsam regium templum redde. « Membra, » inquit, vestra corpus Christi sunt, ac templum sancti » Spiritus, qui est in vobis [1]. » Ac rursus, « Inhabitabo, in- » quit, in vobis, et inambulabo [2]. » Annon absurdum est nos domum veterem, ruinam minitantem fulcire, pecunias impendentes, fabros accersentes, et nihil non facientes : domum autem Dei, nam Dei domus esse debet adolescentis anima, ne vulgari quidem dignari cura? Vide ne idem audias, quod olim audiere Judæi. Nam illi, postea- quam a captivitate reversi, templum materiale neglectum viderunt, et ædes suas exornarunt. adeo Deum exasperarunt, ut non solum mitteret eis Prophetam, qui famem minitaretur, magnamque rerum necessariarum penuriam, sed hanc etiam comminationis causam eloqueretur. « Vos » quidem habitatis in domibus laqueatis : domus autem » mea deserta est [3]. » Quod si illius templi neglectus tan-

[1] Cor. VI, 19. — [2] Cor. VI, 16. — [3] Agg. I, 4.

tam excitavit iram Numinis, multo magis hujus templi neglectus ad iracundiam provocabit Dominum. Siquidem hoc templum tanto est illo honoratius, quanto plura habet sanctimoniæ symbola. Cave igitur ne templum Dei fiat spelunca latronum, ne et alteram audias objurgationem, qua Christus objurgavit Judæos, dicens : « Domus Patris » mei, domus precationis est : vos autem fecistis eam spe» luncam latronum [1]. » Sed quomodo fit spelunca latronum? cum patimur illiberales ac serviles concupiscentias libidinemque intrare, sedemque figere in adolescentulorum animis. Tales enim cogitationes perniciosiores sunt latronibus, quæ puerorum ingenuitatem vertunt in servitutem, ipsosque brutis cupiditatibus dedunt captivos, undique confodientes illos, ac mentem illorum multis implentes vulneribus. Quapropter hæc quotidie despiciamus, et verbis pro scutica utentes, omnes id genus affectus ab illorum animis depellamus, quo videlicet filii nobiscum cœlestis civitatis valeant esse participes, et universum cultum qui celebratur illic rite peragere. Annon videtis frequenter eos, qui in urbibus versantur : pueros nuper a lacte depulsos thallophoros, aut agonothetas, aut certaminum præfectos, aut chorearum magistros faciunt? Idem et nos faciamus, a primis statim annis inducamus eos ad disciplinam cœlestem. Siquidem hæc terrena, cum impendium afferat, fructum tamen nullum habet.

V. Nam, quæso te, quis fructus esse possit e populari applausu? Simul ut vespera nos occuparit, illico plausus ille totusque tumultus emarcescit : ac festo peracto, perinde quasi in somnis fuerint deliciati, ita omni voluptate destituti consistunt; nec a corona, nec a magnifica veste, nec a reliquo fastu universo conceptam voluptatem, si quærant, invenire valent, quod omnia illa quovis vento cele-

[1] Matth. xxi, 13, et Luc. xix, 46.

rius prætercurrant. Cæterum in cœlesti vita omnia secus habent : citra impensam lucrum afferunt et copiosum et stabile. Nam illic non homines ebrii, sed Angelorum populus jugiter applaudit rem gerenti. Sed quid dixi, Angelorum populus ? ipse Angelorum Dominus laudabit, et comprobabit illum. Qui vero a Deo laudatur, non uno alterove die, aut tertio, sed in æternum triumphat illic gestans coronam, nec unquam caput illud videbis ea nudatum gloria : neque enim illius celebritatis tempus certis diebus circumscriptum est, sed usque ad futuri sæculi immortalitatem extenditur. Huic cultui nunquam paupertas esse possit impedimento, verum et pauperi licet hoc celebrare festum, imo pauperi maxime, quippe qui ab omni mundi fastu strepituque sit liber : neque enim opus est pecuniarum impendiis et opulentia, sed animo puro, ac mente sobria. Hæc enim est quæ illius vitæ vestes texit animæ, hæc quæ coronas nectit : quæ nisi virtutis officiis fuerit exornata, nulli usui erit auri magna copia : sicut e diverso nec damno erit paupertas, si divitias intus habeat repositas. Hanc celebritatem non modo masculi liberi, sed et filiæ nobis celebrent : neque enim quemadmodum in externa administratione viris tantum imperatum est hoc festum agere, verum et fœminas illud recipit theatrum, et senes, et juvenes, et servos et ingenuos. Ubi enim animi spectaculum est, ibi non sexus, non ætas, non dignitas hujus sæculi, non aliud quidquam impedire potest. Eoque vos omnes exhortor, ut a teneris statim annis et filios et filias hujusmodi functionibus dedatis, et huic vitæ instituto congruentes divitias eis addatis, non aurum defodientes, non argentum congregantes, sed modestiam, sobrietatem, ac pudicitiam, reliquasque virtutes omnes in animis eorum reponentes. Hos enim sumptus exigit illa functio. Si hanc igitur opulentiam tum nobis, tum filiis collegerimus, et in

præsenti vita multum splendoris consequemur, et in futura vita beatam illam vocem audiemus, per quam Christus omnes qui ipsum confessi fuerint, suo ornat præconio. Confessio autem non tantum fit per fidem, verumetiam per opera, adeo ut si hæc absint, veniamus in periculum, ne cum abnegantibus pœnas luamus. Neque enim unus est abnegandi modus, sed multi et varii, quos Paulus nobis describens, ita loquitur : « Profitentur se nosse Deum, sed » factis negant [1], » et rursus, « Si quis suorum, et maxime » domesticorum curam non habet, fidem abnegavit, et est » infideli deterior [2]. » Et iterum, « Fugite avaritiam, quæ est » idolorum cultus [3]. » Cum igitur tot sint abnegandi modi, manifestum est totidem esse confitendi, ac multo etiam plures, quibus omnibus confiteri studeamus, ut et ipsi in cœlis honorem consequamur, gratia et bonitate Domini nostri Jesu Christi per quem, et cum quo Patri gloria, simul cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

DE ANNA IV.

Ad eos qui, collecta relicta, ad theatra ascendunt : et quod non solum utilis sit in Ecclesia versari, quam in theatris, sed etiam jucundius : et de secunda parte precationis Annæ : quodque indesinenter et in omni loco precari oporteat, vel in foro, vel in via, vel in lecto.

I. Haud scio quibus verbis debeam uti hodie. Cum enim videam collectas parum frequentari, Prophetas affici

[1] Tit. I, 16. — [2] I Tim. V, 8. — [3] Coloss. III, 5.

contumelia, Apostolos despici, Patres contemni, eamque contumeliam, qua servi appetuntur, ad ipsum eorum Dominum pertransire, libet quidem accusare; sed, eos qui accusationem hanc audire deberent, non hic video: vos soli adestis, quibus hac admonitione nihil opus est. Verumtamen ne sic quidem silendum est nobis: nam et indignationem, quam nobis moverunt, mitigabimus, unaque cum verbis ejiciemus: et illos ipsos ad ruborem ac verecundiam compellemus, tot in eos accusatoribus immissis, quot nunc auditores estis. Si enim venissent, nostras solum objurgationes audirent: nunc fugitantes nostram increpationem, eadem hæc a vobis audituri sunt omnia. Sic et amici faciunt; postquam non invenerunt quibuscum expostulare volebant, illorum amicos adeunt, qui dicta sua ad illos referant. Idem etiam Deus fecit: omissis iis, qui in se peccaverant, insontem Jeremiam appellat, dicens: « Vides-ne » quid mihi fecerit insipiens filia Juda? » Hac sane de causa nos quoque illos accusando, vos alloquimur, ut hinc profecti eos corrigatis. Quis enim tantum neglectum ferat? semel in hebdomada hic colligimur, et ne hac quidem die sæculares curas posthabere sustinent: et si quis id objiciat, illico paupertatem prætexunt, ac victus parandi necessitatem, urgentesque occupationes, defensionem afferentes quavis accusatione graviorem. Quid enim hoc ipso crimine pejus esse potest, cum aliquid aliud quam divina negotia magis urgens nobis videtur, magisque necessarium? Sane etiamsi maxime verum hoc esset, hæc ipsa defensio esset accusatio, ut dixi: ut autem sciatis istam causationem esse ac prætextum ad segnitiem tegendam, vel me tacente tertius ab hinc dies omnes talia obtendentes redarguet, cum civitas universa migraverit ad Circum, et domus ac fora nefarii illius spectaculi gratia evacuata fuerint. Et hic ne præcipua quidem Ecclesiæ loca compleri videmus:

at illic non modo Circus, sed et cœnacula et domus et tecta, et abrupta loca pleraque occupantur : at neque paupertas, neque occupatio, neque debilitas corporis, non pedum infirmitas, non aliud quidquam tale remoratur insaniam, nulla retinacula non abrumpentem : sed homines senio confecti, juvenibus ac vigentibus avidius illuc concurrunt, canitiem suam dedecorantes, ætatem provectam traducentes, et senectutem præbentes deridendam. Et huc quidem venientes, cum fastidio ac molestia sermones divinos audiunt, angustias, æstum, et suffocationem similiaque causantes : at illic dum et solem nudo capite excipiunt, et proculcantur, protruduntur, magna vi comprimuntur, et infinita alia patiuntur incommoda, non secus quam in amœno prato deliciari sibi videntur. Ideo nobis civitates corruptæ sunt, quia improbi juventutis doctores. Quo enim pacto poteris adolescentem lascive, ac præter decorum se gerentem ad modestiam redigere, cum ipse in canitie tam juveniliter te geras : cum ipse post tot temporum curricula satietate insuavissimi illius spectaculi nondum capiaris ? quomodo poteris filii mores componere? quomodo servum peccantem castigare ? quomodo alterum negligentem monere, cum ipse sic in extrema senectute ineptias? Et siquidem a juvene senex contumeliam patiatur, illico ætatem ei objicit, et sexcentos reperit qui una stomachentur : at quando opus est juvenem ad probitatem reducere, seque illi virtutis ceu regulam exhibere, tum nulla ætatis ratio, sed majore quam ipsi insania ad illicita illa spectacula feruntur. Hæc autem dico, senesque tango, non quod juniores a noxa absolvam et crimine, sed ut hos per illos commonitos habeam. Nam si senes hoc facere non debent, multo magis ne juvenes quidem : illic enim major derisio ac turpitudo, hic autem tanto gravior pernicies, profundiusque præcipitium, quanto concupiscentiæ major vis in

juvenibus, quantoque flamma inest vehementior, quæ incendit omnia, si vel minimum sit nacta fomitem : proclivior enim ad concupiscentias est juventus, eisque longe facilius capitur; ideo majore opus habet custodia, acriore freno, tutiore munitione atque obstaculo.

II. Nec mihi illud objicias, o bone, quod voluptatem habeat hoc spectaculum, sed hoc potius doce, an nullum hæc voluptas damnum afferat. Quod enim ne cum voluptate quidem hæc res conjuncta sit, hinc tibi perspicuum esse potest. Cum a circensibus reverteris, occurre eis, qui ab Ecclesia redeunt, et considera diligenter, uter tandem majore voluptate perfruatur : is-ne qui, Prophetis auditis, et benedictione, ac doctrinæ fructu percepto, simulque Deum pro suis peccatis deprecatus, et conscientia aliquantum exonerata, nec culpa ulla simili sibi conscius : an tu, qui matrem deseruisti, Prophetas contempsisti, Deum affecisti contumelia, cum diabolo choreas duxisti, maledicentibus inter se ac convitiantibus aures præbuisti, temporis denique jacturam fecisti; nec spirituale vel sæculare ullum lucrum inde domum reportes? Itaque vel voluptatis gratia hic adesse oportet, illic enim continuo sequitur damnatio facti, conscientia accusatrix, pœnitentia ob ea, quæ contigerunt, dedecus et opprobrium, ut vix oculos attollere audeas : hic, vice versa, omnia contrario modo se habent, fiducia et oris libertas, et cum omnibus loquendi facultas de omnibus quæ hic audita sunt. Quando igitur in forum te contuleris, et videris omnes ad spectandum concurrere, tu ad Ecclesiam te confestim recipito, et in ea paulisper commoratus, perpetua divini verbi voluptate fruere. Si enim turbæ impetu abstractus illuc perveneris brevi voluptate delinitus, male habebis per totam sequentem diem, atque etiam plures deinceps, tuum ipsius factum damnans : quod si paulisper te cohibueris, integram et securam in reliquum diei voluptа-

tem habebis, Id enim non hic tantum, sed etiam in aliis rebus usuvenire solet : vitium enim momentaneam habet voluptatem, dolorem vero perpetuum : virtus contra laborem brevem, fructum vero cum hilaritate indesinentem. Verbi gratia, precatus est aliquis Deum, lacrymas fudit : modico tempore inter orandum doluit. Alius tota die se oblectavit, deinde eleemosynam dedit, jejunavit, aliud aliquid boni fecit, aut contumeliam passus non regessit convicia : is postquam unico temporis momento perduravit et iram compressit, memoria recte factorum assidue gaudet ac lætatur. At in vitiis contrarium accidit. Intulit quispiam injuriam, aut retulit : deinde domum reversus arrodit cor suum, dum verba sua reputat, quæ toties grave attulere damnum. Quapropter si voluptatem sectaris, fugito juveniles concupiscentias, et temperantiam exerceto, divinis verbis attentus esto. Hæc ideo vobis dicimus, ut vos eadem illis dicendo, et talibus verbis obtundendo, abstrahatis eos ab omni mala consuetudine, utque omnia rationis potius ductu agant persuadeatis : hominum enim, qui temere et sine ratione feruntur, ne diligentia quidem probanda est : id quod vel ex ea quæ instat collecta satis apparebit : dum enim sanctam Pentecostes celebritatem agemus, tanta concurret multitudo, ut magna hic locorum angustia laboretur. Nec tamen hunc conventum magni facio, quandoquidem magis ex more fit, quam religionis ergo. Quid igitur illis miserius, quorum et negligentia tot referta est criminibus, et diligentia nullam laudem promeretur ? quisquis enim zelo pietatis ad hunc cœtum sobrie cupideque accedit, sine intermissione hoc facere debet, et non cum illis, qui in festo tantum confluunt, accedere, et cum illis recedere, ut qui temere pecudis in morem abducatur.

III. Equidem poteram hoc exordium sermonis diutius extendere, verum quoniam scio vos citra nostram monitio-

nem, ut vobis dignum est facientes, plura etiam dicturos, quam dicta sint, ne molestus sim illorum objurgationibus immorando, reliqua vobis omnia committens, ad solitam doctrinam, et ad historiam de Anna revertor. Neque miremini, quod adhuc in eodem argumento hæreamus. Non enim possum mulierem hanc ex animo meo eximere, usque adeo formam animæ ejus ac pulchritudinem admiror. Amo enim oculos nunquam non inter precandum lacrymantes, et os labiaque non accersitis fucis rubricata, sed gratiis Deo agendis ornata, qualia erant hujusce mulieris, cujus philosophiam tantopere admiror : admiror autem magis quod, mulier cum esset, ad hunc modum philosophata est ; mulier, inquam, quæ multum et a multis male audit. « A mu» liere, inquit, initium peccati, per eam omnes morti ob» noxii sumus [1] : » et iterum : « Parva est quælibet militia, » si ad mulieris malitiam conferatur [2]. » Et paulus dicit : « Adam enim non est deceptus, mulier autem decepta cons» tituta est in prævaricatione [3]. » Hoc est cur illam maxime admirer, quod hanc criminationem diluerit ; quod hanc accusationem rejecerit ; quod, cum esset ex incusato sexu, opprobria ista omnia discusserit, reque ipsa docuerit illas non tales natura fuisse, sed voluntate propriaque segnitie, et huic quoque sexui ad virtutis fastigium licere pertingere. Contensiosum enim est hoc animal et protervum, et si ad malitiam declinet, magna mala patrat ; si ad virtutem se applicet, anima citius eam destituat, quam propositum mutet. Ita igitur hæc quoque naturam suam superavit, necessitatem pervicit, et assiduitate precandi vulvæ sterili filium impetravit. Quapropter rursum ad preces confugit, etiam post impetratam gratiam ad hunc modum loquens ; « Con» firmatum est cor meum in Domino, exaltatum est cornu » meum in Deo meo [4]. » Quid significent hæc verba, « Con-

[1] Eccli. xxv, 33. — [2] Ibid. 26. — [3] 1 Tim. II, 4. — [4] 1 Reg. II, 1.

» firmatum est cor meum in Domino, » nuper me apud charitatem vestram disseruisse scitis (5) : superest nunc ut ea quæ deinceps sequuntur, interpretemur. Cum enim dixisset : « Confirmatum est cor meum in Domino, » mox subjunxit ; « Exaltatum est cornu meum in Deo meo. » Quid est cornu meum? etenim Scriptura hac dictione sæpe uti solet ; sicut quando dicit : « Exaltatum est cornu ejus [1], » et « Exalta» tum est cornu Christi ejus [2]. » Quid igitur tandem cornu nominat? Potentiam, gloriam, claritatem, a brutis animantibus hanc metaphoram mutuatus : nam Deus ornamenti ac teli vice cornua illis addidit, quibus amissis, præcipuam virium partem amittunt : et sicut inermis miles, ita et taurus absque cornibus perfacile capitur. Nihil igitur aliud dicit hæc mulier, quam « Exaltata est gloria mea, » et quomodo exaltata? « In Deo meo, » inquit. Ideo in tuto est hæc celsitudo, ut quæ firmam atque immobilem radicem habeat. Gloria enim, quæ est ab hominibus, glorificantium vilitatem imitatur, unde fit ut facile subvertatur. At non sic Dei gloria, sed immobilis manet in perpetuum. Atque hæc utraque Propheta declarans, tam illius debilitatem, quam hujus firmitatem, sic loquitur : « Omnis caro fœnum, et om» nis gloria hominis tanquam flos fœni ; exaruit fœnum, et » flos ejus decidit [3]. » De Dei autem gloria non sic ; at quomodo? « Verbum autem Dei in æternum manet [4]. » Id quod vel in hac muliere patet. Reges enim et duces et dynastæ, qui nihil non tentarunt, ut immortalem post se relinquerent memoriam, sepulcra sibi splendida exædificaverunt, et statuas atque effigies multas multis in locis posuerunt, et rerum gestarum monumenta innumera reliquerunt ; nunc tacentur et ne nomine quidem noti sunt : hæc autem mulier ubique gentium nunc celebratur, et sive in Scythiam

[1] Psal. LXXIV, 10. — [2] 1 Reg. II, 10. — [3] Isaï. XL, 6, 7. — [4] Ibid. 8.

proficiscaris, sive in Ægyptum, sive in Indiam, sive ad ipsos orbis terminos, omnes audies gesta ejus decantantes : denique quantum terrarum a sole illustratur, totum hoc Anna sua gloria occupat. Nec hoc solum admiratione dignum est, quod ubique terrarum hæc mulier canitur ; sed quod sapientiam ejus ac longanimitatem et tolerantiam omnes norunt, in oppidis, in agris, in domibus, in castris, in navibus, in officinis, denique nusquam non laudes ejus audies. Quoties enim clarum aliquem reddere Deo placuerit, etiamsi mors interveniat, aut longitudo temporum, aut quidvis aliud, manet tamen gloria illius perpetuo florens, et claritatem ejus obscurare poterit nemo. Hanc ob rem et ipsa erudiens auditores, quod non sit confugiendum ad hæc fluxa, sed ad eum, a quo certissima bona speramus, auctorem hujus gloriæ indicat. Cum enim dixisset : « Confirmatum est cor » meum in Domino, » subjunxit. « Exaltatum est cornu » meum in Deo meo : » duplicia nobis his verbis subindicans bona, quæ non temere simul uni contingunt. « Nam » et a fluminibus, inquit, liberata sum ; ignominiam depo- » sui ; securitatem, atque honorem consecuta sum. » Hæc autem utraque non facile invenias in unum convenire. Multi enim a periculis liberantur, gloriosam tamen vitam non habent : alii contra gloria quidem, et claritate fruuntur, periculis tamen ob hanc gloriam non carent. Verbi gratia, multi sæpe in carcerem conjecti, adulteri, venefici, sepulcrorum perfossores, aliisque similibus criminibus obnoxii, deinde jubente regia clementia dimissi sunt inde : hi a pœna quidem liberati sunt, cæterum probra sua non aboleverunt, et dedecus eos nusquam non consequitur. Alii viri militares ac generosi, conspicuam atque gloriosam vivendi rationem amplexi, bellicis periculis sese objicientes, multa sæpe vulnera accipiunt, et postremo immatura morte absumuntur : atque hi præ gloriæ amore securitate se ipsi privaverunt.

IV. Huic vero mulieri hæc utraque contigerunt, ut quæ et securitate simul et gloria potita est. Idem et tribus illis pueris accidit : nam et periculum evaserunt e rogo liberati, et illustres sunt facti, quod supernaturali modo hujus elementi potentiam superavissent. Ad hunc sane modum Dei beneficia se habent : simul enim et tutam et illustrem largitur vitam, quod quidem utrumque hæc ipsa innuens dicebat : « Confirmatum est cor meum in Domino : exaltatum » est cornu meum in Deo meo. » Nec simpliciter dixit : « In » Deo, » sed « In Deo meo, » sibi ipsi usurpans eum, qui toti orbi terrarum communis est. Hoc autem fecit non illius dominium minuens, sed suum amorem indicans ac fovens. Sic enim amatores solent ; non ferunt una cum multis amare, sed eximium quemdam ac peculiarem amorem præ se ferre volunt. Sic et David dicebat : « Deus, Deus meus, ad » te mane vigilo [1]. » Nominata enim communi ejus dominatione, addidit eam, qua peculiariter Sanctorum Dominus est. Et rursum, « Deus meus intende in me, quare dereliquisti » me [2] ? » Et rursum, « Dicam Deo : Protector meus es [3] : » animæ enim ferventis accensæque desiderio sunt hæc verba. Idem et hæc mulier fecit. Cæterum homines ita facere nihil mirum : cum vero Deum hoc ipsum facere videris, tum merito obstupefias. Quemadmodum enim hi non in commune illum invocant, proprium faciendo, suum eum esse volunt : ita et ipse non solum communiter una cum aliis eorum etiam Deum se profitetur, sed privatim ipsorum. Quapropter dicebat : « Ego sum Deus Abraham et Isaac et » Jacob [4] : » non contrahens suum imperium, sed extendens potius, non enim tam multitudine subditorum, quam eorum virtute, monstrat imperium suum. Neque tantum Deus cœli, terræ, maris et eorum, quæ in eis sunt, appellari gau-

[1] Psal. LXII, 2. — [2] Id. XXI, 2. — [3] Id. XC, 2. — [4] Exod. III, 6.

det, quantum si Deus Abraham et Isaac et Jacob vocetur : et quod in hominibus non solemus, in Deo videre licet. Exempli causa, apud homines a dominis servi appellationem sumunt, et ita omnes ex more loquimur : « Ille vel ille procurator aut dispensator illius, vel illius ducis et præfecti : » nemo autem sic loquitur : « Ille vel ille præfectus illius procuratoris aut dispensatoris : » sed minores a majoribus semper denominare consuevimus. De Deo autem contra fit ; non solum enim Abraham Dei esse, sed Deus etiam Abrahami dicitur, atque ita dominus a servo nominatur. Hoc idem igitur et Paulus cum admiraretur, dicebat : « Quamobrem » non erubescit Deus vocari Deus ipsorum [1]. » Non erubescit, inquit, Dominus a servis appellationem sumere : quare non erubescit? dic rationem : nimirum ut et nos eum imitemur. « Quia hospites erant, inquit, et advenæ [2]. » Atqui vel ob hoc ipsum erubescere oportebat ; hospes enim vilis et contemnendus esse videtur. At illi Sancti non eo modo hospites erant, quo nos putamus, sed alio quodam minime vulgari : nos hospites eos appellare solemus, qui, relicta sua patria, in alienam regionem perveniunt : illi vero non ita erant hospites, sed quod orbem universum despicerent, et parvam putarent esse terram, ad cœlestem illam civitatem respiciebant, non arrogantia, sed magnanimitate ; non insolentia, sed propter sapientiæ studium. Postquam enim contemplati sunt terrena universa, et animadverterunt fluxa esse et mortalia, nec quidquam hic firmum aut stabile, non divitias, non potentiam, non gloriam, non vitam ipsam, sed singula finem habere, et ad suum quodque properare terminum : cœlestia vero non talia, sed infinita immortaliaque, maluerunt hospites esse in rebus fluxis et præterlabentibus, ut permanentes illas assequi possent. Hospites igitur erant, non quod patriam non haberent, sed quod sempiternam il-

[1] Hebr. xi, 16. — [2] Ibid. 13.

lam patriam desiderarent, quod quidem et ipse significando dicebat : « Qui autem talia loquuntur, patriam se requirere » ostendunt [1], » quam patriam, obsecro ? num priorem illam, quam reliquerunt ? minime, inquit : « Si enim illius recorda- » bantur, integrum eis erat illo redire : nunc autem melio- » rem desiderant, hoc est cœlestem [2], » cujus opifex et creator Deus est : « Ideo non erubescit Deus vocari Deus ip- » sorum.

V. Hos igitur nos quoque imitemur, despiciamus præsentia, concupiscamus futura : utamur hac muliere magistra, et ad Deum semper confugiamus, ab illoque omnia deposcamus : nihil enim precationi æquale : ea quippe est quæ ex impossibilibus possibilia facit, ex difficilibus facilia, et ex tortuosis recta. Hanc beatus quoque David adhibebat, ideoque dicebat : « Septies in die laudavi te propter » judicia justitiæ tuæ [3]. » Quod si rex, infinitis curis immersus, et in tam varia distractus, toties in die precabatur Deum, quam defensionem aut veniam habere poterimus nos, qui in tanto otio degimus, nec tamen illum assidue oramus, idque cum inde tantus fructus sit nobis proventurus ? Impossibile enim, impossibile est, inquam, hominem qua decet alacritate precantem, et assidue Deum orantem, unquam in peccatum incidere. Id qua ratione fiat jam dicturus sum. Qui mentem suam accendit, et animam erexit atque ad cœlestia transtulit, et ita Dominum suum invocavit, peccatisque in memoriam reductis, de eorum remissione cum illo collocutus est, obsecrans ut placatus ac propitius sibi esse dignetur, is post tales orationes omnem præsentis vitæ curam abjicit, spe erigitur, ac supra omnes humanas affectiones extollitur, et sive inimicum post precationem viderit, jam non tanquam inimicum aspiciet : sive mulierem formosam, ejus aspectu

[1] Hebr. xi, 14. — [2] Ibid. 15, 16. — [3] Psal. cxviii, 164.

non frangetur, durante adhuc igne per precationem intus accenso et omnem absurdam cogitationem depellente. Sed quoniam homines cum simus, facile ad segnitiem relabimur, exacta una alterave aut tertia post precationem hora, ubi senseris pristinum illum fervorem paulatim frigescere, recurre quantocius ad preces, frigescentemque mentem rursus accende. Id si per totam diem feceris per intervalla crebris precationibus te ipsum accendens, non dabis occasionem diabolo, aut ullum ad tuas cogitationes aditum. Et quemadmodum in apparando prandio, cum potu opus est, si aqua calida frigescat, ad focum admotam calefacimus : ita et hic faciendum est, et os nostrum ad precationes quasi ad prunas admovendum, ut hoc pacto mens ad pietatem rursum accendatur : imitemur etiam fabros cæmentarios. Hi enim quoties lateritius paries exædificandus est, ob fragilitatem materiæ cum longis lignis stringunt, idque non per longa interstitia, sed per modica, ut compages laterum tutior sit ob lignorum frequentiam. Idem ipse quoque facito, et sicut illi ligaminibus ligneis, ita tu sæcularibus negotiis precationes crebras interponens, vitam tuam hoc pacto munias : quod si feceris, etiamsi plurimæ procellæ ingruant, sive tentationes, sive mœstitiæ, sive cogitationes molestæ, sive quidvis aliud, nihil dejicere poterit domum tam crebris precationibus ligatam atque munitam. Dices : « Quî fieri potest ut homo sæcularis, forensibus negotiis affixus, tribus horis diei precetur, et ad Ecclesiam currat ?» Potest, et facile est : licet enim ad Ecclesiam currere non sit commodum, potest inibi in foro curiæque vestibulo hærens nihilominus precari : ad hoc enim mente magis opus est quam voce, animi contentione magis quam manuum extensione : nec tam refert quo corporis habitu id facias, quam quo animæ affectu : quandoquidem et ipsa Anna non ob intensam vociferationem, sed ob internum

cordis clamorem exaudita est. Dicit enim Scriptura : « Vox » ejus non audiebatur, et Dominus exaudivit eam [1]. » Hoc et alii multi sæpe fecerunt, et clamante intus magistratu, minante, exasperato, furente, ipsi pro foribus curiæ stantes postquam se sacro signo munissent, et pauca in animo precati, introgressi ad eum mutaverunt hominem, ac mitigaverunt, et mansuetum ex aspero reddiderunt : neque illis aut locus, aut tempus, aut silentium ad precandum fuit impedimento.

VI. Hoc etiam tu facito : ingemisce amare, in memoriam revoca tua peccata, suspice in cœlum, dic in mente : « Miserere mei Deus, » et absolvisti precationem. Qui enim dicit : « Miserere, » confessionem offert, et peccatum suum agnoscit : lapsorum enim est misericordiam requirere. Qui dicit : « Miserere mei, » remissionem delictorum accepit : qui enim misericordiam consecutus est, non punitur. Qui dicit : « Miserere mei, » regnum cœlorum obtinuit : quem enim Deus miseratur, non a pœna solum liberat, sed futurorum etiam bonorum possessione dignatur. Ne igitur excusationes quæramus dicendo non esse propinquam precationis ædem : nos enim ipsos, si sobrii fuerimus, templa Dei facit gratia Spiritus, ut magna undique nobis precandi facultas adsit. Neque enim talis est apud nos divinus cultus, qualis quondam apud Judæos erat multum habens sensibilium cæremoniarum, multaque operatione indigens. Illic precaturum oportebat ad templum ascendere, turturem emere, ligna et ignem ad manus habere, arrepto cultro altari assistere, aliaque multa præcepta perficere : hic nihil tale, sed ubicumque fueris, præsto tibi est et altare, et culter et victima, tu ipse et altare et sacerdos et victima es. Ubicumque enim fueris, potes erigere altare, si sobriam modo voluntatem afferas,

[1] 1 Reg. 1, 13 et 19.

nec te aut locus aut tempus impedit, sed etiamsi nec genua flectas, nec pectus tundas, nec manus ad cœlum tendas, si mentem solum afferas fervidam, nihil tibi ad precationem deerit. Licet etiam mulieri colum tenenti aut telam texenti mente suspicere in cœlum, et ardenti pectore Deum invocare : licet etiam viro in foro versanti aut iter facienti attente precari : alteri itidem in officina sedenti ac coria suenti animam ad Dominum erigere : licet servo obsonanti, ac sursum deorsum cursitanti, vel in culina ministranti, si non licet adire Ecclesiam, precationem intentam ex imo pectore ciere : non pudet loci Deum. Unum postulat, mentem ferventem animamque modestam. Et ut scias non habitu aut locorum temporumve opportunitate esse opus, sed animo probo ac vigili, Paulus supinus in carcere jacens, non erectus stans ; neque enim compes lignea permittebat ; quoniam magna alacritate precabatur jacens, carcerem concussit, ejusque fundamenta commovit, et custodem terruit, ac mox initiatum ad mysteria sacra perduxit. Rursum Ezechias ille non erectus stans, neque genibus flexis, sed supinus in lecto cubans ob infirmitatem, versa ad parietem facie, quoniam ardenter et temperanti animo Deum invocavit, sententiam adversus se latam revocavit, magnam sibi gratiam conciliavit, et in pristinam restitutus est sanitatem. Nec solum magnis et sanctis viris hoc contigisse videas, sed malis etiam. Nam et latro ille, non stans in oratorio, aut genua flectens, sed in cruce distensus paucis verbis regnum cœlorum impetravit : alius in lacum cœnosum conjectus, alius in foveam bestiis objectus, alius ceti alvo conclusus, invocato Deo, mala instantia discusserunt, divinamque sibi conciliarunt benevolentiam. Hoc sermone hortor ut continue frequentetis ecclesias, et domi cum magna quiete precemini per otium, genua flectentes, manusque attollentes. Quod si

tempus aut locus nos in multitudine hominum deprehendat, non est ob hoc a consuetis orationibus cessandum, sed ita ut vestram charitatem monui, precamini et invocate Deum, certi nihilominus tali precatione optata vos impetraturos. Non hæc ideo dixi, ut applaudatis et laudetis, sed et opere ea præstetis, utque tam nocturnum quam diurnum et operandi tempus votis ac precationibus occupetis. Quod si res nostras sic disposuerimus, et præsentem vitam tuto transigemus, et cœleste regnum assequemur : quo nobis omnibus pervenire detur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simul cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

DE ANNA V.

Adversus eos, qui tantum in festis conveniunt, et quidnam sit festum. Item adversus eos qui incusant divinam providentiam, eo quod in hac vita quidam sint divites, quidam pauperes; quod paupertas utilissima sit, et quod paupertas plus voluptatis ac securitatis ubique habeat, quam divitiæ. Itemque de Anna.

I. Frustra, ut videtur, eos qui præcedenti affuerunt collectæ, hortati sumus, ut in paterna domo permanerent, et non una cum iis, qui festis diebus solum hic se sistunt, accederent ad nos, ac rursum decederent : imo vero non frustra. Nam etsi nemini ex eis persuasum esset oratione nostra, nobis tamen merces integra manet, plenamque ha-

bemus apud Deum defensionem. Quamobrem oportet concionatorem, etiamsi nemo attendat, semina jacere, et pecuniam deponere, ut postea Deus non ab illo, sed a numulariis rationem reposcat. Quod sane etiam nos fecimus, arguendo, increpando, obsecrando, admonendo. In hoc enim vobis commemoravimus filium illum paternarum facultatum absumptorem, tandem ad paternam domum postliminio reversum, universamque ejus miseriam, famem, dedecus, opprobria, et quidquid apud exteros pertulit, adduximus in medium, ut hoc exemplo ad sobrietatem vos redigeremus. Neque hic sermonem finivimus, verumetiam paternam erga eos pietatem exhibuimus, non negligentiæ pœnas exigentes, sed supinis manibus eos excipientes, veniam delictorum concedentes, aperta domo mensam apponentes, doctrinæ amictu eos amicientes, cæteramque omnem curam ipsis adhibentes. Illi autem filium illum non sunt imitati, nec eos relicti cœtus pœnituit, neque in paterna domo manserunt, sed denuo abscesserunt. Vestrum igitur esset, vestrum, inquam, qui semper nobiscum estis, reducere ipsos, persuadereque ut nobiscum per singulas collectas velint festi esse participes. Quamvis enim Pentecoste præteriit, festum tamen non præteriit; omnis enim conventus festum est. Unde hoc patet? Ex ipsis Christi verbis dicentis : « Ubicumque fuerint duo vel tres congregati in meo nomine, ibi sum in medio eorum[1] : » quoties autem Christus interest in medio cœtus, quod majus quæris festi argumentum? Ubi sacra doctrina et preces, ubi Patrum benedictiones, et divinæ Legis auditorium, ubi conventus fratrum, germanæque charitatis vinculum, ubi cum Deo colloquium et Dei cum hominibus sermo, quî fieri potest ut ibi non sit festa celebritas? Festa enim non multitudo convenientium facere solet, sed virtus; non

[1] Matth. XVIII, 20.

sumptuosus vestitus, sed pietatis ornatus; non mensæ lautitia, sed cura animæ. Maximum enim festum est conscientia bona. Et sicut in externis celebritatibus, is qui nec vestem habet, qua induatur, splendidam; mensam, qua fruatur, lautam; sed vivit in paupertate, fame, extremaque miseria, non afficitur festo die, etiamsi universam urbem choreas agere videat, sed eo magis angitur ac dolet quod alios in deliciis videat, dum ipse omnibus eget: dives vero delicatus, mutatoriis vestibus abundans, et in summa prosperitate vivens, etiam extra festa tempora festum agere sibi videtur. Ita et in spiritualibus rebus usuvenit: qui vivit in justitia et operibus bonis, vel absque festo festum agit, sinceram voluptatem ex bona conscientia percipiens. Qui vero in peccato et malitia degit, multorum malorum sibi conscius, etiam cum festum est, tam festo caret quam qui maxime. Quapropter licet nobis, si velimus, per singulos dies festum habere, si virtutem exerceamus, et conscientiam purificemus. Qua enim re præterita collecta hac præsenti est potior? annon tumultu tantum et strepitu, nullaque re alia? Quando enim et sanctorum mysteriorum perceptio, et aliarum spiritualium rerum communio, puta precationum, concionis, benedictionum, charitatis, cæterorumque omnium eadem est etiam hodie? nulla in re hæc dies superatur ab illa, quantum vel ad vos, vel ad me concionantem attinet. Nam qui tunc nos audiebant, hi nunc quoque audituri sunt, et qui nunc absunt, ne tunc quidem aderant, etiamsi corpore adesse viderentur: non audiunt nunc, imo tunc minus audiebant; nec solum non audiebant, sed etiam audientibus obstrependo molesti erant. Quapropter et tunc et nunc æquale mihi est theatrum, idemque auditorum conventus, nec ulla in re altero hic inferior. Imo, si mirum aliquid dicere permittitis, hic illo est præstantior; quod sine strepitu sit sermo, et sine tu-

multu doctrina, et cum majore intellectu auscultatio, nullo tumultu auditum nostrum interrumpente.

II. Hæc autem dico, non quod contemnam multitudinem illius conventus, sed ut vobis persuadeam ne doleatis, neve contristemini ob paucitatem eorum, qui nunc huc convenerunt. Non enim corporum, sed auditorum multitudinem in Ecclesia requirimus. Quandoquidem igitur iidem convivæ qui tunc, etiam nunc nobis adsunt, pari alacritate hodie quoque convivium vobis exhibebo, ad argumentum reversus, quod nobis festivitatis tempus interrupit. Quemadmodum enim in Pentecoste intempestivum erat, omissa beneficiorum per id tempus in nos collatorum commemoratione, inceptum antea contextum continuare; ita nunc exacta Pentecoste, opportune historiam in manus resumptam prosequemur, pristinum de Anna argumentum tractaturi. Non enim spectandum quam multa jam dicta sint, sed utrum ad finem hujus argumenti pervenerimus. Nam et qui thesaurum invenerunt, licet plurimas inde capiant divitias, non prius absistunt quam totum exhauserint, ut quos non tam juvat multa accepisse, quam nihil reliquum fecisse. Quod si, ii qui in pecunias insaniunt, tanto rerum perituraram nec mansurarum tenentur studio, multo magis hoc nos in divinis facere thesauris oportet, nec prius absistere, quam totum hoc quod ibi videmus, exhauserimus. Dixi autem, quod ibi videmus, quia universum exhaurire non datur. Fons enim est perenniter manans divinarum vis sententiarum, nunquam deficiens, nunquam evacuanda. Itaque ne defatigemur : non enim de vulgaribus rebus nobis est oratio, sed de precatione, spe nostra; precatione, per quam sterilis mater est facta, et numerosæ prolis parens, quæ filiis carebat, et ex mœrente læta : per quam vitiosa reparabatur natura, clausaque reserabatur matrix, et impossibilia fiebant possibilia. Quapropter omnia paulatim

perscrutemur, singulas explicantes dictiones, ut ne minimum quidem nos, quantum fieri potest, effugiat. Siquidem propterea duas integras dissertationes in duo sola ejus dicta insumpsimus : primum, « Confirmatum est cor meum » in Domino, » et quod mox sequitur, « Exaltatum est cornu » meum in Deo meo [1]. » Consequens igitur est hodie ad tertium venire. Quod vero hoc est? « Dilatatum est os meum » super inimicos meos : lætata sum in salute tua[2]. » Animadvertite accuratam orationem. « Non dixit : Exacutum est os meum super inimicos meos : » non enim ad convicia et dicteria præparatum erat, non ad opprobria et accusationem, sed ad monitionem et consilium, ad correctionem et instructionem. Propterea non dixit : « Exacuta est lingua mea super inimicos meos, » sed « Dilatatum est os. » Relaxatione, inquit, fruor : libere loqui possum : jam pudore discusso, ad libertatem redii. Ac ne nunc quidem mulierem æmulam nominavit, sed simpliciter indefinita nuncupatione, quasi quadam larva tantæ tristitiæ causam abscondit. Non dixit quod multæ dicunt mulieres : « Confudit eam Deus, dissipavit et dejecit scelestam et arrogantem et magniloquam : » sed simpliciter : « Dilatatum est os meum super ini» micos meos ; lætata sum in salute tua. » Vide quomodo eamdem legem per totam precationem servat : sicut enim in principio dicebat : « Confirmatum est cor meum in Do» mino : exaltatum est cornu meum in Deo meo : dilatatum » est os meum super inimicos meos ; » ita et hic, « Lætata » sum in salute tua. » Non simpliciter in salute, sed « In sa» lute tua. » Non enim quoniam servata sum, sed quoniam per te servata sum, propterea lætor et exulto. » Tales quippe sunt Sanctorum animæ ; de Deo magis lætantur auctore munerum, quam de ipsis muneribus : non enim propter dona ipsum, sed dona propter illum diligunt. Hoc servos

[1] 1 Reg. II, 1. — [2] Ibid.

gratos decet, hoc famulos beneficii memores, videlicet rebus suis omnibus præponere Dominum. Sic etiam nos affecti simus : cum peccaverimus, non doleamus quia punimur, sed quia Dominum offendimus; et si quod opus bonum nostrum est, non gaudeamus propter regna cœlorum, sed quia rem cœlorum Regi gratam fecimus. Qui enim sanæ mentis est, offensam Dei magis timet, quam ullam gehennam, et placere Deo pluris æstimat, quam ullum regnum. Nec mireris si erga Deum esse sic affectum oportet, cum erga homines multi sic affecti sint : sæpe enim qui germanos liberos habemus, si vel inviti eos læserimus, a nobis ipsis pœnas reposcimus, et erga amicos idem facere solemus. Quod si amicos aut filios offendere multo gravius putamus quam pœnas luere, multo magis erga Deum sic affici decet, et omni gehenna gravius putandum est aliquid fecisse quod illi displiceat. Talis erat beatus Paulus ; propterea dicebat : « Certus sum quod neque Angeli, neque » Principatus, neque Potestates, neque præsentia, neque » futura, neque altitudo, neque profundum, nec alia creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo » Jesu Domino nostro [1]. » Quin et sanctos Martyres cum beatos vocamus, ob vulnera primum prædicamus, mox ob præmia; prius ob plagas, et tum demum ob coronas repositas : præmia enim propter vulnera contingunt, et non vulnera propter præmia.

III. Ita beatus quoque Paulus non tam repositis sibi bonis, quam molestiis propter Christum perferendis gaudebat, clamabatque dicens : « Gaudeo in passionibus pro » vobis [2] : » et iterum, « Non solum autem, verum et glo- » riamur in tribulationibus [3] : » et rursum, « Quoniam nobis » donatum est a Deo, ut non solum in eum credamus, sed » etiam pro eo patiamur [4]. » Est enim gratia vere maxima,

[1] Rom. VIII, 38, 39. — [2] Col. I, 24. — [3] Rom. V, 3. — [4] Philip. I, 29.

dignum censeri propter Christum aliquid pati, et corona vere perfecta, et merces futura retributione non minor : et hoc norunt qui legitime ac ferventer Christum diligere sciunt. Talis erat et hæc mulier, ardentissimum habens in Deum desiderium, et ignitum amorem; propterea dicebat : « Lætata sum in salutari tuo. » Nihil enim ipsi fuit cum terra commune, sed omne humanum auxilium despiciebat, et erat Spiritus gratia sublimis, in omnibusque ad Deum respiciebat, et ab urgentibus molestiis illinc liberari rogabat. Noverat enim, plane noverat humana quidem, qualiacumque sint, dantium imitari naturam; nobis autem divino semper opus esse auxilio, si velimus ancoram in tuto firmare. Quapropter ad Deum semper confugiebat, et accepta gratia, quod Deus ejus auctor esset, magis gaudebat, et gratias agens dicebat : « Non est sanctus, ut est Domi» nus, et non est justus sicut Deus noster, et non est sanctus » præter te[1]. » Etenim irreprehensibile, inquit, judicium ejus, et incorrupta infallibilisque sententia. Vidisti gratæ animæ cogitatum? Non dixit intra se : « Quid magnum, aut quid præ aliis accepi? quod æmulæ meæ jam dudum copiose contigit, id ego vix tandem magno conatu, et lacrymis, et precibus, et supplicationibus impetravi. » Sed quoniam bene sentiebat de Dei providentia, rationem beneficentiæ non reposcit a Domino, quod multi faciunt, quotidie Deum in jus vocantes. Si viderint hunc divitem, alium inopem, non desinunt adversum ejus providentiam obloqui. Quid facis, o homo? de conservo te judicare non sinit Paulus dicens : « Nolite ante tempus judicare, donec veniat Domi» nus[2] : » et tu Dominum in judicium trahis, et factorum rationem ab eo exigis, nec exhorres aut expavescis? et quam consequeris veniam, obsecro, quam excusationem habebis, cum singulis diebus, imo vero singulis horis ex-

[1] 1 Reg. II, 2. — [2] 1 Cor. IV, 5.

perimentum providentiæ ejus capias; et tamen ob inæqualitatem, quæ inter divites et pauperes videtur, omnium rerum bonam ordinationem damnes, idque injuste? Si enim, ita ut decebat, cum magna mentis attentione hæc scrutari voluisses, etiamsi nullum aliud divinæ providentiæ argumentum habuisses, certe ex divitiis et paupertate eam deprehendere potuisses. Paupertate enim sublata, vitæ totius constitutio tolleretur, et omnis vivendi ratio perturbaretur : neque nauta erit, neque gubernator, non agricola, non cæmentarius, non textor, non sutor, non faber, non ærarius, non coriarius, pistorve, nec alius ullus opifex; quibus non extantibus, omnia pessum ibunt. Nunc enim quasi magistra quædam optima, necessitas paupertatis singulos ad opera vel invitos urget. Quod si omnes essent divites, omnes etiam in otio viverent; atque ita omnia pessum irent, et nihil non periret. Præterea suis ipsorum verbis convinci possunt, et ad silentium redigi. Cur enim, quæso, Dei providentiam accusas? nempe quod alius plus, alius minus pecuniarum possidet. Quid tum? si in majoribus rebus, et quibus vita nostra constat, pares esse omnes homines ostendam, necesse erit ut per omnia divinam providentiam approbes. Nam si inde colligis nullam esse providentiam, quod una in re potior sit divitum conditio, videlicet pecuniis; si compertum fuerit omnes æqualiter potiri, non una re neque tam vili, sed pluribus et multo majoribus, perspicuum est te inde vel invitum cogi Dei providentiæ astipulari. Age ad, ea quibus nostra vita constat, sermone progrediamur, eaque diligenter inquiramus, et videamus an in illis plus paupere dives habeat. Puta dives habet thasium, et alios multos arte confectos potus et ad voluptatem conditos : at fontes aquarum omnibus sunt propositi, tam pauperibus quam divitibus. Risisti forte audiens hanc æqualitatem. Audi igitur quanto

præstantior sit quovis vino aquæ natura, magisque necessaria et utilis, et revocabis tuam sententiam, verasque pauperum divitias intelliges. Nam vino quidem sublato, non magnum fuerit detrimentum præterquam infirmis solis : si quis autem fontes sustulerit et aquarum elementum, vitam omnem nostram subverterit, et omnes perdiderit artes : ac ne biduum quidem durare poterimus, sed statim omnes moriemur morte quadam miserabili atque gravissima.

IV. In necessariis itaque rebus, quibus vita constat, pauper non est inferior, imo, si mirum quiddam dicendum est, superat etiam divitem. Multos enim divites cernimus propter delicias valetudinarios, ut plurimum aquæ potu abstinere : pauper autem per totam vitam his fluentis libere fruitur, tanquam ad mellis fontes, ad aquarum currens rivulos, sinceram inde et puram percepturus voluptatem. Quid autem ignis natura? nonne thesauris innumeris utilior, humanisque divitiis omnibus? et hic quoque thesaurus ex æquo diviti pariter ac pauperi propositus est. Quæ vero nascitur ab aëre corporibus nostris utilitas, et lux solaris, numquid divitibus magis quam pauperibus exhibetur, et eam illi quatuor, hi duobus tantum oculis vident? Sed neque hoc quisquam dicere potest : utrique enim pari mensura ea perfruuntur : imo vero et hic pauperum partes sunt potiores, quanto et sensus habent vegetiores! et acutiorem oculum, et vim percipiendi præstantiorem. Quapropter et veriorem hauriunt voluptatem, et creaturarum contemplatione magis delectantur. Non in solis autem elementis, sed in omnibus aliis naturæ muneribus, multam videbis æqualitatem, imo prærogativam etiam pauperum : nam somnus omnibus deliciis suavior magisque necessarius, omnique utilior nutrimento, pauperibus est quam divitibus facilior : neque vero facilior tantum, sed etiam sincerior. Illi enim, ut qui in deliciis degunt, cibo famem, potu sitim,

somno dormiendi necessitatem præveniunt, atque ita omnem voluptatem sibi intercipiunt : non enim perinde in natura istorum, atque in usu necessario, voluptas consistit : non ita delectat, vinum ipsumque suave olens potare, ut sitientem bibere aquam ; non ita placentas edere juvat, ut esuriendo quemvis cibum sumere : non ita molli cubare strato, ut oppressum somno jacere, quæ omnia magis apud pauperes sunt, quam apud divites. Quæ vero pertinent ad corporis valetudinem, et omnem aliam bonam habitudinem, nonne communia sunt divitibus æque atque pauperibus? An vero dicere quispiam potest illud aut ostendere, quod pauperes semper ægrotent, divites semper prospera utantur valetudine? Contrarium quidem videre licet, pauperes non facile insanabilibus morbis capi, sed morbos passim in divitum corporibus grassari. Certe podagræ, gravedines, dissolutiones nervorum, aut contractiones, varii fluxus vitiosi ac corrupti, delicatos illos magis infestant eos, qui unguenta olent, non eos, qui laborant et exercentur, et quotidiana opera victum sibi parant.

V. Quapropter mendicis etiam miseriores sunt, quotquot in deliciis vivunt, id quod nec ipsi inficiari possunt. Frequenter quippe dives molli lectulo cubans, inter omnimoda servorum ac ancillarum obsequia, audito mendico per vicum clamore panem petente, ingemuit, et cum lacrymis precatus est, ut talis fieret, dummodo sanus, potius quam in deliciis adversa laboraret valetudine. Nec tantum valetudine bona, sed prolis etiam felicitate, divites nihilo potiores videas, quam pauperes; sed utrobique indifferenter aut nullam aut numerosam sobolem: quin potius et hac parte divitem videas inferiorem. Pauper enim licet pater non fiat, haud multum sentit dolorem: dives autem quanto magis auctam rem videt, tanto magis orbitate angitur, præ hæredis desiderio nullam sentiens voluptatem. Et pauperis

quidem hæreditas, licet sine liberis decedat, cum propter exilitatem non sit contentione digna, ad amicos transit atque cognatos : divitis autem, eo quod multorum ad se alliciat oculos, non raro ad inimicos defuncti devenit. Quod cum ille vivens in aliis fieri videat, vitam degit morte molestiorem, in se quoque expectans idem factum iri. Quod autem ad mortem attinet, nonne et hic eadem æqualitas? nonne tam divitibus quam pauperibus immaturæ mortes accidunt? atque etiam post mortem non tam his quam illis omnibus similiter corpus dissolvitur, favillaque fit, et pulvis et vermes gignit? At funeralia nequaquam similia. Sed quæ utilitas? cum enim defuncto multam substraveris vestem pretiosam et auratam, nihil aliud nisi majorem invidiam, et criminationem attuleris, et adversus defunctum omnium ora aperueris, et innumeras ei paraveris maledictiones, et avaritiæ criminationes, dum singuli rumpuntur indignatione, et mortuum execrantur, qui ne post obitum quidem insanire in pecunias desiverit. Huc accedit aliud malum, quod furum oculi irritantur. Itaque quo major est cultus, eo majoris illi fit occasio contumeliæ. Pauperis enim cadaver nemo spoliare curat, ipsa indumentorum vilitate tutum. Hic autem obices et feræ, fores atque custodes, omnia incassum adhibentur, cum pecuniarum aviditate nihil non audeant, qui talibus maleficiis se assuefecerunt. Itaque major honor defuncto majorem infert injuriam; et is, cui vilia funeralia contingunt, jacet inviolato sepulcri honore : cui vero pretiosa, is spoliatur et dehonestatur; aut si hoc ludibrium evadat, ne sic quidem potior erit, nisi quod major corruptio fiet, largiusque vermi pabulum. Hæccine sunt, quæso, ob quæ beatos prædicemus? et quis est adeo miser, atque ærumnosus, ut ob hæc hominem existimet invidia dignum? Verum non hæc solum, sed et alia singula percurrentes, diligenterque scrutantes, pau-

peres divitibus præponendos comperiemus. Hæc igitur diligenter considerantes, et aliis narrantes; dicitur enim: «Da sapienti occasionem, et erit sapientior[1];» et illud continue retinentes memoria, pecuniarum copiam nihil amplius afferre possessoribus, quam curas, sollicitudines, timores, et pericula; nihilo deteriorem quam divitum nostram conditionem putemus. Si enim advigilaverimus, potiores etiam partes habebimus, tam in hujus sæculi rebus, quam in divinis. Nam et voluptatem et securitatem, bonamque famam ac valetudinem, tum rectam vivendi rationem, spem bonam, minoremque peccandi occasionem apud pauperes magis, quam apud divites invenias. Ne igitur more servorum ingratorum murmuremus, aut incusemus Dominum, sed pro omnibus gratias agamus, nihil malum ducentes nisi peccatum, nihil bonum nisi justitiam. Si sic senserimus, non ægritudo, non inopia, non ignominia, nihil denique simile molestum nobis erit: sed puram ex omnibus rebus percipientes voluptatem, futura consequemur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria simul et sancto Spiritui, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Prov. IX, 9.

HOMILIA XI.

DE DAVIDE ET SAULE I.

De Davide et Saüle, deque tolerantia, et quod oporteat inimicis parcere, nec de absentibus male loqui.

I. Quoties[1] diutina quæpiam ac dura inflatio corporibus inhæsit, tum et longo tempore, multoque labore, et multa sapientia in admovendis remediis est opus, ut collectus tumor absque vitæ periculo dissolvatur. Idem videre est in anima. Quoties enim aliquis morbum, qui jam radices egit in anima, multoque tempore concretus sit, radicitus evellere voluerit, non satis est ad correctionem unius duorumve dierum admonitio : verum oportet frequenter ac diebus compluribus hanc rem tractare, si modo non ad ambitionem ac voluptatem, sed ad fructum, et utilitatem munus hoc concionatoris gesturi sumus. Ideo sicut de juramentis fecimus, multis ordine diebus vobis de eodem disserentes argumento : itidem de ira nunc faciamus, continuamque de ea persequamur exhortationem pro nostra quidem virili. Nam hic mihi videtur optimus esse docendi modus, si non prius desistamus consulendo quacumque de re, quam viderimus admonitionem ad effectum pervenisse. Etenim qui hodie de eleemosyna, cras de oratione, perendie de humanitate, deinde rursus de animi modestia disserit, nihil horum in auditorum animis perficere recte poterit, ab hoc ad illud, rursus ab illo semper alio transi-

[1] Vide D. Guillon, tom. XVI, pag. 426-437.

liens : sed necesse est, ut qui velit orationem in auditorum animis fructum destinatum assequi, non ante desistat iisdem de rebus admonens consulensque, nec prius ad aliud quidpiam transiliat, quam conspexerit superiorem admonitionem in eis bene fixam ac radicatam. Idem hoc facere solent ludi magistri. Non prius ad syllabas adducunt pueros, quam elementorum cognitionem in eis viderint recte confirmatam. Nuper igitur parabolam vobis de centum denariis, ac decem millibus talentorum enarrantes, ostendimus quantum esset malum injuriarum meminisse. Quem enim decem millia talentorum non perdiderant, hunc centum denarii exitio demerserunt, ac veniam pro debitis concessam in irritum revocarunt, debitæque pecuniæ remissionem dissiparunt? eumque qui fuerat a criminibus liberatus, in judicium retraxerunt, indeque in carcerem conjecerunt, denique immortali supplicio tradiderunt [1]. Sed hodie de diverso argumento dicere tentabimus. Oportebat enim, si fieret quod æquum erat, de humanitate ac mansuetudine verba facientem, ex sese istius præclaræ philosophiæ exempla præbere, atque ita simul et verbis eam docere, et factis ad eam instituere. Quoniam autem nos ab hac virtute longo absumus intervallo, uno quopiam e numero Sanctorum in medium producto, oculisque vestris subjecto, perspicuam quamdam ac potentem adhibebimus exhortationem, ut quasi ad archetypi cujusdam æmulationem adhortemur et vos et nos ipsos. Quis igitur in medium proferendus est de humanitate dicturo? Quis vero alius, quam is qui cœlesti testimonio laudari meruit, ob hoc ipsum maxime suspiciendus? « Inveni, inquit, David filium » Jesse, virum secundum cor meum [2]. » Porro posteaquam Deus pronuntiavit, nulla contradicendi reliqua est occasio. Nam illius calculus incorruptus est, eo quod Deus nec ad

[1] Matth. xviii. — [2] 1 Reg. xiii, 14, et Act. xiii, 22.

gratiam, nec per odium judicat, sed pro mera animi virtute fert suffragium. At non ob id tantum hunc in medium produximus, quod Dei suffragio fuerit laudatus, verum etiam quod sit ex iis, qui sub veteri lege sunt educati. Siquidem sub lege gratiæ extitisse quempiam ab ira purum, et inimicis delicta condonantem, ac parcentem iis, a quibus fuerit molestia affectus, nihil sane mirum, videlicet post Christi mortem, postquam ille tam clementer nobis omnia peccata remisit, post tot præcepta referta evangelicæ philosophiæ. Cæterum in Veteri Testamento cum lex permitteret oculum pro oculo effodere, ac dentem pro dente extundere [1], eumque qui læsisset talionis pœna ulcisci, aliquem extitisse qui præceptorum fines transilierit, adque apostolicam pervenerit philosophiam, quem auditorum non adducet in stuporem? quem si non imitemur, non privet omni venia, omnique excusatione? Sed ut accuratius ejus virtutem cognoscatis, concedite mihi ut orationem paulo altius repetam, ac beneficia commemorem quæ beatus ille vir in Saülem contulit. Nam non ulcisci inimicum qui simpliciter læsit, non mirum est; at qui hominem a se multis affectum beneficiis, sed qui pro benefactis beneficum semel atque iterum, imo frequenter interficere conatus sit, posteaquam in manus incidisset, ut jam liceret occidere, non ipsum dimisit tantum, verum etiam ex aliorum insidiis eripuit; præsertim cum sciret illum post eadem moliturum, quid is reliquum fecit, quod ad summam philosophiam possit adjungi?

II. Quibus autem beneficiis David affecerit Saülem, quando et quo pacto, paucis enarrantem me sustinete. Cum aliquando Judæi bello difficillimo premerentur, adeo ut omnes pavore essent consternati, nec quisquam auderet erigere caput, sed in extrema desperatione esset civitas,

[1] Exod. xxi, 24.

singulis mortem præ oculis habentibus, quotidieque interitum expectantibus cunctis, ut vitam agerent miseriorem iis, qui degunt in teterrimo carcere, hic ab ovibus veniens ad exercitum, cum per ætatem nec artem bellandi callere posset, ac laborum militarium rudis esset, ipse pro universis bellum in se recepit, ac feliciter rem gessit, supra quam quisquam sperasset. Quanquam etiam si virtuti defuisset eventus, tamen ob solam animi promptitudinem egregiumque propositum coronandus erat. Jam si quis e numero militum ætate vigens facinus hoc designasset, nihil fuisset mirum, videlicet id postulante militari lege. At hic qui nullam videbat necessitatem huc adigentem, ac multos etiam habebat dehortantes ; nam et frater illum increpavit, et rex perspiciens illum nondum ætate maturum, ac periculis perferendis inhabilem cohibuit, ac manere jussit, dicens : « Non poteris ire, quoniam puer es : ille vero vir » est bellator ab adolescentia sua [1] : » attamen cum nulla illum provocaret occasio, suapte sponte et ex sese divino accensus zelo, patriæque charitate, perinde quasi oves cerneret verius quam homines, et quasi canes invasurus esset potius quam tam numerosum hominum exercitum, adeo intrepide ad barbaros cucurrit, idque temporis tantam erga regem sollicitudinem declaravit, ut illum etiam ante prælium ac victoriam in faciem prostratum erexerit. Neque enim factis modo juvit illum, sed ante factum etiam verbis hortatus est bono animo ut esset, ac persuasit, utque de eventu bonam conciperet spem, effecit ita loquens. « Ne concidat cor domini mei in ipso, quoniam servus tuus » ibit, pugnabitque cum alienigena hoc [2]. » Quæso, num hoc parvum videtur nulla necessitate compulsum suam ipsius vitam prodere, et in eorum utilitatem, a quibus nihil unquam acceperat beneficii, in medios hostes irruere ? An-

[1] 1 Reg. XVII, 33. — [2] Ibid. 32.

non par erat hunc post tale facinus, ornato titulo domini columnis inscripto, et publicum civitatis servatorem appellare, qui et regni decus, et civitatum fundamenta, et omnium vitam, opitulante Dei gratia, servarit? Quod esse poterat aliud beneficium hoc majus? Neque enim in gloriam aut potentiam, sed in ipsam ipsius vitam beneficium hoc contulit, et ab ipsis mortis portis revocavit : itaque si humanum quidem subsidium spectes, illius beneficio deinde vixit rex, ac principatum servavit. Et postea, quam illi reposuit gratiam? Nam si quis perpendat præclare gestorum magnitudinem, etiamsi rex a suo capite detractam coronam Davidis capiti imposuisset, nunquam parem retulisset gratiam, sed ampliorem debuisset. Hic enim et vitam et regnum illi donavit, ille vero huic regnum tantum erat cessurus. Verumtamen consideremus relatam pro benefactis gratiam. Quæ tandem erat illa? De cætero et ab illo die suspectum habuit David, et ab illo metuit sibi. Cur et quam ob causam? Nam et suspicionis causa commemoranda est. Neque enim quidquid aliquis dixerit, idem esse Justum affirmabit. Nam erga eum, qui animam impendit, et vitam dedit, quæ poterat esse justa suspicionis causa? Sed tamen ipsam inimicitiæ causam inspiciamus, ut aliquid discatis, quod nec ipsa victoria sit inferius : quodque David sit honore dignus ob ea ipsa, propter quæ deinceps venit in suspicionem, et insidiis appetitus est. Quæ igitur est suspicionis causa? Postquam barbari illius caput abstulit, et spolia gestans rediit : « Exierunt, inquit, mulieres canen» tes ac dicentes : Percussit Saül in millibus suis, et David » in decem millibus suis. Et iratus est Saül, et suspectum » habuit David ab eo die ac deinceps [1]. » Cujus obsecro rei gratia? Etiamsi hæc præter meritum fuissent dicta, ne sic quidem oportebat hostilem in Davidem gerere animum.

[1] 1 Reg. XVIII, 7-9.

Sed postquam ex rebus gestis, illius erga se benevolentiam habebat compertam, quippe qui nullo cogente aut compellente, suapte benevolentia tantum subisset discriminis, non oportebat deinceps quidquam de illo suspicari mali. Nunc autem jure laudes proferebantur; et si fas est vera proloqui, in Saülis gratiam illa dicta sunt potius, quam in Davidis. Debebat autem satis habere, quod illi tribuissent mille. Cur igitur indignatus est, quod Davidi tribuerint decem millia? Etenim si rex ad bellum finiendum vel paululum aliquid momenti contulisset, recte tum dictum fuisset: « Saül in millibus, David in decem millibus. » Quod si ipse quidem pavidus ac tremens domi desedit: in singulos dies mortem expectans, hic autem totum facinus peregit: annon absurdum erat eum, qui nihil ad depellenda pericula contulerat, ob id indignari, quod non plus laudis tulisset? Nam si indignandum erat, Davidem potius convenichat indignari, quod cum solus totum gessisset, alterum haberet laudis participem.

III. Sed horum nihil dico: verum illud dixerim: ut donemus non recte fecisse mulieres, easque fuisse crimini obnoxias, et accusatione dignas, quid hæc ad Davidem? Neque enim ipse composuerat cantionem, neque illis suaserat ut dicerent quæ dicebant, neque adornarat illum laudationis modum. Proinde etiamsi indignandum erat, mulieribus oportuit indignari, non de civitate bene merito, et infinitis digno coronis. At Saül, omissis illis, in David irascebatur. Jam si ea laude sublatus ille Beatus invidisset rerum potienti, fuissetque ipsi contumeliosus, et aspernatus fuisset ejus imperium, forsitan aliqua fuisset invidendi causa. At si factus fuit humanior ac modestior; si in subditorum ordine se continuit, quæ tandem erat justa dolendi causa? Siquidem cum is, qui honore afficitur, attollitur adversus eum, a quo provectus est, nec desinit in illius

contemptum honore abuti, habet dolor nonnullam excusationem. Cæterum ubi persistit in honorando illum, aut potius magis obsequitur, ceditque in omnibus, quem postea potest habere prætextum invidia? Itaque etiamsi nihil aliud præclare gestum fuisset, ob hoc ipsum tamen magis erat diligendus, quod cum tantam nactus esset occasionem occupandi regni, perstiterit in sua modestia. Neque enim quæ prius gesta sunt tantum, verum nec ea, quæ consecuta sunt, superioribus illis multo præclariora, sustulerunt illi animos. Quæ tandem illa? « Erat, inquit, David prudens in » omnibus viis suis, et Dominus omnipotens erat cum eo, » universusque Israël et Juda diligebat David, quoniam ipse » ingrediebatur, et egrediebatur ante conspectum populi[1], » et Melchol filia Saül, et universus Israël diligebat illum, et sapiebat supra omnes servos Saül, et honorabatur nomen illius valde. Et Jonathas filius Saül diligebat David vehementer. Verumtamen cum universum populum ac regis familiam sibi conciliatam haberet, cum ubique in bellis vinceret, nec unquam frustraretur successu, cumque, pro bene gestis rebus illis, talem gratiam reciperet, non erexit cervicem, nec regnum affectavit, nec hostem ullus est, sed perseveravit in benefaciendo, et in bellis pro rege feliciter gerendis. Quis est tam efferatus et crudelis, cui ista non fuerint persuasura, ut inimicitiam deponeret, et invidiam abjiceret? At crudelem illum et inhumanum nihil horum flexit, sed ad hæc omnia cæcus, et invidiæ deditus, conatus est illum e medio tollere: et quid obsecro facientem? nam id majus est ac stupendum, canentem cithara, et ipsius insaniam sedantem. « David, inquit, psal- » lebat manu sua quotidie: et hasta in manu Saül: ac sus- » tulit Saül lanceam, dixitque: Infigam in David, et fixit in » parietem: et declinavit David a facie ejus bis[2]. » Potest-

[1] 1 Reg. xviii, 5. — [2] Ibid. 10, 11.

ne huic malitiæ quidquam adjungi ? Illa forte quæ post subsecuta sunt. Qui nuper hostes abegerat, per quem civitas sibi fuerat reddita, cunctis pro victoria victimas immolantibus : Saül beneficium et servatorem, ac bonorum illorum auctorem conatus est interficere psallentem : ac ne beneficiorum quidem memoria furentem illum ac delirantem coërcuit, sed semel et bis torsit in illum lanceam, cupiens occidere. Et hujusmodi mercedem illi pro susceptis periculis reposuit. Idque fecit non uno die, sed sæpius. At Sanctus ille post hæc omnia perseveravit curare regis negotia, proque salute illius suscipere pericula, et in acie stare in prœliis omnibus, suoque periculo servare trucidatorem suum : denique nec dictis, nec factis contristavit immitem illam feram, sed concessit in omnibus, dictoque audiens fuit. Cumque victoriæ præmium non accepisset, sed omnium illorum periculorum mercede fraudatus esset, ne verbo quidem expostulavit unquam, non cum militibus, non cum rege, quod hæc non gessisset spe mercedis, supernam expectans retributionem. Nec id solum est admiratione dignum, quod non poposcit præmium, sed quod etiam cum daretur, ob eximiam animi modestiam recusavit. Siquidem postcaquam Saül, omnia molitus, et omnibus tentatis, non potuit illum interficere, consuit illi dolum per nuptias, ac novam quamdam dotis ac dotalium formam commentus est. « Non enim cupit, inquit, rex do» tem, sed ut centum præputia exolvat ab hostibus regis [1]; » id est : « Occide mihi, inquit, centum viros, atque hoc erit mihi dotis vice. » Hæc autem dicebat, cupiens illum obtentu conjugii hostibus objicere.

IV. Nihilo secius David pro sua modestia res æstimans, recusavit conjugium, non deterritus periculis, aut hostium metu, sed quod existimaret sese indignum affinitate regia;

[1] 1 Reg. XVIII, 25.

atque his verbis respondit ad servos illius : « An leve est in » oculis vestris me facere generum regis, cum ego sim vir » humilis ac nullius pretii [1] ? » Atqui debebatur hoc honoris, ac merces et pensatio laborum : verum usque adeo cor habebat contritum, ut post tot res cum laude gestas, post adeo splendidam victoriam, post expressam promissionem, indignum se judicaret, qui debitam reciperet mercedem, idque cum denuo esset se periculis objecturus. Posteaquam autem hostes devicerat, ac filiam regis acceperat, rursus « Psallebat David, et quærebat Saül cum lancea percutere : » David autem declinavit, et hasta impacta est parieti. » Quem non ista vel apprime philosophum ad iracundiam excitassent? Quis, etsi nulla alia affuisset causa, saltem ut securitatem sibi pararet, injuste insidiantem non occidisset? Neque enim id homicidium fuisset ; sed modum a lege præscriptum mansuetudine superasset. Nam illa oculum pro oculo jussit effodere [2] : hic autem licet occidisset, pro tribus homicidiis unum exacturus fuisset, pro tribus, inquam, homicidiis, nulla probabili de causa tentatis. Nihil tamen horum tentavit David, sed potius habuit fugere, et a patriis ædibus exulare, atque erronem profugumque agere, et in calamitate sibi necessarium parare victum, quam regi cædis occasionem dare. Nec enim eo spectabat, ut seipsum ulcisceretur, sed ut illum ab eo morbo liberaret. Hanc ob causam ab oculis inimici subduxit sese, ut sedaret tumorem, contraheretque ardorem ulceris et invidiam mitigaret. « Satius est, inquit, me miserum esse, innumeraque pati acerba, quam hunc apud Deum de innocentis cæde condemnari. » Hæc non audiamus tantum, verum etiam imitemur; nihil non faciamus et patiamur, ut inimici simultatem erga nos deponant ; nec illud inquiramus, utrum merito, an immerito malevolum animum erga nos gerant,

[1] 1 Reg. XVIII, 23. — [2] Exod. XXI, 24.

sed hoc solum spectemus, ut nobis inimici esse desinant. Siquidem hoc spectat medicus, ut morbo liberet ægrotum, non utrum merito, an immerito sibi morbum contraxerit. Tu quoque igitur medicus es ejus, qui te læsit : unum hoc quære, quo pacto illi morbum adimas. Id quod fecit hic Beatus, egestatem præ divitiis, solitudinem præ patria, labores periculaque præ deliciis ac securitate, perpetuum exilium præ ædibus elegit, ut illum ab odio in ipsum malevolentiaque liberaret. At nec sic quidem melior factus est Saül, sed persequebatur, sed ubique circumibat quærens eum, qui non solum nihil læserat, sed cum esset læsus, maxima et innumerabilia pro injuriis bona rependerat. At Saül imprudens post incidit in retia Davidis. « Erat enim, » inquit, ibi spelunca, et ingressus est Saül ut exoneraret » alvum. David autem cum comitibus suis in interiore spe- » luncæ parte sedebat. Dixeruntque viri David ad illum : » Ecce dies de quo dixit Dominus : Tradam inimicum tuum » in manus tuas, faciesque illi quod placitum erit in oculis » tuis. Et surrexit David, sustulitque laciniam chlamydis » Saülis clanculum. Et post hæc percussit Davidem cor » ipsius, quod abstulisset laciniam clamydis, dixitque David » ad viros suos : Avertat a me Dominus, nec faciam ver- » bum hoc Domino meo, Christo Domini, mittamque ma- » num meam in illum, quoniam Christus Domini est [1]. » Vidisti tensa retia? vidisti prædam captam? vidisti venatorem erectum? vidisti omnes adhortantes, ut ensem in hostis pectus immergeret? Nunc mihi specta philosophicam animi moderationem; specta luctam, victoriam, coronam. Nam spelunca illa campus erat, atque lucta quædam mirabilis dictuque incredibilis facta est. Luctatus est David, pugilem egit iracundia. Saül positus erat certaminis materia, agonothetes erat Deus. Quin potius, non ipsi modo

[1] 1 Reg. XXIV, 4-7.

adversus seipsum, propriamque cupiditatem erat prælium, sed et adversus milites qui aderant. Etenim si voluisset animo moderari, ac parcere ei qui læserat, consentaneum erat ut et illos metueret, ne forte ipsum trucidarent in spelunca, tanquam qui illorum salutem prodidisset, ac publicum ipsorum hostem servasset. Probabile enim est illorum unumquemque dolore percitum hæc intra se dicturos fuisse : « Errones exulesque sumus, domo, patria, cæterisque omnibus excussi, omniumque difficultatum tuarum consortes sumus : et tu eum, qui horum malorum est auctor, in manus tuas traditum cogitas dimittere, ne nobis unquam liceat ab his calamitatibus respirare, ac, proditis amicis, hostem servare studes? An hæc justa sunt? Nam si tuam ipsius salutem negligis, nostræ certe vitæ parcas. Non tibi dolent anteacta, neque memor es malorum quæ ab illo perpessus es? certe ob ea quæ futura sunt, tolle hostem, ne majora et acerbiora perpetiamur mala.» Hæc ut verbis non sint prolocuti, tamen animo secum volvebant, cum ista, tum istis etiam alia majora.

IV. Verum nihil horum Justus ille apud se perpendebat, unum illud spectans, quomodo posset redimiri tolerantiæ corona, ac novam quamdam admirabilemque philosophiam exercere. Neque enim perinde mirum erat, si cum esset solus et absque comitibus, pepercisset illi, a quo fuerat læsus, atque nunc est, quod hoc idem aliis præsentibus fecit: nam militum illorum præsentia geminum erat philosophiæ obstaculum. Nobis ipsis frequenter evenit, ut cum statuerimus vindictam remittere, et commissa condonare; post ubi viderimus aliquos nos irritantes et concitantes, mutemus sententiam, et illorum dictis obtemperemus. Verum hoc non accidit huic Beato, sed etiam post illorum consilium et exhortationem, perseveravit in animi proposito. At ne hoc quidem tantum est admiratione dignum, quod nec

aliorum admonitu dimotus est a proposito, quodque non est illos veritus, sed quod perfecit, ut et illi eamdem animi moderationem sumerent. Magnum quidem, si quis suis cupiditatibus imperet : sed multo majus est et aliis persuadere posse, ut et ipsi mente eamdem habeant : aliis, inquam, qui nec modesti sunt homines, neque temperantes, sed milites, qui multis difficultatibus jam in desperationem erant adducti, a quibus paululum respirare cupiebant, haud ignari non modo totam malorum solutionem in hostis nece sitam esse; nec modo malorum solutionem, verum etiam plurimorum bonorum acquisitionem, quando nihil obstabat quominus, illo trucidato, protinus regnum transiret ad Davidem. Attamen cum tot essent res quæ milites irritabant, tantum valuit ille generosus, ut his omnibus fuerit superior, suaderetque ut hosti parcerent. Operæ-pretium vero est etiam ipsorum militum audire consilium, quia consilii calliditas firmum et solidum Justi animum ostendit. Non enim ita locuti sunt : « Ecce qui multa in te molitus est mala, qui necem tuam concupivit, qui nos immedicabilibus vallavit difficultatibus ; » sed ubi perspexerunt hæc omnia negligere Davidem, nec magnam habere rationem in se commissorum, allegant illi divinum auctorem, « Deus, aiunt, illum tradidit, » quo videlicet judicium a Deo profectum reveritus, promptius iret ad homicidium. « Numquid, inquiunt, tuam ipsius vicem ulciscéris? Deo servis, ac ministras, illius sententiam comprobas.» Sed quo magis hæc dicebant, tanto magis hic pepercit hosti. Intelligebat enim Deum ideo tradidisse eum, ut sibi majores occasiones probandæ virtutis suppeditaret. Proinde tu quoque si quando hostis tuus inciderit in manus tuas, cave putes esse datam ulciscendi, sed servandi hostis occasionem. Eoque tum maxime parcendum est inimicis, cum illi forte venerunt in potestatem nostram. At hic for-

tasse dixerit aliquis : « Et quid magnum, aut quid mirum parcere ei quem habes in tua potestate? » Complures enim et alii reges ad principatum evecti, sese indignum judicarunt in tanto regni fastigio ab iis pœnas exigere, a quibus olim fuerant offensi : ipsa potentiæ sublimitas causam attulit reconciliationis. Verum in hoc negotio tale nihil possis dicere. Neque enim David ad principatum evectus, neque regnum adeptus, ac Saülem in manibus habens, ita demum illi pepercit, ne quis causari possit regni magnitudine sublatam fuisse iram : sed cum sciret fore, ut ille servatus rursus ad eadem rediret, et ipse in graviora pericula conjiceretur, ne ideo quidem occidit. Ne utique hunc cum illis conferamus. Siquidem illi quoniam habent certum tutumque pignus futuræ deinceps securitatis, merito parcunt. Hic vero cum sciret se hostem in suam ipsius perniciem dimittere, ac salutem dare inimico, haud tamen illum occidit, idque cum haberet multa ad eam cædem impellentia. Etenim solitudo regis auxilio nudati, exhortatio militum, præteritorum memoria, futurorum metus; ad hæc quod si interfecisset inimicum, non posset damnari cædis, quodque post cædem peractam, legem ipsam mansuetudine superare videretur (6), hæc et alia plura urgebant compellebantque gladio illum confodere. At horum nulli cessit, sed adamantis invicti more perstitit, intemeratam philosophiæ legem servans. Cæterum ne dicas illum nihil eorum sensisse affectuum, quod sensisse par erat, sed id quod accidit non fuisse philosophiam, sed stuporem ; considera quam vehementer exasperatus sibi temperarit. Siquidem iracundiæ fluctus in animo illius intumuisse, multamque cogitationum procellam concitatam fuisse, sed eam tempestatem refrenasse timore Dei, animosque repressisse, ex iis quæ facta sunt perspicere licet. « Surrexit, inquit, » et tulit oram chlamydis Saülis clanculum. » Vides quanta

iræ tempestas coorta fuerit? At non processit ulterius, neque fecit naufragium, eo quod gubernatrix illico sentiens periculum, videlicet pia ratio, tempestatem vertit in tranquillitatem. « Percussit enim, inquit, Davidem cor ipsius, » ac velut equum subsilientem ac ferocientem, revocavit iram.

V. Hujusmodi sunt Sanctorum animæ, priusquam concidant, resurgunt : priusquam ad peccatum perveniant, refrenantur, eo quod sobriæ sint, semperque vigilent. Et tamen quantum erat intervallum inter corpus et vestem? Attamen ille seipsum cohibuit, ne progrederetur ulterius : insuperque ob hoc ipsum graviter seipsum condemnavit. « Percussit enim, inquit, illum cor ipsius, quod abstulisset » extremum chlamydis, dixitque ad viros : Nequaquam hoc » mihi sit a Domino. » Quid est illud, « Nequaquam hoc sit » mihi, » propitius, inquit, sit mihi, si hoc voluissem? ne concedat unquam ut hoc faciam Deus, neque permittat me ad tantum devenire scelus. Quoniam videbat hanc philosophiam superare pene naturam humanam, cœlestique opus habere auxilio, seque pene ad cædem processisse, precatur ut Dominus sibi conservet manum impollutam. Quid hoc animo possit esse mitius? An hunc dicemus hominem, qui in natura humana vitam præstiterit angelicam? Verum id non passuræ sunt divinæ leges. Quis enim, obsecro, facile a Deo ejusmodi rem petat? Quid dixi, hujusmodi? Quis sustineret, non precari adversus eum qui molestus fuisset? Nam plerique mortales eo feritatis abrepti sunt, ut cum sint adeo imbecilles, ut non queant eum, a quo lacessiti sunt, ullo malo afficere, Deum ad ultionem invocent, ut sibi det facultatem nocendi iis, qui sibi mala intulere. Hic vero illis omnibus velut ex diametro contraria precando, rogat ne permittat ut manus injiciat, loquens hunc in modum : « Ne mihi hoc » accidat a Domino, ut injiciam manum meam in illum : »

perinde quasi de filio et de prole ita de hoste loquitur. Neque pepercit tantum, verum et excusationem pro eo parat. Vide vero quam prudenter quamque sapienter. Siquidem cum vitam Saülis perscrutans, nihil invenisset boni, ut dicere posset: «Non sum ab illo læsus, nec ullo affectus incommodo:» protinus enim his reclamaturi erant milites qui aderant, regisque malitiam experimento cognoverant; alia ex parte circumibat, studens probabilem invenire excusationem. Id cum non posset, nec ab illius vita, nec a factis, ad dignitatem illius confugit dicens: «Quoniam Christus Domini est.» Quid ais, inquiunt? quod scelestus, quod sceleribus opertus, ac vitiis innumerabilibus refertus, et in nos extrema cogitans? Sed rex est, sed princeps, sed principatum in nos suscepit. Neque tamen dixit: «Rex est,» sed, «Christus Domini est,» non ab humano honore, sed a cœlesti judicio sumpto honorifico testimonio. Contemnis, inquit, conservum tuum? reverere dominum. Aspernaris electum? metue eum qui elegit. Etenim si vulgares istos præfectos ab imperatore designatos etiamsi sint improbi, si fures, si prædones, si injusti, si quodcumque aliud fuerint, timemus et horremus, non propter malitiam despicientes eos, sed propter dignitatem illius, a quo electi sunt, reverentes: multo amplius id facere convenit erga eos, quos elegit Deus. Nondum, inquit, Deus abdicavit illum principatu, nondum fecit eum ex rege privatum. Itaque ne invertamus ordinem, neque pugnemus cum Deo, apostolicum illud dictum factis præstantes: « Quoniam »quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui»cumque autem resistunt, sibi ipsis accipient damnatio»nem [1]. » Non solum appellavit illum Christum: hoc est, unctum et regem, verum etiam suum dominum vocavit. Non est mediocris philosophiæ, hostem honoris et obsequii

[1] Rom. XIII, 2.

vocabulis appellare. Atque id rursus quam sit magnum, ex his quæ cæteris accidunt, queat aliquis perspicere. Plerique siquidem inimicos suos ne nudis quidem ac simplicibus nominibus appellare sustinent, sed aliis vocabulis odiosis eos nominant : impium, insanum, mente captum, delirum, pestilentem : aliaque multa contexunt, hisque notis designant hostem. Id esse verum, exemplo non eminus petito, sed e proximo sumpto docebo, nimirum ab hoc ipso Saüle, qui Justum hunc ob vehemens odium non sustinuit proprio vocare nomine, sed cum aliquando festum quoddam celebraretur, requirens eum, dicebat : « Ubi » est filius Jesse[1] ? » Sic autem appellavit eum partim odio proprii nominis, partim genitoris vilitatem notans, sperans fore ut hoc pacto Justi fama contaminaretur : haud intelligens hominem nobilem illustremque reddi solere, non progenitorum claritate, sed animi virtute. At non itidem fecit beatus David. Neque enim patris cognomento vocavit illum, quanquam is quoque fuit admodum humilis et contemptus : neque nudo simplicique nomine designavit, sed dignitatis et principatus titulo. Usque adeo purum ab omni malevolentia gerebat animum. Proinde tu quoque, charissime, hunc imitans, illud imprimis discito, ne unquam inimicum odiosis nominibus, sed honorificis potius appelles. Etenim si os assueverit eum qui læsit honoris obsequiique nominibus appellare, animus hæc audiens a lingua doctus non refugiet cum illo redire in gratiam. Nam ipsa verba remedium erunt optimum ulceris in corde tumescentis.

VI. Hæc nunc locutus sum, non tantum ut laudemus Davidem, sed ut æmulemur quoque. Hanc igitur historiam in suo quisque corde sibi depingat, contemplatione veluti manu assidue in mente delineans speluncam illam

[1] 1 Reg. xx, 27.

duplicem, ipsum Saülem intus dormientem, somnoque perinde ut catena vinctum, ejus quem gravissime læserat dextræ subjectum, David imminentem dormienti, præsentes milites, et ad cædem adhortantes, Beatum illum philosophantem, hoc est, et suam et illorum iram cohibentem, eumque, qui tam multa peccaverat, excusantem. Hæc, inquam, non solum in animo depingamus, verum etiam in consessibus inter nos assidue loquamur: has apud uxorem, has apud liberos frequenter renovemus narrationes. Etenim sive de rege loqui voles, ecce rex: sive de militibus, sive de re familiari, sive de publicis civilibusque negotiis, videbis in Scripturis horum omnium magnam copiam. Hujusmodi commemorationes maximam afferunt utilitatem. Impossibile est enim, impossibile, inquam, est, animum in hujusmodi historiis versantem, a cupiditatibus superari. Ergo ne tempus inutiliter consumamus, neve vitam nostram frustra teramus in nugis ineptis ac supervacaneis, fortium virorum discamus res gestas, ac de his assidue disseramus. Quod si quis in consessu voluerit, aut de spectaculis, aut de cursu equorum, aut de rebus nihil ad te pertinentibus verba facere, ab illa materia fac eum revoces, et in ejusmodi narrationem inducas, quo simul et purgatis animis, et voluptate, quæ periculo careat, delectati, denique ipsi mites ac placabiles erga cunctos male de nobis meritos facti, ex hac vita migremus, in futuro sæculo nullum habentes inimicum, bona etiam æterna consequamur, gratia et bonitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA XII.

DE DAVIDE ET SAULE II.

Quod magnum sit bonum, non tantum exercere virtutem, verumetiam laudare : quodque David magnificentius tropæum erexerit parcendo Saüli, quam prostrato Goliath : quodque hæc faciens magis profuerit sibi quam Saüli : deque excusatione ipsius apud Saülem.

I. Vos quidem nuper laudastis Davidem ob malorum tolerantiam, ego vicissim admirabar vestram erga Davidem benevolentiam ac charitatis affectum. Non enim oportet adire modo et æmulari virtutem, verumetiam eos qui virtutem amplectuntur, laudibus vehere, et admirandos prædicare, nobis fructum aliquem eumque haud vulgarem affert. Quemadmodum ex adverso pravitatem non æmulari tantum, verumetiam in ea viventes laudare, supplicium haud mediocre nobis parat : et si fas est quiddam novum et admirandum dicere, gravius supplicium manet illos, quam ipsos qui male vivunt. Id declarans Paulus, postea-quam omnem malitiæ speciem enumerasset, accusassetque omnes qui leges Dei conculcant, de illis ipsis subjicit : « Qui » cum Dei justitiam nossent, quod qui talia faciunt, digni » sunt morte, non solum ea faciunt, sed et comprobant illa » facientes [1] : ideo inexcusabilis es, o homo [2]. » Vides eum ita loqui, ut ostendat hoc esse gravius illo. Nam laudare delinquentes, quod ad supplicium pertinent, longe plus est quam delinquere; idque jure merito, quia hoc suffragium

[1] Rom. I, 32. — [2] Id. II, 1.

proficiscitur ab animo plane corrupto, et insanabili morbo laborante. Siquidem is, qui dum peccat, condemnat peccatum suum, poterit aliquando temporis progressu ad se redire; qui vero laudat malitiam, is seipsum privavit curatione, quam affert pœnitentia. Proinde merito Paulus pronuntiavit hoc illo esse gravius. Itaque sicut non tantum ii qui prava faciunt, verumetiam qui tales laudant ac prædicant, eamdem, aut etiam graviorem pœnam sortiuntur : ita qui bonos laudibus vehunt ac prædicant, coronarum illis repositarum fiunt participes. Quod ipsum ita esse e Scriptura licet perspicere. Deus enim ita loquitur Abrahæ : « Bene» dicentibus tibi benedicam, et maledicentibus tibi maledi» cam [1]. » Idem in olympicis certaminibus accidere videbit quivis. Neque enim athleta tantum coronam gestans, neque qui laborem ac sudorem pertulit modo, verum et is qui laudat victorem, non minimam laudis illius voluptatem decerpit. Quapropter et ego non solum generosum illum ac magnanimum ob animi philosophiam beatum prædico, verum et vos ob benevolum erga illum animum. Ille namque certavit ac vicit, coronamque tulit : vos autem, quia victoriam laudastis, non mediocrem coronæ partem vobis tulistis. Ut igitur uberior sit vobis ista voluptas, ac fructus abundantior, agedum reliquas quoque hujus historiæ partes vobis persolvamus. Cum historiæ scriptor commemorasset verba, quibus David cædem reprobavit, subjecit : « Non » permisit illis, ut surgerent et occiderent Saül [2] : » simul et illorum animos ad cædem promptos, et hujus fortitudinem demonstrare volens. At multi sane qui videntur philosophari, etiamsi ipsi in se non recipiunt homicidium, nolunt tamen alios, qui cædem parant, cohibere. At non ita David, sed perinde ac si depositum aliquod accepisset, pro quo rationem redditurus esset, ita non tantum ipse non

[1] Gen, xii, 3. — [2] 1 Reg. xxiv, 8.

attigit inimicum, verum etiam alios occidere volentes coërcuit, satelles optimus et corporis custos pro hoste factus. Itaque non aberrarit a vero, qui dicat Davidem id temporis in gravius incidisse discrimen, quam ipsum Saülem. Neque enim leve certamen periculumque sustinebat, dum omnibus modis conabatur illum ab insidiis eripere, quas ei parabant milites : neque perinde metuebat ne ipse occideretur, ac formidabat ne quis militum iræ obsequens interficeret hominem : eamque ob causam ejusmodi commentus est excusationem. Atque illi quidem accusabant, accusabatur autem Saül dormiens, sed defendit inimicus, Deus vero judex erat, ac Davidis sententiam confirmavit. Neque enim absque Dei præsidio valuisset illos furentes vincere : sed hæc erat Dei gratia in Prophetæ labiis residens, quæ veluti suadelam quamdam addebat illius verbis. Tametsi non leve momentum et David huc attulit, qui quoniam illos superiore tempore sic instituerat, idcirco in articulo certaminis paratos illos ac morigeros reperit. Præfuerat enim illis non ut belli dux militibus, sed ut sacerdos, jamque spelunca illa erat Ecclesia. Sic quemadmodum aliquis episcopi sortitus munus, ad illos concionem habebat : ac, peracta concione, sacrificium obtulit, idque admirabile quoddam dictuque incredibile, non mactato vitulo, aut occiso agno, sed, quod his erat multo honorificentius, mansuetudinem et humanitatem offerens Deo, atque irrationabili animi motu mactato, occisaque iracundia, « Et mortificatis » membris quæ sunt super terram [1]. » Et factus est idem tum victima, tum sacrificus, tum altare. Siquidem et ratio quæ offerebat mansuetudinem atque humanitatem, et ipsa humanitas ac mansuetudo, denique cor, in quo hæc offerebantur, omnia erant ejusdem hominis.

II. Posteaquam igitur hanc immolasset præclaram vic-

[1] Colos. III, 3.

timam, tunc victoriam retulit, neque quidquam prætermisit quod ad tropæum spectaret, surrexit tandem horum certaminum materia Saül, et egressus est e spelunca, ignarus omnium quæ gesta fuerant. « Egressus est autem post illum » et David [1], » liberis deinceps oculis cœlum intuens, ac tum temporis magis gaudens, quam cum Goliath prostravisset, ac barbari caput amputasset. Siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius tropæum. Nam illic et funda et lapidibus et acie habebat opus : hic vero cuncta prudentia rationeque peracta sunt, ac sine armis contigit victoria, atque incruentum tropæum erectum est. Itaque rediit non barbari illius caput gestans, sed animi commotionem sedatam, sed iram enervatam : neque hæc spolia reposuit Jerosolymæ, sed in cœlo, inque superna illa civitate. Nunc non choreas agentes obviam veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus; sed Angelorum populus e sublimi applaudebat, admirans ejus philosophiam et humanitatem. Ascendit enim hoste vulneribus innumeris sauciato, ut qui tametsi servasset Saülem, tamen illum revera hostem diabolum multis plagis confixit. Sicut enim nobis per iracundiam inter nos pugnantibus, et mutuo conflictu collisis, ille tum gaudet, tum lætatur : ita nobis pacem et concordiam habentibus, iramque moderantibus, rursus contrahitur ac dejicitur, nimirum hostis pacis et inimicus concordiæ, et invidiæ pater. Egressus est igitur David dextram illam totius orbis pretio parem, simul cum capite coronatam gestans. Sicut enim sæpe imperatores eorum, qui egregie se in pugilum certamine gesserunt, ante caput coronant dextram aut pugilis aut pancratiastæ (7) : ita et Deus manum illam coronavit, quæ gladium purum potuerit educere, ensemque Deo nullo sanguine contaminatum ostendere, denique ad-

[1] 1 Reg. XXIV, 9.

versus tantam iracundiæ procellam resistere. Non egressus est gestans Saülis diadema, sed egressus est gestans coronam justitiæ. Non egressus est gestans regis purpuream vestem, sed egressus est amictus humanitate naturam humanam superante, quod pallium est quavis stola magnificentius. Egressus est e spelunca, tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt e camino ardente. Nam ut illos non exussit ignis, ita hic non conflagravit iræ incendio. Et illis quidem foris nihil ignis, in quo versabantur, nocuit: hic vero cum intus haberet carbones accensos, cum foris videret diabolum caminum incendentem, ab inimici conspectu, ab exhortatione militum, a facilitate perficiendi cædem, a solitudine eorum, qui Saüli possent auxiliari, a præteritorum memoria, a futurorum periculorum metu; siquidem hæc et sarmentis, pice, stipulis, ac cæteris omnibus, quibus caminus ille babylonius incendebatur, lucidiorem excitabant flammam; tamen non exarsit David, neque ullo pacto sic fuit affectus, ut consentaneum erat eum affici: sed exivit purus, et intuitus inimici faciem, hinc maxime sumpsit animum fortem ac philosophicum. Cum enim videret illum dormire, ac manere immobilem, neque quidquam posse facere, suo cum animo locutus est: « Ubi nunc ille furor? ubi illa malitia? ubi tot technæ, tot insidiæ? Abierunt omnia illa, perieruntque exigui somni incursu: » jacet alligatus rex, cum nihil horum nos neque cogitaverimus, neque perfecerimus. Conspiciebat illum dormientem, ac de morte omnibus communi philosophabatur. Somnus enim nihil aliud est, quam mors temporaria, et quotidianus interitus. Haud intempestive quis hic meminerit etiam Danielis. Quemadmodum enim ille ascendit a lacu, superatis feris leonibus [1]; ita et hic e specu prodiit, aliis bestiis longe sævioribus devictis. Nam sicut Justo illi leones

[1] Dan. XIV, 40.

hinc atque hinc assidebant, ita hunc omnibus leonibus efferatiores ac validiores animi motus invaserunt : hinc indignatio de præteritis, illinc futurorum metus; verum horum utrumque hic coërcuit, ora bestiis occludens, ipsis factis docens nihil esse tutius quam parcere inimico, contra nihil periculosius, quam se velle ulcisci ac vindictam sumere. Alter igitur qui statuerat invadere, nudus et inermis, omnibusque destitutus auxiliis non aliter quam captivus in manus inimici traditus jacebat : hic vero dum cedit, et ubique dat locum, dumque ne juste quidem vult manus injicere, sine machinis, sine armis, sine equitatu, sine militibus, hostem in potestatem suam accepit, et quod est omnium maximum, Deum erga se benevolentiorem reddidit.

III. Non enim eo beatum prædico Sanctum illum, quod hostem viderit sub pedibus suis jacentem, sed quod illi in manus dato pepercerit. Quorum alterum fuit opus divinæ potentiæ, alterum ejus philosophiæ. Quomodo milites deinceps illum observasse consentaneum fuit, quanta erga illum benevolentia fuisse affectos? Nam si mille habuissent vitas, annon prompte impendissent pro suo duce, jam ex reverentia quam hosti præstitit, reipsa perspectum habentes, quam benevolum animum gereret erga suos? Nam is, qui mitis ac mansuetus erat in eos, a quibus molestia affectus est, multo magis erit erga benevolos cum affectum gesturus : quæ profecto res fuit illi maximum securitatis pignus. At non in ipsum modo benevolentiores erant, verumetiam adversus hostes promptiores : quod scirent se Deum habere propugnatorem, qui semper adesset duci, omnibus illius gestis prospiciens. Idcirco postea Davidi, non jam ut homini, sed ut Angelo parebant. Itaque David et priusquam Deus ipsi mercedem rependeret, etiam in hac vita majus accepit præmium, ac illustriorem tulit victoriam, servato

Saüle, quam si eum mactasset. Quod enim tantum lucrifecisset, occiso hoste, quantum nunc tulit illi parcendo? Hæc igitur et tu tecum expende, ubi ceperis eum qui te læsit, multo esse majus ac lucrosius parcere, quam perdere. Siquidem is qui occidit inimicum, frequenter et ipse sese condemnabit pravam gerens conscientiam, dum in singulos dies et singulas horas a peccato illo urgente affligetur. At qui pepercit, brevique tempore vicit affectus suos, post exultat ac delectatur optima spe fultus, ac tolerantiæ præmia expectans a Deo. Quod si quando in aliquod malum inciderit, multa cum fiducia mercedem a Deo reposcet : quemadmodum et hic magna miraque in hostem exhibitæ reverentiæ præmia deinceps divinitus recepit. Sed quæ sequuntur videamus. « Exivit David e spelunca post Saü» lem, clamavitque post illum, ita dicens : Domine mi rex. » Et respexit Saül post tergum suum, et vidit David in facie » prostratum in terram, et adoravit eum [1]. » Hæc non minus afferunt ornamenti Davidi, quam servatus hostis. Neque enim vulgaris erat animi, non inflari beneficiis in proximum collocatis, neque sic affici ut solent plerique e vulgo, qui perinde ut mancipia superciliis adductis despiciunt, quos beneficio juverint. At non ita beatus David; quin potius, post impensa beneficia modestior apparuit. In causa fuit, quod nihil eorum, quæ præclare gesta fuerant, suæ ipsius industriæ ferebat acceptum, sed totum divino muneri ascribebat. Ideoque qui servarat, idem adorabat servatum, rursumque regem nominabat, et se servum, ob illius dignitatem animi tumorem reprimens, iramque mitigans, et invidiam submovens. Audiamus porro et excusationem ipsam. « Cur audis verba populi dicentium : Ecce » David quærit animam tuam [2]? » Et tamen qui hanc conscripsit historiam, prius dixit totum populum fuisse cum

[1] 1 Reg. XXIV, 9. — [2] Ibid. 10.

David, eumque gratiosum fuisse in oculis servorum regis, et principis filium universumque exercitum animo stetisse a Davide. Quo pacto igitur hic ait fuisse qui falso deferrent ipsum, ac Saülem in eum provocarent? Quod enim non aliorum instinctu, sed ipse ex proprio animo malitiam hanc peperisset, ut bellum gereret cum Justo, declaravit qui volumen conscripsit, cum ait e laudibus Davidis natam esse invidiam, ac deinde crevisse in dies. Quam igitur ob causam crimen transtulit in alios, dicens : « Cur audis verba » populi tui dicentium : Ecce David quærit animam tuam? » nimirum ut illi præberet occasionem excutiendi malitiam. Hoc nimirum et parentes sæpe faciunt erga filios, dum quispiam corripiens filium suum corruptum, multaque operatum mala, quamvis sibi persuasum habeat illum ex propria malitia ad perditos mores appulisse, frequenter tamen in alios culpam rejicit, ita loquens : « Novi non fuisse tuum delictum, sed alii te corruperunt ac seduxerunt ; illorum est totum hoc peccatum. » Nam hæc audiens filius poterit paulatim a malitia resipiscens facilius ad bonam frugem reverti, dum pudefit, erubescitque hac laude videri indignus. Idem fecit Paulus scribens Galatis. Post multos illos ac longos sermones, postque non commemorandas accusationes, quibus illos accusarat, sub Epistolæ finem volens ab illis amovere culpam, ut aliquantulum a criminibus recreati ad excusationem venire queant, hunc in modum loquitur : « Ego confido de vobis, quod nihil aliud sentietis. Cæterum » qui vos perturbat, feret judicium quisquis ille fuerit [1]. » Itidem fecit et David hic, cum enim ait : « Cur audis verba » populi dicentis : Ecce David quærit animam tuam : » indicat alios esse qui provocarent, alios qui animum illius inficerent, modis omnibus studens illi porrigere excusationis occasionem. Mox suam ipsius causam agens ait : « Et ecce

[1] Gal. v, 10.

» viderunt oculi tui hodie, quod tradiderit te Dominus in » manus meas in spelunca, quodque noluerim occidere te, » sed pepercerim tibi, dixerimque : Non injiciam manum » meam in dominum meum, quoniam Christus Domini est [1]. » Illi quidem, inquit, verbis calumniantur, at ego reipsa me purgo, ipsisque factis depello crimen. Mihi nihil opus est verbis, cum ipse rerum exitus quavis oratione clarius possit te docere quinam sint illi, et qui ego, ac quomodo facta sit adversum me mendax delatio, et calumnia. Harum rerum non alium, sed temetipsum testem invoco, teipsum, inquam, qui meo beneficio servatus es.

IV. Sed quomodo potuit Saül harum rerum esse testis, qui cum hæc fierent, dormiebat, ac neque verba audivit, neque Davidem vidit tum præsentem, neque cum militibus colloquentem? Quomodo igitur occurremus, ut evidens declaratio fiat? Si enim testes citasset, Saül suspectum habuisset eorum testimonium, eosque Justo faventes ea loqui putasset. Quod si ratiocinationibus ac probabilibus argumentis tentasset excusare sese, futurum erat ut minus ipsi crederetur, quippe jam corrupto judicis animo. Quomodo enim is qui tot beneficiis affectus nihilo secius bello persequebatur nihil commeritum, suspicari potuisset, quod aliquis injuria affectus, eum, qui fecerat injuriam, nactus in manus, ipsi pepercisset? Plerumque enim vulgus hominum ex suo animo de aliis judicat. Velut qui assidue inebriatur, haud facile credere possit esse quempiam hominem sobrie viventem. Qui scortis vacat, etiam pudice viventes habet pro incontinentibus. Rursus qui res rapit alienas, non facile persuadebitur esse homines qui sua quoque profundant. Similiter et hic semel occupatus ira non facile credidisset esse hominem usque adeo suis affectibus superiorem, ut non modo nihil læderet, verum et eum qui læserat, serva-

[1] 1 Reg. xxiv, 11.

ret. Quoniam igitur et animus judicis erat corruptus, et testes si producti fuissent, in suspicione erant futuri, consilio prudenti reperit probationem quamdam, quæ posset et valde impudentibus os obturare. Quænam est hæc? Lacinia chlamydis quam protendens dicebat : « Ecce lacinia » chlamydis tuæ in manu mea, quam abstuli, nec occidi » te [1]. » Mutus quidem testis, sed omnibus vocem habentibus evidentior. Neque enim, si non fuissem, inquit, proximus, ac corpori tuo vicinus stetissem, potuissem vestis amputare partem. Vides quantum sit ortum boni ex eo, quod initio commotus fuerat David? Nisi enim ad iram commotus fuisset, neque philosophiam hominis cognovissemus; nam plerisque non ex philosophia, sed ex stupore pepercisse visum fuisset; neque chlamydis partem amputasset. Quod si non amputasset, non poterat aliis argumentis inimico fidem facere. Nunc vero quoniam et commotus fuit et amputavit, suæ providentiæ certissimum præbuit argumentum. Quoniam igitur tam verum et indubitatum testimonium exhibuit, ipsum mox inimicum et judicem et testem facit suæ erga illum reverentiæ, loquens hunc in modum : « Cognosce » et vide hodie quod non est in manu mea iniquitas, neque » contemptus tui, et alligas animam meam, ut capias eam [2]. » Hinc vel maxime quis admirari debeat illius magnanimitatem, quod non sumit excusationem nisi ab iis, quæ eo die acciderant. Nam hoc innuit, cum ait : « Cognosce et vide » hodie. » Nihil enim loquor de anteactis. Mihi ad probationem satis est hic dies : tametsi poterat multa magnaque enumerare beneficia, quæ prius in illum contulerat, si voluisset : poterat commemorare singulare certamen, quod cum barbaro susceperat, ac dicere : « Cum bellum barbaricum ceu diluvium quoddam universam civitatem esset dissipaturum, consternatis vobis ac metu trepidis, quotidieque

[1] 1 Reg. XXIV, 12. — [2] Ibid.

mortem expectantibus, ego accedens, nemine compellente, imo te prohibente ac retinente dicenteque : « Non poteris » ire, quoniam puer es, ille autem vir bellator a juventute » sua [1] : » non me continui, sed unus pro omnibus insilii, hostem excepi, caput amputavi, ac veluti torrentis impetum quemdam, barbarorum illorum insultus depuli, rempublicam vacillantem constabilivi : ac per me tu quidem regnum ac vitam, cæteri vero omnes præter vitam, civitatem ac domos, liberos et uxores tenent. Ac post illud rursus tropæum, et alia bella quæ fortiter ac feliciter gesserat, hoc non inferiora, potuit commemorare. Ad hæc quod cum semel atque iterum, imo sæpius tentasset ipsum e medio tollere, lanceamque in caput illius torsisset; non tamen meminit malorum ; item quod post illa gesta, cum Saül deberet prioris pugnæ reddere præmia, poposcerit dotem, non aurum, non argentum, sed cædem et internecionem : ac ne id quidem abnuerit David. Nec ista tantum, sed his etiam multo tum plura tum majora dicere potuit. Verum nihil horum dixit, neque ei erat animus illi exprobrare beneficia, sed tantum persuadere se esse unum ex eorum numero, qui ipsum et amarent ac colerent, non qui rebellionem aut insidias molirentur. Ideo prætermissis illis omnibus, tantum quod eo acciderat die, in defensionem adduxit. Usque adeo purus erat, et ab omni inani gloria immunis, nec alio respexit, quam ad unius Dei voluntatem. Deinde ait : « Judicet Dominus inter me et te [2]. » Hoc verbum dixit, non quod cuperet puniri Saülem, aut de illo pœnas sumi, sed ut illi formidinem injiceret ex futuri judicii commemoratione : neque ut timorem incuteret tantum, verum ut seipsum a criminis suspicione purgaret. Præcipuam quidem, inquit, probationem ex ipsis habeo factis : quod si non credis, ipsum Deum invoco testem,

[1] 1 Reg. XVIII, 33. — [2] Id. XXIV, 14.

qui cujusque mentis arcana novit, et scrutari potest conscientias.

V. Hæc autem locutus est, declarans se nequaquam ausurum fuisse appellare judicem illum, cui non potest imponi, et in sese condemnationem accersere, nisi certissimum haberet se ab omni insidiarum crimine purum esse. Et quod ea, quæ dicimus non conjecturæ, sed quod simul et sese purgare cupiens, et illum ad sobrietatem revocare, illius judicii fecit mentionem, illa quæ jam gesta fuerunt sufficienter ostendunt : non minus autem his et illa, quæ postea acciderunt, hujus rei fidem facere possunt. Nam cum rursus Saül incidisset in manus ipsius, post datam salutem insequens illum, et occidere volens, cumque posset hostem cum universo exercitu concidere, dimisit illum integrum et incolumem : ideoque cum sciret morbum regis immedicabilem esse, neque illum unquam hostilem in se animum positurum, submovit sese ab oculis illius, et apud barbaros vitam agebat, serviens, honore privatus, pudore suffusus, labore ac miseria sibi ipsi parans ad victum necessaria. Atqui non hoc tantum est quod miremur, sed illud quoque, quod posteaquam audierat regem in acie cecidisse, discidit vestem, et cinere se conspersit, et eo luctu luxit, quo quis lugeret, amisso primogenito germanoque filio; subinde nomen illius inclamans una cum filii nomine, compositis etiam encomiis, ac voces acerbi doloris testes emittens, impransus mansit usque ad vesperam, execrans et ipsa loca quæ Saülis sanguinem exceperant. « Montes, inquit, Gelboë, ne cadat super vos neque ros, » neque pluvia : montes mortis, quoniam illic sublata sunt » tabernacula potentium [1]. » Quod sæpe patres faciunt, ut domum etiam aversentur, et limen dolenter aspiciant, per quod extulere filium, hoc et hic fecit, eos montes devo-

[1] 2 Reg. 1, 21.

vens, qui cædem illam exceperant. « Odi, inquit, ipsum etiam locum propter mortuos illic prostratos. Ne igitur irrigemini posthac cœlestibus pluviis, quia male semel irrigati estis amicorum meorum sanguine. « Eaque nomina subinde repetebat, ita loquens : « Saül et Jonathas, ama» biles ac speciosi, in vita sua non fuerant disjuncti, nec » morte sua separati sunt[1]. » Quoniam enim absentia illorum corpora non licuit amplecti, nomina illorum complexus est, suum dolorem hisce modis, quatenus licuit, leniens, et calamitatis magnitudinem mitigans. Quia enim a multis malum putabatur insanabile ambos eadem cecidisse die, hoc ipsum arripuit in consolationis argumentum. Nam quod ait : « In vita sua non fuerant disjuncti, nec in morte » sunt separati, » verba erant nihil aliud agentis, quam ut hoc cedat in solatium doloris. « Jam enim, inquit, non potest dici, quod filius orphanum esse se lugeat, neque quod pater orbitatem suam deploret : verum quod nullis, inquit, obtigit, illis contigit; videlicet uno eodemque die e vivis erepti sunt, neutro alteri superstite. » Existimabat enim vitam sibi injucundam fore, si alter ab altero fuisset divulsus. Commovemini nunc, lacrymamini nunc, et animo perturbamini; usque ad lacrymarum effusionem mutati sunt oculi vestri? Nunc mihi quisque recordetur inimici qui læsit, dolore etiamnum in animo æstuante, atque hunc et vivum servet, et vita defunctum deploret, haud quidem ad ostentationem, sed ex animo, veroque corde : etiamsi quid perferendum sit incommodi, ne quid offendat eum, qui læsit, omnia tum faciat, tum patiatur, magna a Deo expectans præmia. En hic etiam regnum adeptus est, nec tamen inquinavit cæde manus, sed dextram habens puram, sic corona redimitus est, sic ad solium ascendit, purpura ac diademate magnificentius encomium gestans, videlicet quod

[1] 2 Reg. 1, 23.

hosti pepercisset, quod eumdem extinctum luxisset. Idcirco non vivus modo, sed et mortuus hominum memoria celebratur. Quapropter si cupis et hic perpetuam consequi gloriam, et illic solidis perfrui bonis, hujus Justi virtutem imitare, hujus æmulare philosophiam, ostende factis ipsis hanc injuriarum tolerantiam, ut eosdem labores sustinens, eadem bona consequaris. Quæ utinam contingat nobis omnibus adipisci, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre una cum sancto Spiritu gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

DE DAVIDE ET SAULE III.

Quod periculosum sit adire spectacula, et ea res adulteros perfectos faciat, et hinc tristitia contentioque nascatur : tum quod omne tolerantiæ genus David in iis, quæ fecit erga Saülem, superarit : postremo quod rapinam æquo animo ferre, non minor virtus sit, quam largiri eleemosynam.

I. Equidem arbitror multos ex iis, qui nuper nos descruerant, et ad iniquitatis spectacula discesserant, hodie præsentes esse. Optarim autem istos qui sint palam nosse, ut eos a sacris vestibulis arceam, non ut perpetuo foris maneant, sed ut correcti denuo redeant. Quandoquidem et patres filios delinquentes frequenter ex ædibus exigunt, et a mensa submovent, non ut semper illinc exulent, sed ut

hac correptione redditi meliores, cum debita laude et honore in paternum redeant sortem. Idem sane faciunt et pastores, dum oves scabie oppletas a sanis segregant, ut misero morbo levatæ, denuo tuto ad sanas revertantur, ne ægrotæ gregem universum suo illo morbo impleant. Ideo cupiebamus istos nosse, sed quamvis eos corporis oculis dignoscere non valeamus, verbum tamen eos prorsus agnoscet, correptaque illorum conscientia, facile persuadebit, ut sua sponte volentesque exeant, docens illum solum esse intus, qui mentem hac exercitatione dignam habeat : veluti contra, qui corrupte vivens sacræ hujus congregationis particeps est, etiamsi corpore hic astiterit, rejectus est, veriusque submotus, quam ii qui foras exclusi sunt, quibus nondum licet sacræ mensæ participes esse. Siquidem illi secundum divinas leges expulsi forisque manentes, hactenus in spe bona sunt : nam si modo velint corrigere delicta sua, ob quæ per Ecclesiam sunt ejecti, poterunt denuo cum pura conscientia reverti. At qui seipsos contaminaverunt, et admoniti ne prius introëant, donec maculam e sceleribus contractam repurgarint, deinde impudenter se gerunt, vulnus et ulcus animi reddunt acerbius ac majus. Neque enim tam grave est delinquere, quam post delictum impudenter se gerere, nec parere sacerdotibus talia jubentibus. Et quid hi, inquiunt, adeo magni sceleris commiserunt, ut ab istis sacris cancellis arcendi sint? Imo quod delictum hoc gravius quæris istorum, qui cum seipsos plane adulterio contaminarint, impudenter ac rabidorum more canum, ad sacram hanc mensam irruunt? Quod si velis adulterii modum cognoscere, non mea verba tibi referam, sed illius qui de tota hominis vita judicaturus est : « Qui » enim viderit, inquit, mulierem ad concupiscendam illam, »jam mœchatus est eam in corde suo[1]. » Quod si mulier

[1] Matth. v, 28.

forte in foro obvia, et neglectius culta sæpe curiosius intuentem cepit ipso vultus aspectu : isti qui non simpliciter, neque fortuito, sed studio, et tanto studio, ut Ecclesiam quoque contemnant, et hac causa pergunt illuc, ac totum ibi desidentes diem in facies abjectarum fœminarum illarum defixos habent oculos, qua fronte poterunt dicere se eas non vidisse ad concupiscendum? ubi verba quoque accedunt fracta lascivaque, ubi cantiones meretriciæ, ubi vox vehementer ad voluptatem composita, ubi stibio picti oculi, ubi coloribus tinctæ genæ, ubi vestis curiosius concinnata, ubi totius corporis habitus fuco plenus est, aliaque multa lenocinia ad fallendos inescandosque intuentes instructa; ubi socordia spectantium, multaque confusio, hinc ipse locus ad lasciviam invitans, tum ab iis acroamatibus quæ præcesserunt, tum ab iis quæ consecuta sunt? Accedunt irritamenta per fistulas ac tibias, aliaque ejus generis modulatio, in fraudem illiciens, mentisque robur emolliens, ac meretricum insidiis et delectatione præparans illic desidentium animos, efficiensque ut facilius capiantur. Etenim si hic ubi psalmi, ubi preces, ubi divinorum eloquiorum enarratio, ubi Dei metus, multaque pietas, frequenter ceu latro quispiam versutus clam obrepit concupiscentia; quomodo qui desident in theatro, qui nihil sani audiunt videntque, sed multa diffluunt turpitudine, multa nequitia, qui undique obsidionem patiuntur per aures, per oculos, possint malam superare concupiscentiam? Rursum si non possunt, quomodo poterunt unquam ab adulterii crimine absolvi? Tum qui non liberi sunt ab adulterii crimine, quomodo poterunt absque pœnitentia ad hæc sacra vestibula accedere, hujusque præclari conventus esse participes.

II. Quapropter equidem hortor rogoque ut prius confessione ac pœnitentia aliisque remediis omnibus sese a peccato ex theatricis spectaculis contracto perpurgent,

atque ita divinos audiant sermones. Neque enim mediocriter a nobis delinquitur, id quod ab exemplis cuivis perspicue videre licet. Nam si famulus in aeculam, ubi herilia vestimenta pretiosa aureaque recondita sunt, servilem tunicam sordibus ac multis pediculis refertam imponat; age dic mihi, num eam contumeliam æquo animo feras? Quid autem si quis in vasculum aureum, in quo semper unguenta servari consueverint, stercus ac cœnum infundat : annon ei plagas infligeres qui scelus hoc commisisset? Ergo-ne scriniorum ac vasorum, vestium et unguenterum tanta cura sollicitabimur, animam vero nostram omnibus istis viliorem esse putabimus? atque ubi Spiritus infusum est unguentum, eo diabolicas pompas immittemus? eo fabulas Satanæ, eo cantilenas meretriciæ turpitudinis plenas? dic mihi, quo animo ista feret Deus? Atqui non tantum est discrimen inter unguentum et cœnum, inter vestes heriles et serviles, quantum est inter Spiritus gratiam et istam perversam actionem. Non metuis, o homo, dum quibus oculis illic lectum qui est in orchestra spectas, ubi detestandæ adulterii fabulæ peraguntur, iisdem hanc sacram mensam intueris, ubi tremenda peraguntur mysteria? dum iisdem auribus audis et scortum obscœne loquens, et Prophetam Apostolumque te ad arcana Scripturæ introducentem? dum eodem corde letalia sumis venena, et hanc hostiam sanctam ac tremendam? Annon hæc sunt vitæ subversio, conjugiorum corruptelæ, bella pugnæque et rixæ in domibus? cum enim spectaculis illis dissolutior ac mollior lasciviorque, omnisque pudicitiæ hostis factus, domum redieris, uxoris aspectus minus erit jucundus, qualiscumque etiam illa fuerit. Siquidem inflammatus illa concupiscentia, quam in theatris hausisti, et ab illo alieno spectaculo, quod te dementavit, captus, castam ac modestam uxorem et totius vitæ consortem despicis, contumelia

afficis, innumerisque probris operis, non quod quidquam habeas quod in illa culpes, sed quod erubescas confiteri morbum, quod pudeat vulnus ostendere, quo in spectaculis sauciatus redisti domum; alias nectis causationes, iniquas inimicitiæ quærens occasiones, omnia quæ domi sunt fastidiens, et ad scelestam illam et impuram inhians concupiscentiam, a qua vulnus accepisti : dumque sonitum vocis geris in animo manentem, itemque aspectus, motus, omniaque illa meretriciæ libidinis simulacra, nihil eorum quæ domi sunt cum voluptate intueris. Et quid loquor de uxore aut familia, quando ipsam etiam Ecclesiam postea minus libenter visurus es, et cum tædio auditurus sermonem de pudicitia deque modestia? Neque enim jam ea, quæ dicuntur, tibi pro doctrina sunt, sed pro accusatione, teque paulatim in desperationem adducent : tandem et abrumpes teipsum a disciplina ad publicam omnem utilitatem adhibita. Quapropter rogo vos omnes, ut et ipsi pravas in spectaculis commorationes vitetis, et alios ab his deductos retrahatis. Quidquid enim illic geritur, non est oblectatio, sed pernicies, sed pœna, sed supplicium. Quid prodest illa temporaria voluptas, dum hinc perpetuus nascitur dolor, dumque nocte pariter ac die a concupiscentia stimulatus, omnibus molestus es et invisus? Excute igitur teipsum, reputans qualis fias ab Ecclesia rediens, rursus qualis a spectaculis, atque hos dies cum illis conferas : id si feceris, nihil opus erit nostro sermone. Satis enim fuerit hunc diem cum illo comparasse, ad ostendendum et quam magna sit hinc utilitas, et quanta sit illinc noxa. Hæc nunc ad vestram charitatem dicenda putavi, nec unquam dicere cessabo. Sic etenim et eos qui huic morbo obnoxii sunt, admonebimus, et qui sani sunt, confirmabimus : utrisque enim fuerit utilis hæc oratio : alteris quidem ut desistant, alteris vero ne incidant. Cæterum quoniam oportet increpationem esse

moderatam, hic admonitioni finem imponemus, et quæ de superiore restant argumento persolvemus, redeuntes ad Davidem. Siquidem hic pictoribus mos est, quoties imaginem aliquam ad vivum expressam absolvere cupiunt, unum, duos, vel tres dies assident iis, quos depingunt, ut assidua contemplatione citra errorem exacteque formatam exprimant similitudinem. Quia igitur et nobis propositum est non corporalis formæ imaginem, sed animi pulchritudinem, ac spiritualem decorem vobis hodie depingere, ipsum Davidem volumus adesse vobis, ut omnes in eum intuentes in animum referatis expressam Justi pulchritudinem, suavitatem, magnanimitatem, in summa virtutem ejus omnem. Etenim si corporis imagines nonnullum intuentibus solatium afferunt, multo magis idem facient mentis imagines. Atque illas quidem non licet ubivis intueri, sed eodem in loco consistas oportet : hanc vero nihil vetat quominus quocumque velis tecum circumferas. Nam posteaquam eam in animi penetralibus reposuisti, ubicumque locorum fueris, poteris sæpe contemplari, plurimumque ex ea utilitatis capere. Et sicut qui laborant oculis, si spongias ac vestium cyaneo colore pannos tenentes frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen : similiter et tu, si Davidis imaginem præ oculis habeas, et in hanc assidue defigas oculos, etiamsi millies obtundat ira mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequeris sanitatem, puramque animi philosophiam.

III. Ne quis igitur mihi dicat: « Inimicum habeo scelestum, improbum, corruptum, incorrigibilem. » Quidquid dixeris, non est tamen Saüle deterior, qui semel et iterum, imo sæpius servatus a Davide, cum ipse mille modis illi struxisset insidias, tamen pro tot beneficiis acceptis, perseveravit in sua malitia. Quid igitur habes quod incuses

inimicum? Quod terræ partem ademit? quod in agris fecit injuriam? quod domus limites transgressus est? quod mancipia tua rapuit? quod vim attulit? quod tua præter jus occupavit? quod ad paupertatem redegit? At nondum eripuit vitam, quod molitus est Saül : quod si et vitam eripere conatus est, fortasse semel id ausus est, non semel, bis aut ter, non sæpius, sicut fecit Saül. Quod si etiam semel, si bis, si ter, si sæpius hoc tentavit, at non tot affectus abs te beneficiis, at non cum semel atque iterum incidisset in manus tuas, et servatus esset. Et si hoc quoque factum est, sic etiam rursus superat ipse David. Non enim paria sunt sub vetere lege de gentem, et nunc post Evangelii gratiam talia condonare gratis. Non audierat David parabolam de decem millibus talentorum, neque de centum denariis. Non audierat precationem dicentem : « Remittite homini- » bus debita ipsorum, sicut et Pater vester cœlestis [1]. » Non viderat Christum crucifixum, non effusum pretiosum sanguinem, nec audierat innumerabiles sermones circa hanc philosophiam, non talis sacrificii, neque sanguinis dominici particeps fuerat, sed legibus imperfectioribus educatus, neque tale quidquam exigentibus, tamen ad evangelicæ philosophiæ fastigium pervenit. At tu frequenter iratus, injuriarum memoriam retines : hic vero, cum de futuris metueret, certo sciens, si hostem servaret, se et civitate exulaturum, et vitam calamitosam acturum, non destitit tamen illius habere curam, sed omnia fecit, hunc talem contra se hostem fovens. Quis commemorare valeat tolerantiam hac majorem? Porro ut non tantum ex præteritis, veram ex his quoque, quæ nunc fiunt, discas fieri posse, ut cum quovis homine animum in te hostilem gerente redeas in gratiam, quid leone sævius? et tamen hunc cicurem mansuetumque reddunt homines, arte naturam superantes :

[1] Matth. VI, 24.

fitque quavis ove mitior fera omnium immanissima et superbissima, adeo ut per forum ambulet, neminem territans. Quam igitur habituri sumus excusationem, quam impetrabimus veniam, si cum feras bestias cicuremus, negaverimus homines unquam posse placari, benevolosque erga nos reddi? Atqui bestiæ quidem præter naturam est esse mansuetam, homini vero præter naturam est feritas. Ergo cum in illis naturam vincamus, qua fronte nos excusabimus, si in homine causemur animi propositum non posse corrigi? Quod si adhuc contendis, illud dixerim, quamvis insanabili morbo ægrotet homo, quo plus fuerit laboris, hoc tibi merces erit amplior, si assideas, curans immedicabili morbo laborantem. Unum igitur illud spectemus, non ne quid mali patiamur ab inimicis, sed ne quid illis mali faciamus. Ita nihil patiemur mali, etiamsi innumera perferamus mala: quemadmodum nec David, dum ejicitur, dum in exilium agitur, dum usque ad vitæ discrimen insidiis appetitur, quidquam acerbi passus est: quin potius hoste suo factus est illustrior honorabiliorque, cæterisque omnibus amabilior, idque non hominibus tantum, sed ipsi etiam Deo. Quid enim detrimenti cepit Sanctus ille, cum tam multa perpeteretur a Saüle? Annon in hodiernum usque diem canitur illustris in terra, illustrior in cœlo? Annon illum inenarrabilia manent bona et cœlorum regnum? Rursus quid commodi cepit infelix ille ac miser, tot insidias molitus? nonne regno excussus est? nonne miseranda morte periit una cum filio [1], atque ab omnibus vituperatur, et quod his gravius est, æterna luit supplicia? Postremo quid tandem est quod incusas, quamobrem non vis cum illo redire in gratiam? pecunias eripuit? sed si fortiter perfers rapinam, tantumdem accipies mercedis, ac si eas in manus pauperum reposuisses. Siquidem et qui

[1] 1 Reg. xxxi, 9.

dedit egenis, et qui ei qui aliena usurpavit, neque parat insidias, neque male precatur, ambo propter Deum id faciunt : proinde cum impendii causa eadem, perspicuum est et unam eamdemque fore coronam. Sed vitæ insidiatus est, et conatus est occidere? Ea res tibi pro martyrio imputabitur, si insidias molientem, et ad tantam provectum inimicitiam, inter bene meritos numeraris, non desinens orare pro illo, Deum obsecrando, ut illi fiat propitius.

IV. Ne igitur illud reputemus, quod Deus vetuerit ne Davidem occideret Saül : sed illud considera, cum ex insidiis Saülis tripla quadruplaque martyrii corona redimitum fuisse. Etenim qui propter Deum servavit hostem, eum qui semel, bis, imo frequenter lanceam in caput illius vibrarat, cum esset occidendi potestatem nactus, tamen pepercit ipsi, cum sciret postea fore, ut denuo ab illo impeteretur, perspicuum est eum millies interfectum esse animi proposito ; millies autem interfectus propter Deum, plurimas tulit martyrii coronas : qui quemadmodum et Paulus ait : « Quotidie morior propter Deum ; » idipsum et ille propter Deum passus est. Cum enim posset hostem sibi insidiantem e medio tollere, propter Deum noluit, et maluit quotidie periclitari, quam justa cæde a tot mortibus liberari. Quod si usque ad ipsius vitæ periculum insidiantem ulcisci atque odisse fas non est, multo minus licet eum qui vulgariter læsit, ulcisci. Plerisque ab inimicis allici convitiis, aut in suspicionem adduci, videtur omnibus mortibus intolerabilius. Age igitur et istud expendamus. Aliquis tibi maledixit, adulterum ac scortatorem appellavit? hoc si vere dicit, corrige : sin falso, irride. Si tibi ipse conscius es eorum quæ objiciuntur, resipisce : si non es, despice. Imo potius non solum deride ac neglige, verumetiam gaude atque exulta secundum Domini sermonem, qui nos jubet ita facere. « Cum, inquit, exprobraverint vobis, et dixerint

» omne malum verbum adversum vos mentientes, gaudete » et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis [1]. » Ac rursum, « Gaudete et exultate, cum ejecerint nomen » vestrum tanquam malum mentientes [2]. » Cæterum ubi convitiator quidem vera dixerit, tu vero modeste pertuleris ea verba, non regerens contumeliam, neque convitia referens, sed amare ingemueris damnans tua delicta, haud minorem feres mercedem, quam ille prior, idque vobis e Scripturis approbare conabor : uti pernoscatis non tantum utilitatis afferre amicos, dum laudant et ad gratiam loquuntur, quantum utilitatis afferunt inimici vituperando, etiamsi vera dixerint, sic tamen ut nos accusationibus illorum ad id, ad quod oportet, uti velimus. Nam amici frequenter ad gratiam adulantur, contra hostes delicta proferunt in medium. Quoniam cum nos nostra peccata non videamus ob amorem nostri nobis insitum, illi quia propter odium ea melius quam nos perspiciunt, exprobrando nos ad correctionis necessitatem impellunt : ut illorum inimicitia nobis cedat ad maximam utilitatem, non ideo tantum quod per illos admoniti intelligimus errata nostra, sed quod ea deponimus quoque. Nam si inimicus exprobraverit tibi crimen, cujus tibi conscius es, tu vero audiens non convitieris illi vicissim, sed cum amaro gemitu Deum implores, protinus omnem culpam deposuisti. Rogo, quid hoc esse poterit felicius? quid ad criminum abolitionem facilius? Sed ne videamur vos verbis humanis excitare, e divinis Scripturis super hac re proferemus testimonium, ne quid præterea dubites. Pharisæus et publicanus erant, quorum hic quidem ad summam progressus erat malitiam, alter summam exercebat justitiam, ut qui facultates suas erogaret, assidueque jejunaret, purus a rapinis : contra alter in rapinis ac violentiis vitæ tempus omne consumpserat.

[1] Matth. v, 11, 12, et Luc. vi, 22, 23. — [2] Ibid.

Ambo ascenderunt in templum orandi gratia. Ille stans dicebat : « Gratias ago tibi, Domine, quoniam non sum si-» cut cæteri homines, rapaces, avari, neque velut hic » publicanus [1]. » At publicanus procul stans non regessit contumeliam, neque vicissim dixit convitium, non protulit ista vulgaria verba : « Tu-ne audes meæ vitæ mentionem facere meaque facta reprehendere? Annon sum te melior? Referam tua peccata, faxoque ne unquam in hæc sacra conscendas atria : nihil, inquam, istiusmodi frigidorum verborum locutus est publicanus, quibus utimur quotidie nos mutuo convitiis aspergentes, sed amare suspirans pectusque percutiens, hoc tantum dixit : « Propitius esto mihi » peccatori [2], » Et descendit justificatus. Vides celeritatem? Accepit probrum, et abluit probrum. Agnovit peccata, et et deposuit peccata : et criminum accusatio facta est illi criminum remissio, et hostis insciens factus est beneficus. Quot labores erant publicano subeundi, jejunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua egenis impartiendo, longo tempore in sacco et cinere sedendo, ut illa tam multa peccata posset deponere? at nunc cum nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit iniquitatem : ac probra convitiaque Pharisæi, qui videbatur illum contumelia afficere, illi peperierunt justitiæ coronam, idque sine sudoribus, sine laboribus, et absque longi temporis mora. Vides-ne nos, etiamsi quis vera de nobis prædicet, quorum nos ipsi nobis conscii simus, ista vero prædicantem non vicissim impetierimus maledictis, sed amare ingemiscentes, Deum pro delictis nostris imploraverimus, omnia peccata deponere posse? Hoc pacto et hic justificatus est : quoniam enim Pharisæum non ultus est convitiis, sed pro suis peccatis ingemuit, descendit justificatus præ illo.

V. Vides quantum afferat utilitatis inimicorum expro-

[1] Luc. xviii, 11. — [2] Ibid. 13.

bratio, si modo eam philosophico pertulerimus animo? Quod si et mentientes et vera loquentes nobis prosunt, quamobrem dolemus? quam ob causam urimur? Ni teipsum læseris, o homo, neque amicus, neque inimicus, ne ipse quidem diabolus poterit te lædere. Etenim cum et ii, qui nos contumeliis afficiunt, qui traducunt, qui usque ad ipsius vitæ discrimen insidiantur, utilitatem afferant, et alii martyrii coronam nobis plectant, ut ostendimus; alii rursus, dum peccata nobis exprobrant, nos justos reddant, quemadmodum accidit in Publicano, cur in illos efferimur et excandescimus? Ne dixerimus itaque : « Ille me atrociter irritavit, ille me perpulit ut dicerem inhonesta verba : » nos ubique talium causa sumus. Nam si velimus philosophari, ne dæmon quidem poterit nos ad iram concitare : idque liquet tum ex aliis compluribus, tum ex hac ipsa, quæ nunc in manibus est, historia de Davide, quam operæ-pretium fuerit et hodie in medium afferre, si prius charitatem vestram admonuerimus, ubinam nuper terminaverimus concionem. Ubi igitur eam terminavimus? in excusatione Davidis. Proinde necesse est, ut hodie vobis Saülis verba referamus, quo videamus quid hic ad justissimam illius excusationem responderit. Neque enim e verbis tantum quæ David locutus est, verumetiam e Saülis oratione, Davidis virtutem perspiciemus : nam si Saül aliquid placide mansueteque responderit, hujus causam Davidi imputabimus, qui immutarit hominem, quique erudierit, et ad sobrietatem composuerit illius animum. Quid igitur ait Saül? posteaquam audierat David loquentem, « Ecce lacinia » chlamydis tuæ in manu mea [1], » aliaque cuncta quæ in excusationem attulit : « Vox, inquit, ista tua, fili David? » quanta subito facta est mutatio! qui nunquam sustinuerat illum vel simplici vocare nomine, ipsam etiam appellatio-

[1] 1 Reg. XXIV, 12.

nem habens exosam, nunc adoptat eum in cognationem, appellans eum filium. Quid igitur Davide felicius, qui ex homicida facit patrem, e lupo ovem, qui fornacem iracundiæ multo implevit rore, qui tempestatem vertit in tranquillitatem, quique tumorem omnem ira exæstuantis animi restinxit? Verba quippe Davidis ingressa in animum istius efferati, totam hanc perfecerunt immutationem, quod e Saülis verbis deprehendas licet. Neque enim dixit : « Sermones tui isti, fili David [1] : sed, « Vox tua ista, fili David : » adeo mox ad ipsam vocem incaluit. Et quemadmodum pater, ex longo intervallo audita filii revertentis voce, non ad conspectum modo illius, verumetiam ad ipsam vocem excitatur : sic et Saül, simul ut verba Davidis in animum ingressa sunt, abjecit inimicitiam, jamque Sanctum agnovit, positoque affectu, recepit affectum. Siquidem posita ira, recepit tranquillitatem et commiserationem. Et sicut quandiu nox adest, sæpe ne præsentem quidem amicum agnoscimus, at mox ut exortus est dies, etiam eminus conspectum agnoscimus : itidem et in inimicitia solet usuvenire. Donec inter nos malevolum gerimus animum, vox audita nobis aliter sonat, et ipsam faciem corrupta mente aspicimus : at ubi posuerimus iram, et vox quæ prius erat invisa atque hostilis, placida nobis ac jucundissima videtur et aspectus ipse prius inimicus et injucundus, tunc fit amabilis et jucundus.

VI. Idem accidit in tempestate. Non patitur nubium concursus nobis conspicuam esse cœli pulchritudinem, sed quamvis habeamus oculos perspicacissimos, nequaquam pertingere possumus ad illam supernam jucunditatem. At ubi jam radiorum calor, perruptis ac discussis nubibus, solem ostendit, rursus et cœli decorem ostendit. Idem accidit in nobis ira ferventibus, dum simultas velut densa nubes ante

[1] 1 Reg. xxiv, 17.

oculos et aures stat, facit ut voces aspectusque videantur aliter quam sunt : verum simul atque aliquis philosophatus posuerit odium, nubemque disruperit ægritudinis, tunc demum incorrupta mente et videbit, et audiet omnia : quod et huic evenit Saüli, qui simul atque nubem malevolentiæ disrupit, agnoscens vocem Davidis, ait : « Vox tua ista, fili » David. » Quænam ista? quæ Goliath dejecit ; quæ civitatem periculis eripuit; quæ cunctos in servitutis ac mortis periculo constitutos, in securitatem et libertatem restituit ; quæ Saülis furorem sedaverat ; quæ multa magnaque beneficia in eum contulerat. Siquidem hæc barbarum illum prostravit, eo quod priusquam mitteret lapidem, eum precationis robore fuerat aggressus. Neque enim vulgari more projecit lapidem, sed prius hæc locutus, « Tu venis ad » me in diis tuis, ego autem venio ad te in nomine Domini » Sabaoth, cui exprobrasti hodie [1], » emisit lapidem ; hæc vox lapidem veluti manu duxit in Goliath, hæc pavorem incussit barbaro, hæc hostis confidentiam fregit. Et quid miraris, si vox Justi et furorem mitigat, et hostes dejicit, cum impios quoque spiritus expellat? Loquebantur tantum Apostoli, et fugiebant omnes adversariæ potestates. Vox Sanctorum frequenter et elementa vicit, et potestates illorum immutavit. Locutus est tantum Jesus Nave, « Stet » sol et luna [2], » et stetit. Sic et Moses mare ingressus est, et cessit : sic tres illi pueri ignis vim extinxerunt, hymnis illis suis ac voce. Itidem et Saül ad eamdem vocem incaluit, dicens : « Vox tua ista, fili David. » Quid igitur David ? « Servus tuus, domine mi rex [3]. » Posthac certamen oritur, et contentio uter alterum majore prosequatur honore. Saül quidem ad cognationem ascivit : David autem dominum eum appellat. Quod autem dicit, tale est : « Unum, inquit, illud quæro, salutem tuam ac virtutis profectum. Filium

[1] 1 Reg. xvii, 45. — [2] Jos. x, 12. — [3] 1 Reg. xxiv, 9.

me appellasti, mihi vero satis est, si me pro famulo habeas, tantum ut iram ponas, tantum ut ne quid de me suspicere mali, neu me putes hostem aut insidiatorem. Implevit illam legem apostolicam, quæ jubet ut nos ipsos vincentes honore invicem præveniamus [1], non secundum plurimorum morem, qui pejus affecti sunt, quam ipsæ pecudes, qui proximum ne affari quidem priores sustinent, existimantes sese contumelia affici, et a dignitate dejici, si quem vel affatu simplici compellent. Quid ista dementia possit esse magis ridiculum? quid hac arrogantia fastuque fœdius? Tunc enim, tunc, inquam, a dignitate dejectus es, o homo; tunc injuria, tunc contumelia affectus es, quoties expectas, ut proximus te prior alloquatur. Quid enim arrogantia deterius? quid fastu et inani gloria magis ridiculum? Nam si prior alloquaris, et Deus ipse collaudabit, quod est omnium maximum, et homines insuper comprobabunt, tuque illius appellationis mercedem totam accipies. Quod si expectaveris, ut prior honoratus, tum denique proximum honores, nihil jam magni feceris. Nam is unde honoris cepit initium, idem relati abs te honoris totam mercedem accepturus est. Proinde ne expectemus, ut alii priores nobis honorem deferant, sed accurramus ad exhibendum proximo honorem, semperque a nobis oriatur salutationis initium : neque putemus hoc officium esse contemnendum et vulgare, si libenter et amanter salutemus. Nam hoc prætermissum multas amicitias disrupit, multas peperit simultates : quemadmodum e diverso idem studiose exhibitum veteres at diuturnas inimicitias dissolvit, et amicitias priores confirmavit. Noli igitur, charissime, his in rebus studium negligere, sed si fieri potest obvios qualescumque fuerint, tum in salutando, tum in cæteris omnibus priores deliniamus. Quod si quis te prævenerit, majorem repende

[1] Rom. XII, 10.

honorem. Nam et hoc admonuit Paulus, ita loquens : « Alii alios vobis ipsis superiores existimate [1]. » Ita fecit David, qui et prior honorem detulit, et honoratus majorem honorem reposuit, dicens : « Servus tuus, domine mi rex. » Vide vero, quantum fecerit lucri David hæc locutus : non jam sustinuit Saül hanc vocem audire sine lacrymis, sed ploravit amare, animi sanitatem ac philosophiam, quam David inseverat, lacrymis declarans.

VII. Quid esse possit hoc Propheta beatius, qui brevi temporis momento sic hostem a furore ad sobrietatem composuit, et animum nactus sanguinis ac cædis sitientem, repente ad lamenta et ejulatus compulit ? Non perinde miror Mosem, quod e saxo prærupto fontes elicuit aquarum, ut admiror Davidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum. Etenim ille quidem vicit naturam ; at hic vicit animi propositum : ille virga percussit lapidem, hic sermone pepulit cor, non ut contristaret, sed ut purum mansuetumque redderet. Quod etiam perfecit majore beneficio regem afficiens quam antea fecerat. Est quidem illud laude summaque admiratione dignum, quod ensem non tinxerit sanguine, nec caput illud hostile resecuerit : sed longe majore corona dignum erat, quod ipsum inimici propositum immutavit, eumque reddidit meliorem, eumque ad suam ipse convertit humanitatem. Hoc beneficium illo præstantius est. Neque enim paria sunt condonare culpam, et ad animi philosophiam adducere. Non sunt paria, liberare ab ira cædem injustam spirante : eximere a cæde, et eximere a furore ad tantum properante nefas. Dum enim satellites suos David cohibuit ne Saülem occiderent, præsenti quidem vitæ profuit : at cum mitibus verbis malitiam ex animo depellit, futuram illi vitam æternaque largitus est bona, quantum quidem erat in ipso. Quoties igitur Davi-

[1] Philip. II, 3.

dem laudas ob ipsius mansuetudinem, magis illum lauda, quod Saülem immutarit. Siquidem multo minus est propriis temperare cupiditatibus, quam alienum vincere furorem, quam cor ira intumescens compescere, eque tanta tempestate tantam facere tranquillitatem, quam oculos homicidium præ se ferentes calidis implere lacrymis. Atque hoc est stuporis ac miraculi plenum. Etenim si Saül fuisset homo moderatus et æquus, non admodum magni erat negotii ad solitam eum revocare virtutem. At efferatum et ad extremam provectum malitiam, jamque ad cædem properantem brevi temporis momento sic afficere, ut omnem illam amaritudinem extinguat, quem non obscuret omnium, qui unquam super philosophiæ doctrina clarum promeruere nomen? Et tu igitur si quando hostis inciderit in manus tuas, ne illud specta, quomodo illum ulciscaris, innumerisque convitiis conspersum emittas, sed quomodo sanes, quomodo ad sobrietatem reducas : neque prius desistas omnia tum facere, tum dicere, donec tua mansuetudine superaris illius truculentiam. Nihil enim humanitate potentius, quod ipsum quidam declaravit, dicens : « Sermo mollis con» fringet ossa [1]. » Atqui quid osse durius? Et tamen si quis æque durus sit, et rigidus, ac præfractus, tamen illum facile vicerit, qui mansuete tractet. Ac rursus : « Responsio sub» missa avertit iras [2]. » Unde liquet ut hostis irritetur aut reconcilietur, magis in tua potestate esse, quam illius. Non enim in iis, qui ira commoti sunt, sed in nobis situm est, ut vel extinguatur illorum ira, vel ad majus irritetur incendium. Et hoc item qui priora dixit, simplici declaravit exemplo : sicut enim, inquit, si insuffles in scintillam ignis, excitas incendium : contra si inspuas, extinguis, et utrumque tibi in manu est, quoniam utrumque, inquit, ex ore tuo proficiscitur : sic et in inimicitia in proximum, si inflatos

[1] Eccl. xxviii, 18. — [2] Prov. 15, 1.

ac vecordes ingeras sermones, excitas ignem illius, accendis carbones : sin mites ac moderatos admoveas sermones, priusquam exardescat, iram omnem extinxeris. Ne dixeris igitur : « Hæc passus sum, aut audivi, » cum hæc omnia sint in tua potestate. Hoc enim pacto iram veluti scintillam, vel extinguere vel accendere, furoremque vel excitare, vel contra sedare, in te situm est. Cum videris inimicum, vel si in mentem veniat quam multa tum audieris, tum perpessus sis molesta, fac omnium horum obliviscaris. Etiamsi recorderis, tamen fac ea diabolo imputes ; collige vero si quid unquam humaniter vel dixit vel fecit. Si in horum recordatione commoratus fueris, ocius dissolves inimicitiam. Quod si est animus illum incusare, cumque illo expostulare : fac prius abjicias animi motum, iramque extinguas, ac tum cum illo expostula, tum argue, et facile poteris vincere. Siquidem ira commoti nihil sani poterimus unquam vel dicere, vel audire : sed a perturbatione liberi, nec ipsi verbum asperius unquam emittemus, nec aliis acerbe loquentibus, eodem modo audiemus. Neque enim ipsa perinde natura eorum quæ dicuntur, atque animus odio occupatus nos exasperare solet. Frequenter enim fit, ut cum eadem convitia audimus ab amicis jocantibus, facetiisve ludentibus, aut a pueris parvulis, non solum nullam sentiamus molestiam, neque exasperemus, sed rideamus etiam, atque exhilaremur, eo quod illa non audiamus animi affectu corrupto, neque mente ira præoccupata. Itidem in inimicis, si extinxeris iram, si odium ejeceris, nihil verborum, quæ dicuntur, te poterit offendere.

VIII. Quid autem loquor de verbis? Ne facta quidem offenderint, quemadmodum nec Beatum hunc quidquam horum offendit : sed cum videret inimicum adversus ipsius incolumitatem armatum, hujusque gratia nihil intentatum relinquentem, non solum non est exasperatus, verum ma-

gis illius indoluit malis : quo vehementius insidiabatur ille, hoc impensius eum deflevit. Noverat enim, noverat, inquam, certo, non eum, qui patitur injuriam, sed qui facit, lacrymis ac lamentis esse dignum, ut qui lædat seipsum. Ideo longa apud illum excusatione est usus, nec prius destitit, quam et hostem commoveret ad excusationem cum lacrymis ac lamentis. Posteaquam enim ploravit, vocemque amaram emisit, posteaquam clare ejulavit, quid dicat audi. « Justior tu me es, quoniam tu mihi retribuisti » bona, ego vero retribui tibi mala [1]. » Vides ut suam ipsius damnat malitiam, ac Justi virtutem prædicat, nulloque cogente, ipsum purgat ? Idem tu facito, cum hostis offenderit in manus tuas, noli accusare illum, sed ipsum purga, ut illum perpellas ad sui ipsius condemnationem. Nam si nos accusemus, exasperatur : sin nos excusaverimus, ille reveritus nostram humanitatem, mox seipsum condemnabit. Hoc pacto simul et redargutio fit carens suspicione, et ille omnem exuit malitiam. Quod et hic evenit : cum tacet is, qui affectus erat injuria, is qui fecerat multa cum vehementia seipsum accusat. Neque enim simpliciter dixit : « Fecisti mihi bona, » sed « Retribuisti mihi bona : » hoc est, « Pro insidiis, pro cæde, pro malis illis innumeris, magna mihi rependisti beneficia. At ego ne sic quidem factus sum melior, sed post illa tua benefacta perseveravi in malitia : tu vero ne sic quidem es immutatus, sed constanter tuum obstinuisti morem, nos iterum tibi insidiantes beneficiis prosequens. » In hisce singulis verbis, quot coronis dignus apparuit David ? Quanquam enim os Saülis ista sonabat, sapientia tamen et ars Davidis ea in animum illius inseverat. « Renuntiasti, inquit, mihi hodie quæ mihi feceris bona, » cum me Dominus concluserit in manus tuas, nec occide- » ris me [2]. » En rursus de altera ejus virtute perhibuit testi-

[1] 1 Reg. XXIV, 18. — [2] Ibid. 19.

monium, videlicet, quod bene meritus non tacuerit, neque dissimularit, sed accedens narraverit, non quidem ad ostentationem, sed ipsis factis illum docere cupiens se de numero eorum esse, qui regi bene cuperent, ejusque commodis prospicerent, non eorum qui tenderent insidias. Tum enim fas est propria commemorare beneficia, cum insignis hinc speratur utilitas. Nam quoties, nulla data occasione, jactat quis ac prædicat sua in alium beneficia, nihilo melior est exprobrante. Cæterum quoties id facit, ut male affectum et pravam de ipso opinionem habentem flectat in diversum, is et curator est et beneficus : quod sane fecit David, non a Saüle gloriam captans, sed iram in illo radicatam evellere studens. Atque ideo Saül collaudavit eum, quod et bene meritus esset, et merita commemorasset. Dein cum Saül, referre gratiam cupiens, non inveniret ullam parem, ipsum Deum illi pro se constituit debitorem, ita loquens : « Si inveniet aliquis inimicum suum in angus-» tia, et dimittet illum in via bona, et Dominus reddet illi » bona, quemadmodum fecisti tu mihi hodie [1]. » Quid enim poterat Saül reponere dignum meritis, etiamsi regnum dedisset cum omnibus oppidis? neque enim oppida modo et regnum, verum et vitam ipsam donarat illi David : hic vero non habebat alteram vitam, quam rependeret : eoque illum relegat ad Deum et ab illo dandis præmiis honorat : et hunc laudans, et universos erudiens, tum majora nobis apud Deum præmia reposita esse, cum pro innumeris beneficiis in hostem collatis diversa recipimus. Post hæc ait : « Ecce agnosco » quod regnans regnabis, quodque regnum Israël consti-» tuetur in manu tua. Et nunc jura mihi per Dominum, quod » non aboliturus sis semen meum post me, nec extingues » nomen meum de domo patris mei [2]. » Sed dic, obsecro, unde istud scis? penes te sunt exercitus, penes te sunt pe-

[1] 1 Reg. XXIV, 20. — [2] Ibid. 21, 22.

cuniæ, arma, civitates, equi, milites, breviter universa vis apparatus regii : hic contra desertus ac nudus, nec civitatem, nec domum, nec familiam habens. Unde igitur, quæso, ista loqueris ? Nimirum ex ipsis Davidis moribus. Neque enim nudus et inermis ac desertus me armatum, tantaque circumvallatum potentia superasset, nisi Deum haberet adjutorem. Porro qui Deum habet faventem, omnibus est potentior. Vides ad quantam philosophiam Saül post insidias deductus sit ? vides quî fieri possit, ut inimicus omnem expuat malitiam, immutatusque ad meliora sese recipiat?

IX. Ne velimus itaque de nostra salute despondere animum. Quandoquidem etiamsi ad ipsa malitiæ barathra fuerimus deducti, fieri potest ut nos ipsos inde revocemus, et omnem deponamus malitiam. Deinceps quid ait ? « Jura » mihi per Deum, quod non abolebis semen meum post » me, nec oblitterabis nomen meum de domo patris mei. » Rex privatum rogat : qui diademate cinctus est, supplicem agit, pro filiis suis obsecrat exulem. Et hoc ipsum arguit virtutem Davidis, quod hostis ausus sit hæc ab hoste petere. Nam quod jusjurandum exigit, non eo facit, quod diffidat Davidis moribus, sed quod reputet quot malis illum affecisset. « Jura mihi te non aboliturum semen meum post » me. » Hostem filiis suis relinquit tutorem, suamque prolem in illius deponit manus, dum his verbis filiorum ac Davidis manus apprehendens, Deum sequestrem inducit. Quid igitur David ? Num vel leviter dissimulatione et ironia ad hæc usus est ? nequaquam : sed protinus annuit, quodque petebatur concessit : ac mortuo Saüle, non modo non occidit illius posteros, sed tum plura præstitit quam erat pollicitus. Siquidem filium ejus, cum esset claudus ac debilis cruribus, in suam ipsius domum induxit, suæque mensæ fecit participem, summo illum honore dignatus,

nec erubuit, nec occultavit, nec arbitratus est regiam mensam claudicatione pueri dehonestari, sed decorari potius ac lautiorem fieri. Quotquot enim cum illo discumbebant, abibant magnam philosophiæ doctrinam consecuti. Cum enim viderent Saülis filium, illius qui tanta mala patrarat adversus Davidem, tanto in honore haberi apud ipsum, etiamsi feris omnibus fuissent immitiores, pudore tamen ac rubore cum omnibus inimicis redibant in gratiam. Quanquam si etiam ipse aliunde illi cibum dari jussisset, certumque victus modum ordinasset, valde magnum erat : sed illum ad suam ipsius mensam recipere, eximiæ est philosophiæ. Scitis profecto non esse facile hostium filios diligere. Quid dixi diligere? non odisse, non persequi, magnum est. Itaque multi, defunctis inimicis, in illorum liberos iram, quam in eos habebant, effuderunt. At non ita generosus ac magnanimus iste, sed et viventem inimicum observavit, et illo defuncto, benevolentiam, quam erga illum gesserat, filiis exhibuit. Quid illius mensa sanctius, quam cingebant filii hostis, hostis, inquam, occidere conati? Quid illo convivio spiritualius, in quo tam multæ abundabant benedictiones? Angeli potius quam hominis convocantis erat. Siquidem inimici filios amplecti et amare, et illius filium, qui toties ipsum tentasset e medio tollere, atque id moliens excessisset e vita, id facit ut in illum chorum referatur. Hoc tu quoque facito, charissime, et viventium, et mortuorum filios fovens : viventium quidem, ut hoc modo parentes illorum tibi concilies : defunctorum vero filios curans, ut a Deo multum tibi pares favorem, plurimisque coronis decoreris, utque innumera ab omnibus vota precesque consequaris, non ab iis tantum qui tuis beneficiis adjuti sunt, verumetiam ab iis qui viderunt. Hoc pro te stabit in illo die, magnique tibi futuri sunt patroni in judicii tempore, hostes tuo beneficio adjuti : multa

peccata expiabis, et reposces mercedem. Etiamsi innumera commiseris peccata, si proferas illam precationem, quæ dicit : « Remittite inimicis vestris, et Pater vester remittet vobis » peccata vestra [1] : » multa cum fiducia commissorum omnium remissionem consequeris : atque hic interim bona cum spe vives, habiturus omnes amanter erga te affectos. Cum enim viderint inimicos et inimicorum filios sic diligere, qui fieri poterit, ut non affectent tibi amici tuique studiosi fieri, et omnia tua causa tum facere tum pati? Porro cum tantum apud Deum tibi pares favorem, cum cunctos habeas omnia bona tibi comprecantes, quam sensurus es molestiam, aut quis te vitam vivat feliciorem? Hæc in hac vita non tantum laudemus, verum etiam hinc egressi servemus, ac obambulantes inimicos perscrutandi gratia, eos nobis reconciliemus, et ex inimicis sinceros reddamus amicos. Quod si etiam excusatione fuerit opus, veniaque ab ipsis petenda fuerit, ne recusemus, etiamsi ipsi fuerimus injuria affecti. Hoc pacto copiosior nobis erit merces, hoc pacto major fiducia, hoc pacto cœlorum regnum haud dubie consequemur, gratia et bonitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo patri simul et sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

In Eliam prophetam.

1. Judæorum olim populus Prophetarum possessione ornabatur, eratque ille prophetica agricultura. Nunc autem

[1] Marc. xi, 25.

per Ecclesiam hac ipsa gloria privatus est. Ecce namque apud nos Prophetarum corpora sunt. Infructuoso enim populo non competebant prophetici agricolæ, eis nempe non competebat Prophetas possidere, qui eum qui, per eos prophetaverat, crucifixerunt, in gratiam scilicet mortuorum, quos apud illos suscitavit; cæcorum, quos apud illos visu donavit; famelicorum, quos apud illos aluit; in gratiam item violentiæ, qua propter eos universorum Dominus Deus usus est in beatum Eliam prophetam, ut solveret sententiam contra illos latam. Ad beatum Eliam me ducit is, qui prius vos instituit. Beatus Elias videns judaïcum populum contra clementem Deum sese efferentem, Deumque illorum contra se pervicaciam perpetuo tolerantem, dum illi ejus patientia ad ignaviam semper uterentur, hujusmodi quidpiam excogitat adversus Dei erga illos benignitatem; sententiam fert in eos. Deinde, cum sciret Deum Justorum zelum revereri, cum vellet Judæos castigare, metuensque Dei benignitatem, quæ modicis lacrymis statim medelam admovet, supplicium contra illos decernit, quod et juramento confirmat, ut juramentum reveritus Deus, illam contra ipsos sententiam non solveret. Benignus, aiebat, erga illos est Deus, et modicis lacrymis placatur ab ipsis, id quod illos ad idololatriam deducit. « Vivit Dominus, inquit, non erunt » per annos istos ros et pluvia [1]. » Deinde, quasi Deus ipsi contra responderet. Quid ergo si illi mihi per pœnitentiam adblandiantur, o Elia? Si illos videam lacrymantes; si de peccatis pœnitentes, annon statim pluviam dabo; « Non, » vivit Dominus, nisi per os meum. Non, vivit Dominus [2]. » Illi, inquit, idolis se addixerunt; ego vero per meam juro deitatem. Ostende mihi juramentum, per te factum, prævalidum esse, ut etiam per hoc ediscant idolorum vanitatem. « Non, vivit Dominus. » Non erit, inquit, per istos annos

[1] 3 Reg. xvii, 1. — [2] Ibid.

ros et pluvia, nisi per verbum oris mei. Neque etiam cum id tibi visum fuerit, tolletur supplicium : tibi enim semper placet clementer agere; sed quando pro ipsis supplicabo, cum me judicante, cum sufficientem ostenderint animi pœnitentiam. » Propheticam sententiam reveritus est Deus, juramentum per se factum in honore habuit. Detinebatur ergo Deus et Prophetæ reverentia, et populi fame afflicti miseratione. Quid ergo facit ? una punit et populum et Prophetam; ut ipse quoque famis supplicio affectus, quid humanius circa juramento firmatam sententiam cogitaret. Et una punit quidem Prophetam cum populo, sed Prophetæ pœnam lenit, illam clementiæ viam non sine sapientia emensus. Prophetam enim alit per aves, quibus invisa proles : corvus enim prolem odit, et quæ parit non nutrit, Illud ergo subindicans propheta David dicebat : « Et pullis » corvorum invocantibus eum [1]. » Quia enim pulli corvorum, imo quilibet pulli, infirmiores sunt, quam ut cibum sibi parent, sed alii a parentibus enutriuntur, hoc autem subsidio privantur pulli corvorum, qui a parentibus non aluntur et licet parentes non nutriant, manet tamen genus corvorum : Dei benignatem ostendens David, eorum alimenta Deo ascribit. Iliantes enim in aërem pulli corvorum, parentibus nihil alimenti præbentibus, habent quædam animalcula, quæ mittenti providentiæ divinæ ministrant, et sic ab aëre accipientes, aluntur et crescunt. Ideo dicit: « Pullis » corvorum invocantibus eum. »

II. Quia igitur prolis odium Elias susceperat contra Judæos, ut filios inutiles, per patres prolis osores Deus rem cum illo tractat, tantum non clamans ad Eliam, etsi silenter: «Ne tanto prolis odio erga Judæos teneare, quanto corvi erga pullos suos. Sed vide nunc mutatos corvos : vide, o Elia, eorum benignitatem; qui nulla utuntur erga proprios

[1] Psal. CXLVI, 9.

pullos, tibi sunt hospites officiosi. Absurdum est, o Elia, corvos conciliatores esse inter te et meam benignitatem, te vero non conciliatorem Judæis esse, ut non pœna a me ipsis irrogetur. Corvorum mutationis rationem habe, et esto erga Judæos clementior. Ego enim et sententiæ tuæ rationem habeo, et miseror afflictos.» Ut autem vidit Deus Eliam non cedentem, rursus revocat alimentum per corvos allatum, ut illum ad reconciliationem vi deduceret, utque fame coactus, sententiam contra ipsos latam solveret vel in sui gratiam. Verum ille corvorum ministerio destitutus, id toleravit, et ait: « Famem patiar, dummodo impios castigatos videam : pereat corpus meum cum his fame castigatum. » Deficiente igitur corvorum commeatu, multoque elapso tempore, iterum correptus Elias in alium transfertur locum, et fame pressus, gentilem et famelicam pauperemque viduam supplex adit. Deus autem volens illum esse indulgentiorem, cum tunc Judæis interdictum esset omne cum gentibus commercium, id quod futurum erat prædicit ei: « Surge, inquit, et vade in Sarephtha Sidoniæ, et præ» cipiam ibi mulieri viduæ gentili, ut te alat [1] ; » ut illo audito, « Gentili, » alimentum exosum haberet, et a Deo pluviam peteret. Ille autem neque ad hanc vocem mitior factus est, sed cucurrit ad gentilis mulieris alimoniam. Et quod majus est, excitat Deus viduam, ut esurienti verba dura loquatur, undique illum ad benignitatem compellens. Quid ergo Gentilis ad ipsum : « Vivit Dominus Deus tuus. » Undenam mulierem subiit dicere: « Vivit Dominus Deus » tuus?» Præoccupaverat Deus per visionem viduæ Prophetam ostendere. Hoc enim est, quod Deus Prophetæ dicebat: « Præcipiam illi mulieri viduæ ut te alat. » Ostenderat Deus mulieri habitum, formam et staturam Prophetæ, futuramque petitionem. Unde postquam astitit Propheta,

[1] 3 Reg. xvii, .

visionis recordata est mulier. Vidit ipsum talem, qualis ipsi visus fuerat. Hinc igitur cognoscens divinam esse revelationem, statim astante et cibum petente Propheta, clamabat : « Vivit Dominus Deus tuus, non est mihi subcinericius panis, sed pugillus farinæ in hydria, et parum olei » in lecytho : et ingressa faciam hanc mihi et filiis meis, et » comedemus, et moriemur [1]. » Statim desperationis potius quam largitionis verba. « Non est mihi subcinericius panis, » sed pugillus farinæ : hanc ingressa faciam mihi et filiis » meis, et comedemus, et moriemur. » Nihil, inquit, nobis relictum est aliud, pugillo farinæ absumpto, quam ut moriamur. Hac voce affici cœpit Elias. « Majore, inquit, quam ego, hæc fame premitur. Ego solus esurio, illa cum filiis. Ne sim hospitæ mortis auctor. » Quid igitur? Ad hanc vocem, ut dixi, lenitur, cœpit tandem indulgentiam cogitare. « Non deficiet, inquit, lecythus olei, neque hydria farinæ, » donec det Dominus pluviam super terram [2]. » Jam tandem pauculam pluviam dandam subindicat. Antequam fame domaretur, non permittebat Deum in pluvia concedenda clementiam suam ostendere, sed dicebat : « Non erit hisce » annis pluvia aut ros super terram, nisi per verbum oris » mei [3]. » Nunc autem permittit, et jam liberationis initium subindicat ; sed subindicabat tantum, petitionemque tamen nondum adhibebat.

III. Quid ergo fons ille clementiæ ? Tertiam misericordiæ machinam rursus adhibet. Jubet enim animam filii viduæ e corpore migrare. Cum enim Prophetam in honore haberet, benedictionem non abrogavit, neque lecythum deficere jussit ; ita ut Propheta in misericordiæ necessitatem reduceretur. Illud enim dedecori fuisset Prophetæ, si benedictio, quam ipse dederat, secus cessisset : illudque gentilis viduæ fidem læsisset, utpote quæ parum ex ejus

[1] 3 Reg. xvii, 12. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 1.

contubernio benedictionis accepisset. Ideo Deus benedictionem non abrogat, sed tertiam machinam Prophetæ admovet: curat enim ut viduæ filius moriatur, atque in sui precandi necessitatem Prophetam deducit. Nam vidua, filio mortuo, Prophetæ circum astabat cum lacrymis. « Utinam, inquit, fame pridem mortua essem, et ante tuam benedictionem mortua essem, ne mortui filii spectatrix essem. » Pudefactus Propheta dicebat : « Hæccine viduæ merces pro hospitalitate, quam erga me exhibuit? Antequam me exciperet, prole gaudebat; me excepto, luctus adest de amisso dilecto filio. » Pudore affectus Elias, et rem secum reputans, sensit id arte universorum Domini factum esse, sensit divinam artem. Et quid ait? « Heu mihi, Domine, » testis viduæ, apud quam ego habito? » Quid sibi vult illud? A te, inquit, testimonium ad me prodiit circa hanc viduam. Tu, inquit, dixisti : « Præcipiam mulieri viduæ ut te nu- » triat, » testificans mulieris piam voluntatem. Ad hanc ex illis me locis transtulisti, et quam testimonio tuo coronasti, hanc nunc filii morte punis. « Heu mihi, Domine, testis » mulieris, apud quam ego habito, tu occidisti filium ejus [1]. » Non est, inquit, id quod accidit mors naturalis, id ex techna tua proficiscitur, me in clementiæ necessitatem arte deducis; ut cum dixero tibi : « Domine, filii viduæ mortui miserere, » tu contra mihi reponas : « Israëlem filium meum miserare. » At clementiam me impellis : artes tuas sentio, Domine, ut cum dixero tibi : « Filium viduæ mortuum suscita, » tu vicissim respondeas : « Israëlem tu fame enecatum miserare. » Gratiam postulas, gratiam vicissim abs te peto : solve famis sententiam, et solvo mortis decretum.

IV. Ut vidit ergo Deus Eliam tandem domitum, et benigniorem effectum, tunc demum ipse cum eo benigniores confert sermones, utpote qui demum supplicii solutionem

[1] 3 Reg. XVII, 20.

non esse contumeliam existimet. «Vade, inquit : » verba sunt legationis Dei, ad servum facta. Ipse Deus per se de clementia apud servum intercedit. « Vade, inquit ; quia factus es benignior, a me verba misericordiæ excipe : quia me novisti misericordiam parturire, audi me demum clarius. Parturio vindictæ solutionem, urgeor ad reconciliationem perficiendam, revereor lacrymas eorum qui puniuntur. Omnes peccatores, o Propheta ! misericordiæ meæ chirographum habent : ne me facias apud illos mendacem videri. Audi ipsas rescripti voces, quas et ipse nosti : « Nolo » mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat [1]. » Subjecit aures Elias, dictis Dei animum subdidit. « Vade, in- » quit, et siste te in conspectum Achab. » Reconciliari eis volo, sed non sine te ; tu gratiam confer iis qui castigantur. Ego clam apud te pro illis intercedo : tu esto reconciliationis auctor manifestus. « Vade, et siste te in conspec- » tum Achab, et dabo pluviam super terram [2]. » Tu reconciliationem significa, tu pluviæ subministrationem declara. Ego sententiis tuis subscribam. » Cucurrit ergo volens nolens Elias, et pluviam annuntiavit. Sed rursus eorum impietate conspecta, tristem quamdam vindictæ meditabatur sententiam. Quid ergo Deus ? Videns eum non cedere ad misericordiam eorum qui lapsi fuerant, ipsum segregat a contubernio peccatorum. « Ego, inquit, o Elia ! novi zelum tuum, revereor institutum tuum. Sed peccatores miseror, cum supra modum puniuntur. Tu vero severus es pietatis ultor, hominum vero genus frequenter delinquit. Vos ergo a mutuo contubernio sejungo. Ascende quasi in cœlum, quando peccatores ferre non vales. Ego vero peregrinabor in terra. Si diu cum hominibus maneas, hominum illud genus, quod a te sæpe punitur, penitus atteretur. Quid ergo ? Transmigra quasi in cœlos, o Elia : non potest enim

[1] Ezech. XVIII, 23, et XXXIII, 11. — [2] 3 Reg. XVIII, 1.

ignis cum calamo habitare. Do tibi contubernales impeccabiles, cum Angelorum choris te constituo habitatorem. Transmigra tu in cœlum : ego vero apud peccatores peregrinabor, qui possim ovem errantem humeris ferre, qui peccatoribus omnibus dico : « Venite ad me omnes qui laboratis, » ego non puniam vos, sed « Requiescere vos curabo [1]. » Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

In Eliam, et in viduam, et de eleemosyna.

I. Diebus illis, quibus jejunabamus omnes, cum sæpenumero sermonem instituere de eleemosyna statuissem, superveniente vespera sum impeditus, quæ nobis cursum orationis interrupit. Hoc vero fiebat, Deo fortasse in nostram utilitatem ita disponente, atque in hunc diem cohortationem de his rebus differente : ne, dum vos in Ecclesia divisi eratis, eleemosynæ mensa vobis apponeretur : non quod hodie magnum aliquid et insigne dicendum habeamus, sed quod magna sit et eximia virtus eleemosynæ. Multam quippe fiduciam apud Deum res ista conciliat, et tanquam regina quædam religionem nostram regens multa cum securitate cœlestes ingredi sedes consuevit, et illæ, quibus cœlorum januæ commissæ sunt, potestates, siquidem intrantem viderint eleemosynam, multo cum honore reliquis etiam virtutibus propter ipsam fores illas aperiunt : sin autem absque eleemosyna venire viderint, fores illis occludunt. Atque hoc ex virginibus illis patet, quæ prop-

[1] Matth. xi, 28.

terea sacro illo thalamo fuerunt exclusæ, quod oleum in lampadibus suis perpetuo non haberent [1]. Ac mihi discrimen considera. Eleemosyna quidem absque virginitate suos alumnos introduxit in cœlum : at virginitas absque eleemosyna minime potuit. Quando igitur tanta rei hujus est virtus, omni studio institutos de ea sermones excipiamus. Enimvero compendiosa fuerit admodum ad hanc rem cohortatio, si vos ad viduam Sareptis Sidonis habitantem abducamus. Nam qui operibus ipsis instruunt, multo digniores fide magistri fiunt, quam qui verbis solis consilium dant : quocirca vidua quoque nobis rei hujus optima erit magistra. Siquidem nos verbis quidem adhortamur : at illa vos operibus docere poterit, cum eisdem præditam moribus sociam habeat sibi copulatam. Duæ quippe sunt hæ viduæ, una in Novo Testamento, quæ duo minuta misit [2], altera in Veteri, quæ Prophetam suscipere meruit, atque ambæ ad eamdem philosophiæ virtutem pervenerunt, eamdemque comitatem exhibuerunt, et suorum recte factorum similitudine testamentorum nobis affinitatem expresserunt. Nam quemadmodum sublimes quidam scopuli, circumdati portubus, quos appellari pharos mos est, in quibus tota nocte inextinctus ignis lucet, errantes in mari splendore luminis ad portus securitatis deducunt : sic istæ tanquam portubus comitate circumdatæ, magnanimitatis suæ lumine profundissima in nocte : non enim potior est conditio vitæ nostræ quam noctis, sicut et Paulus dicit : « Nox præcessit, dies autem appropinquavit [3] ; » eos igitur, qui profundissima in nocte in avaritiæ mari oberrant, et jamjam submergendi sunt, ad suam invitant securitatem, et humanitatis semper ardentem habentes ignem, inextinctum eleemosynæ lumen conservant.

II. Sed de illa quidem alio loco; hodierno die apud vos

[1] Matth. xxv, 11, 12. — [2] Luc. xxi, 2. — [3] Rom. xiii, 12.

de ista Veteris Testamenti agemus : omnino enim dum hæc laudabitur, illius quoque præconiorum corona nectetur. Nam quarum paria sunt recte facta, earum quoque laudatrix oratio communis est. Orta est igitur hujus tempore fames gravissima, non quod defessa tellus fruges negaret, sed quod hominum peccata Dei donum averterent. Orta est igitur fames gravissima, et omnium acerbissima ; atque illam famem Helias magnus invexit et tanquam terribilem famulum quemdam vocavit, ut conservos injuria Dominum afficientes castigaret : imo vero Judæorum illam advocavere peccata; Prophetæ autem illam os intulit, « Vivit enim, in» quit, Dominus Deus, si erit pluvia nisi per os meum [1]. » Intolerandum igitur erat malum : neque enim tantum sterilem reddidit terræ uterum terribilis illa vox Prophetæ, sed et ipsa fluminum fluenta cohibuit, omnesque tum exarescebant torrentes. Et quemadmodum cum vehemens et ardens febris corporis naturam invasit, non superficiem tantum arefacit, sed et interiora permeans ipsam ossium naturam exurit : ita quæ tum vigebat siccitas aëris, non solam terræ faciem incendebat, sed ad ipsa ejus viscera penetrans omnem inferiorem humorem exhauriebat. Quid ergo Deus ad Prophetam? « Surge, inquit, et vade in Sa» rephtha Sidoniæ : ibi mandabo mulieri viduæ, ut nutriat » te [2]. » Quid hoc sibi vult? « In sua patria nullam comitatem expertus est, et ad alienam regionem illum mittis, atque ad mulierem viduam? Nam si opulenta esset, si ditissima, si regis uxor ipsius, si multis terræ frugibus repleta haberet promptuaria, nonne voluntatem ejus vehementius quam terram ipsam metus famis sterilem redderet? » Ne igitur hæc Propheta diceret, aut animo versaret, idcirco prius eum per corvos aluit, ut per ea quæ gerebantur, ista propemodum illi diceret : « Si effeci, ut rationis expers natura hos-

[1] 3 Reg. xvii, 1. — [2] Ibid. 9.

pitio te reciperet, multo magis ratione præditæ, ut hoc faciat, persuadebitur. »

III. Propterea vidua post corvos. Videre erat Prophetam mulierculæ factum obnoxium, animam illam ad cœlos usque sublimem ac divinam, generosum et excelsum Heliam velut erronem quemdam ac mendicum ad viduæ januam venire, atque illud os, quod cœlum clauserat, mendicorum voces effundere; » Da mihi panem, da mihi aquam : « ut tu discas nihil æque benevolum et humanum esse ac viduæ domum, et tabernaculum egestatis plenum, ac divitiarum expers, et malorum quæ ex divitiis oriuntur. Locus enim erat a tumultibus liber, omnisque philosophiæ plenus, et portu quovis tranquillior. Talia maxime requirunt domicilia Sanctorum animæ. Pergebat igitur ad viduam Propheta, quæ Judæos, quibus perosi erant peregrini, exemplo erat suo redargutura : pergebat ad viduam, omnesque docebat, merito Judæos pœnam illam sustinere. Nam cum in aliquos pœnam illaturus est Deus, non quoquo modo supplicium immittit, neque sui judicii contentus est calculo, sed et apud homines excusat se rebus ipsis ac tuetur, perinde quasi communi quodam in judicio suspicionibus vulgi expositus disceptaret. Et quemadmodum qui judicium exercent, cum ad mortis supplicium quempiam sunt abducturi, in sublimi præsidentes tribunali, ac vela contrahi jubentes, totam civitatem circum sese stare curantes, ita velut in publico theatro judicant, et in oculis omnium atque auribus interrogationes adhibent reo, et acta, et commentarios scelerum ab illo perpetratorum legi præcipiunt, et efficiunt ut reus ipse suorum facinorum fiat accusator, ac tum demum sententiam ferunt : ita quoque Deus tanquam in excelso quodam tribunali prædicationis Scripturæ præsidens, universum orbem terrarum præcipiens circumsistere, spectantibus omnibus et audientibus, quæstionem

instituit peccatorum, non commentarios et acta legi præcipiens, neque tabulas in medium adducens, sed ipsa reorum peccata nobis ob oculos contemplanda proponens.

IV. Sane cum infesta fulmina in Sodomitas erat immissurus, et populos urbesque terribilis illius flammæ opera de medio regionis sublaturus, cum novum et insolitum illum imbrem dejiciebat, multo priori terribiliorem, quem primum et solum sol unquam aspexit: antequam ejusmodi pœnam inferret, eorum improbitatem, qui puniendi erant, nobis indicavit, non tabulis, ut dixi, lectis, sed adductis in medium ipsis eorum peccatis. Propterea nimirum Angelos misit, non tantum ut Lot educerent, sed ut illorum iniquitatem ostenderent, quod etiam evenit. Cum enim eos Lot excepisset, hospitis domum obsederunt omnes, et in orbem circumsteterunt. Hujus autem obsidionis copiarum dux erat infandus amor, et iniqui cupiditas coïtus, qui et ætatis et naturæ limites excedebat. Neque enim juvenes solum circumsteterunt, sed etiam seniores: et neque canities rabiem sedavit, neque furorem senectus extinxit, sed videre erat in portu naufragium, iniquam in senectute cupiditatem. At non huc usque tantum progressa est illorum improbitas, sed et cum filias suas traditurum se Lot polliceretur, ne sic quidem recesserunt, sed urgebat dicentes non se prius quam viros accepissent recessuros; seque gravissima illaturos mala minabantur ei, qui ut hospitibus honorem deferret, filias suas se promiserat traditurum. Vides ut omni ex parte Sodomitarum nequitiam demonstrarit, ac deinde pœnam illis intulerit? Ne enim postea cum eos affectos supplicio videris, propter calamitatis magnitudinem animo frangaris, neque cum illis Deum accuses, sed illos cum Deo condemnes, antea demonstrata illorum improbitate omnem erga illos misericordiæ occasionem præripuit, et nos ab omni commiseratione in illos avocavit: quod et nunc erga

Prophetam præstitit. Ne fame confectos intuens Judæos doleres, immanitatem illorum et crudelitatem ostendit, et quam raro comiter peregrinos exciperent. Non enim solum Prophetam non susceperunt, sed et se interfecturos minabantur : id quod ex Dei verbis colligitur. Non enim ait tantum : « Recede, » sed etiam, « Abscondere. » Non sufficit ad salutem fuga, sed et oportet ut te diligenter occultes. Populus quippe judaïcus est, populus sanguinem sitiens Prophetarum, et in Sanctis necandis exercitatus : semper manus suas prophetico sanguine cruentarunt. Et cum illum quidem emittebat ex Judæa, « Vade, et abscondere, » inquit : cum autem ad viduam mittebat : « Ego, inquit, illi » mandabo. » Vides, ut inde quidem fugientem jubeat illud cum multa cautione præstare; huc autem confugientem, magna cum fiducia præcipiat et securitate discedere?

V. Neque solum hoc, sed et aliud per hunc Prophetæ adventum ad viduam providit ac disposuit. Ne enim postea cum Christum nonnulli cernerent post multa et immensa beneficia in Judæam collata, post innumeros mortuos, quos suscitaverat, post cæcos, quibus visum restituerat, post leprosos, quos mundaverat, post dæmones, quos ejecerat, post admirabilem salutaremque doctrinam, ab illis, quos devinxerat beneficiis, esse vexatum, et a gentilibus honore affectum, qui nihil viderant, nec audiverant, mirarentur, dubitarent, et rem esse incredibilem existimarent : prius ac multo ante tempore per servos suos, et quam improbi fuerint Judæi nos docet, et quam comes et humani fuerint gentiles nos instruit. Sic nimirum et Joseph illi, quibus ipse cibaria ministraturus advenerat, etiam necare conati sunt : homo autem barbarus in summum illum honorem evexit. Non aliter Moysem, quem beneficio affecti expulere Judæi, homo barbarus Jothor excepit, et multam in eum comitatem, et humanitatem exhibuit. Sic Davidem Saül post amputatum

Goliath caput ejecit, post mille pericula quæ ab ejus civitatisque cervicibus sæpe depulerat : Anchus autem rex barbarorum excepit, et in magnum honorem evexit. Ita nunc etiam Heliam expulere Judæi, sed vidua suscepit. Quando igitur Christum ab illis repulsum videris exceptum a gentibus, animadversis antea figuris, ne prodentem se rei veritatem mireris. Audisti ergo Christum hodie dicentem, et hoc ipsum subindicantem. Cum enim Judæos indignantes alloqueretur dicebat : « Multæ viduæ erant in diebus Heliæ, et » ad nullam missus est Helias, nisi ad viduam, quæ erat in Sa» rephthis Sidonis [1]. » Sed quæret fortasse quispiam, quam ob causam eum, qui tantum pro Dei gloria zelum præ se tulerat, vexari Deus permiserit et affligi, cum eum ad torrentem nunc mitteret, nunc ad viduam, nunc alium in locum, tanquam exulem quemdam volens locum ex loco mutare. Vexatum enim et afflictum fuisse audi quo pacto Paulus etiam testetur : « Circuierunt in melotis, in pelli» bus caprinis, egentes, angustiati, afflicti [2]. » Cur igitur illum sivit affligi? Nam siquidem ob ea peccata quæ in ipsum admiserant, has a Judæis pœnas exegisset, merito dixisset eum vexatione ista periculum afflictionis fecisse, ut mitior fieret, et nonnihil de crudelitate remitteret : sin autem non quod malorum memor esset, quæ ab illis passus fuerat, sed quod propter eorum adversus Dominum improbitatem et insolentiam contabesceret, hanc illis calamitatem invehebat, qua de causa in consortium et ipse malorum vocatur, nec multis deliciis ac securitate perfruitur? Quia nimirum, si dum alii calamitate premerentur, et fame perirent, ipse deliciis et opipara mensa frueretur, illud fortasse factum quispiam crudelitati tribuisset. Nihil enim mirum fuisset visum hominem, cui affatim cuncta suppeterent, aliorum malis oblectari. Idcirco participem eum esse calamitatis

[1] Luc. IV, 25, 26. - [2] Hebr. XI, 37.

permisit Deus, et experiri mala quæ accidebant, ac famem pati, ut discas non famem apud illum, sed zelum fuisse. Neque enim sic in angustias redactus, egestate pressus, vexatus, et afflictus adduci potuisset, ut minas rescenderet, nisi præ nimio zelo beatam illam vocem emisisset. Quocirca jucundius illi fuisset affligi, atque castigatos illos cernere, quam urgenti necessitate liberatos ad priorem reversos impietatem videre.

VI. Tales enim sunt ubique animæ Sanctorum : ut cæteri resipiscant, securitatem suam periculo exponunt. Ne quis diceret eum præ nimia crudelitate famem auxisse, participem eum fieri famis permisit, ut philosophiam Prophetæ cognoscas. Præterea vero cum soleat plerumque miraculorum natura eos, qui miracula patrant, efferre : atque eorum spectatores in eam mentem impellere, ut aliquid in eis humana natura sublimius esse arbitrentur, his etiam duobus remedium adhibuit, et naturæ infirmitatem immutavit. Hæc autem ita se habere, facile fuerit ex Pauli vocibus intelligere. Nam miracula quidem efferre solere, audi quo pacto testetur. « Et ne magnitudo revelationum extol» lat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sata» næ, ut me colaphizet [1]. » Efficere porro miracula, ut qui ea cernunt, majorem concipiant opinionem de illis, a quibus eduntur, hoc etiam inde constat. Cum enim suarum revelationum fecisset mentionem, addit : « Nam si voluero » gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam [2]. » Cur non igitur gloriaris? « Parco autem, ne quis in me existi» met, supra id quod videt me, aut aliquid audit ex me [3]. » Ne igitur tale quidpiam Prophetæ accideret ; licet enim Helias esset, homo tamen erat ; immiscuit miraculo naturæ defectum. Propterea qui cœlo imperavit, fami non imperavit : qui terræ partum cohibuit, ventris reprimere necessi-

[1] 2 Cor. xii, 7. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid.

tatem non potuit, sed muliere vidua indiguit, ut divinam gratiam agnoscas, et humanam simul infirmitatem. Non ad hoc tantum factum illud profuit, sed ad aliud quidpiam nihilo minus isto. Quodnam illud tandem? Ut cum te quispiam ad Prophetæ zelum fuerit adhortatus, non animum despondeas, nec desperes, quod hominem esse alterius naturæ arbitreris, ideoque tantam apud Deum fiduciam habuisse. Quod quidem innuit quispiam cum dixit: « Helias » homo erat similis nobis passibilis [1]: » quasi diceret: « Ne impossibile arbitreris esse ad idem cum illo pilosophiæ fastigium pervenire: nam et ejusdem ille particeps fuit naturæ. Verumtamen admirabile ac divinum illud ejus propositum multo cæteris eum sublimiorem ostendit.

VII. Sed jam tempus est, ut ad viduam redeamus. « Vo- » nit, inquit, in Sarephtha Sidonis, et invenit mulierem vi- » duam colligentem ligna [2]. » Digna domestica paupertate hactenus sunt vestibula. Quid igitur? num retro conversus est, cum talia vidisset hospitalitatis exordia? nequaquam; quippe qui sententiam divinam audierat: sed clamavit post eam, et dixit: « Sume vero mihi aquam, et ivit ut sumeret [3]. » Vere generosa et sapiens mulier, ac nisi paulo videatur audacius hoc dictum, ipsa etiam Prophetæ magnanimitate digna: imo nullo pacto debet audax illud dictum videri: nisi enim digna fuisset, nequaquam habita digna fuisset, quæ Sanctum illum exciperet, quemadmodum et ad Discipulos dixit Christus: « In quamcumque civitatem aut castellum intra- » veritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete [4]: » ita Deus hic quoque quoniam præ omnibus dignam noverat hanc mulierem, quæ Prophetam susciperet, propterea, cæteris omnibus omissis, illuc eum misit. At enim ex rebus ipsis nobilitatem ejus videamus. « Sume mihi, inquit, aquam in vase. » Magna sane mulieris humanitas. Quod enim

[1] Jac. v, 17. — [2] 3 Reg. xvii, 9. — [3] Ibid. — [4] Matth. x, 11.

responderit, quod in colloquium ejus venerit, quod illum corripiens totam civitatem ad puniendum sacrum illud caput non vocaverit, nonne stupore et admiratione dignum videtur? siquidem merito famis adactam necessitate mulierculam eo usque fuisse iracundia commotam, ex hoc judaïco exemplo cognosce. Discipulus Heliæ Elisæus, duplex Helias: duplicem enim magistrum in discipulo licebat intueri; famem postea prophetavit, non ipse immisit sicut Helias, sed venturam prædixit. Quid ergo rex, qui temporibus illis regnabat? Indutus est sacco, inquit: siquidem humiliavit eum calamitas: sic tamen humiliatus cum lamentantem mulierem audiisset propter ea, quæ famis causa acciderant, tanta tum exarsit iracundia, ut confestim exclamarit ac dixerit: « Hæc faciat mihi Deus et hæc adjiciat, si stabit caput Eli» sæi filii Saphat super ipsum hodie [1]. » Vidisti-ne regis iracundiam? Vide mulieris sapientiam; hæc enim, invento eo qui non famem prædixerat, sed invexerat, cum prope civitatem esset, non indignata est, non excanduit, non cæteros ad supplicium sumendum vocavit, sed modestissime paruit.

VIII. Scitis autem quo pacto, si quando negotio quopiam simus occupati, ne familiares quidem sæpenumero lubenter aspiciamus, sed et adversus eos indignemur: cum vero tanta etiam afflictio ingruerit, vel ipsum etiam lumen molestiam nobis videtur exhibere: id quod rursus ex judaïco patet exemplo. Sane quidem cum venisset Moyses, et innumera Judæis annuntiasset bona, liberationem a tyrannide, et in antiquam patriam reditum: « Videntes eum, inquit, » non audierunt eum præ pusillanimitate, et operibus du» ris [2]. » Illi tam faustum nuntium ferentem cum vidissent, aversati sunt; hæc venientem Prophetam cum vidisset, non ut famem depelleret, sed ut illam gravaret, nihil ei tale ac-

[1] 4 Reg. VI, 31. — [2] Exod. VI, 9.

cidit. Et illi quidem adeo difficiles ac morosi erant propter operum laborem: hæc autem non labore, sed fame vehementer afflicta; magnum quippe est inter laborem famemque descrimen; non modo virum non aversata est, sed etiam totam suam paupertatem exhausit, ut eum susciperet, qui famem illis induxerat. « Et ivit ut sumeret aquam, » inquit, et clamavit Propheta, et dixit: Sume mihi jam » etiam panem, et comedam [1]. » Quid igitur mulier? ne hoc quidem ægre fert; sed quid ait? « Vivit Dominus Deus tuus, » si est mihi panis subcinericius, nisi quantum pugillus fa» rinæ [2]. » Quam ob causam jurat? panem petiit Propheta, cæterum illa panem non habebat. Timuit ergo, ne forte dum illa coqueret, torreret, præpararet, deinde tardaret, moræ impatiens Propheta discederet, et præda hospitalitatis aufugeret. Propterea juramento illum præoccupavit dicens non sibi farinam deesse, verum subcinericium panem sibi non esse, farinam esse. Neque juramento solum fidem facit, sed et ipsa rerum, quæ fiunt, demonstratione. « Ecce » enim, inquit, colligo duo ligna, et ingrediar, et faciam illa » filiis meis, et comedemus, et moriemur [3]. » Audiant qui magnificas ædes construunt, et sumptuosa prædia mercantur, ac famulorum greges per forum traducunt: vel potius et locupletes et pauperes audiant omnes: nulli enim post viduam istam excusatio relinquetur. Tam multis illa impedimentis intricata erat, sed illa tamen interrupit et transcendit. Audi vero. Alienigena erat: unum est hoc impedimentum: Sidonia, secundum impedimentum. Non enim par est conditio, si alienigena sis quovis pacto, et si ex Sidone oriundus improbissima civitate: tanquam enim summæ improbitatis exemplum in Evangeliis illam urbem in medium Christus adduxit. Erat igitur et alienigena, et Sidonia, et mulier, sexus infirmus, et omni ex parte subsidio

[1] 3 Reg. xvii, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 13.

indigens. Accedebat viduitas quartum impedimentum : quintum illis omnibus majus, alendorum cura liberorum. Audiant viduæ, ac liberorum nutrices, non fuisse idoneam et legitimam illam excusationem, quominus impertiret eleemosynam, vel hospites exciperet : et pugillus farinæ reliquus erat tantum, ac post illum mors expectabatur. Nam tu quidem licet omnes pecunias profuderis, licet facultatibus teipsum spoliaveris, potes ad aliorum fores pergere, atque inde solatium obtinere : tum vero neque mendicare licebat, ita portus omnes fames obstruxerat. Nihil tamen horum prohibuit. Dicam et septimum impedimentum, ipsum nimirum, quem mulier hospitio fuit exceptura. Nam neque familiaris, neque notus erat, sed peregrinus et alienus, et ipso religionis ab illa septo separatus. Neque vero tantum peregrinus, et exterus, sed ille ipse erat, qui famem induxerat.

IX. Nihil tamen horum fœminam avertit, sed ori cibum porrigebat, quod omnes illi cibos absumpserat, et famis auctorem famis reliquiis nutriebat. « Propter te, inquit, facultates omnes meæ ad hunc pugillum redactæ sunt : sed nec isti pugillo tua causa parcam, verum et me et liberos meos objiciam morti, ut tu, inquit, hujus auctor necessitatis ne minimum quidem necessitatis sensum capias. » Cui potuit unquam majus hospitalitatis studium in mentem venire ? nullum plane licebit reperire. Vidit peregrinum, et naturæ confestim oblita est, dolores partus ignoravit, et oculis ad filiorum turbam conversis, animo fracta non est. Ac me quidem scio frequenter audisse multos qui dicerent : « Ille cum pauperem conspexisset, tunicam, qua sola erat indutus, exuens nudum vestivit ; ipse vero, cum mutuam ab altero vestem sumpsisset, deinde discessit : » et hoc magnum quid et mirabile visum est. Siquidem vere magnum est : istud vero viduæ factum hujus multo

illo majus. Nam ille quidem cum se nudasset, ac nudum operuisset, potuit ab altero vestem accipere : hæc vero, cum farinæ pugillum prodegisset, alterum pugillum accipere minime potuit ; neque nuditatis tantum illi periculum subeundum erat, sed postea mors ipsius ac liberorum erat expectanda. Cum igitur neque paupertate, neque alendorum cura filiorum, neque gravi fame, neque tanta egestate, neque mortis expectatione fuerit impedita, quæ nobis reliqua erit excusatio locupletibus, quæ pauperibus? « Vivit Dominus Deus tuus, si est mihi panis subcineri- » cius, nisi quantum pugillus farinæ in hydria, et parum olei » in lecytho : et ecce colligo duo ligna, et ingrediar, et » faciam illa filiis meis, et comedemus, et moriemur. » Hanc unusquisque miserandam, vel potius unusquisque beatam illam vocem ac cœlo dignam domus suæ parietibus inscribat, in cubiculo, in quo dormimus, in conclavi in quo prandemus. Hanc in ædibus, hanc in foro, hanc in amicorum cœtibus, hanc dum ad judicum tribunal pergit, hanc dum ingreditur, hanc dum egreditur, vocem quisque meditetur : et constanter affirmo, quantumvis saxeus fuerit quis, et ferreus, et adamas, minime unquam adductum iri ut accedentem pauperem vacuis manibus a se dimittat, si vocem hanc inscripserit, si viduam ante oculos positam habuerit. Sed dicet fortasse quispiam : « Adducito mihi Prophetam, et eadem cum benevolentia illum suscipiam. « Hoc mihi promitte, tum ego tibi Prophetam adducam. Quid dico Prophetam? ipsum tibi Prophetæ Dominum adducam, communem Deum ac Dominum nostrum Christum. Ipse enim dicit : « Esurientem me vidistis, et aluistis [1]. » Quod si qui forte voci fidem derogant, et humanitatem non curant, cum supplicio pœnisque castigati hoc discent. Tanquam enim Christum ipsum non curassent, sic ad in-

[1] Matth. xxv, 35.

tolerandum supplicium abducentur. Sic igitur et pauperes aluerint, quasi Christum ipsum curarint, in regnum cœlorum introducuntur.

X. Fortasse plura dicta sunt, quam oportuit : utinam autem dies omnes in sermones de eleemosyna liceret impendere. Quod si vobis hæc sufficere videntur, age summatim omnia illa repetamus. Dixi qua de causa Propheta ad viduam mitteretur, ne paupertatem despicias, ne divitias tanti facias, ne locupletem beatum arbitreris, ne infelicem ac miseratione dignum eum qui egestate premitur; ut judaïcam nequitiam cognoscas. Hic enim Dei mos est, cum supplicium est illaturus, ut rebus ipsis se purget : ne cum postea communem omnium Salvatorem rejectum ab illis videris, et a gentibus susceptum, mireris et dubites, cum multo ante ipsorum improbitatem cognoveris, eosque bene de se meritos vexare consuevisse : ne crudelitatis esse arbitreris orationem Prophetæ, atque productionem pœnæ, sed zeli divini ac sollicitudinis : ut discas in maximis recte factis etiam castigatione naturam nostram indigere : ne cum ad eumdem cum Propheta zelum te adhortamur, fieri non posse putes ut illum imiteris. Dixi de vidua, quo pacto in tantas angustias redacta, fame cogente, ne verbum quidem asperum adversus Prophetam emisit, tametsi rerum statui consentaneum erat, atque hoc ex superbia Judæorum ostendi : nihil tamen horum illi accidit, sed cum multa illum comitate atque humanitate suscepit, totamque suam egestatem in ejus honorem impendit, cum Sidonia esset et alienigena, neque Prophetas de eleemosyna philosophantes audisset, neque Christum dicentem : « Esurientem me vidistis, et aluistis. » Quanam igitur venia digni censebimur, si tot auditis cohortationibus, si post tantorum promissa præmiorum, si proposito regno cœlorum, non ad eumdem cum vidua comitatis et hu

manitatis gradum perveniamus? Nam illa quidem Sidonia fuit et alienigena, et mulier vidua, et multorum illi erat cura liberorum, periculosam famem videbat, et mortem imminentem, et hominem ignotum erat exceptura, quique famem invexerat, et ne sic qui pugillo pepercit : at nos qui et prophetiæ participes fuimus, et divinis exculti dogmatibus, qui de rebus futuris possumus philosophari, neque famem videmus instantem, et qui multo plura, quam mulier possidemus, quamnam poterimus excusationem obtendere, qui facultatibus parcimus, et nostræ salutis prodigi sumus? Ut igitur gravia illa tormenta vitemus, omnem misericordiam in egenos exhibeamus, ut et nos assequi bona futura mereamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo gloria Patri, una cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

De pœnitentia et de mœstitia regis Achab, et de Jona propheta.

I. Vidistis [1], superiori dominica, pugnam et victoriam? pugnam quidem diaboli, victoriam autem Christi? Vidistis ut pœnitentia laudaretur, et diabolus plagam non ferret, sed trepidaret et horreret? Quid times, o diabole, dum pœnitentia laudatur? quid gemis? quid horres? « Merito sane, inquit, gemo et affligor : magna mihi vasa rapuit pœnitentia ista. » Quænam illa tandem? Meretricem, publicanum, latronem, blasphemum. Enimvero multa vasa

[1] Vide D. Guillon, tom. XVII, pag. 383-384.

ejus sine dubio rapuit pœnitentia, et ipsam ejus arcem evertit, ac letali vulnere est a pœnitentia confossus : quod ex iis intelliges, dilectissime, quæ nuper experimento comperta sunt. Cur igitur ejusmodi congressu non fruimur, nec singulis diebus ad Ecclesiam ventitamus, ut pœnitentiam complectamur? Sive enim peccator sis, ingredere in Ecclesiam, ut peccata tua dicas : sive justus sis, ingredere, ne a justitia excidas. Portus enim est utrique Ecclesia. Peccator es? ne despondeas animum, sed ingredere, ac pœnitentiam obtende. Peccasti? dic Deo : « Peccavi. » Quis hic labor est? quis circuitus? quæ fatigatio? quæ angustiæ, verbum hoc proferre : « Peccavi? » Num enim tu, nisi te ipsum dixeris peccatorem, a diabolo non accusaberis? præoccupa, et eripe illi suam dignitatem, ejus enim dignitas est accusare. Cur igitur illum non prævenis, et peccatum dicis, et crimen purgas, cum probe scias talem accusatorem tibi, qui tacere nequeat, imminere? Peccasti? in Ecclesiam ingredere, dic Deo : « Peccavi. » Nihil aliud abs te nisi solum istud exigo. Ait enim Scriptura sacra : « Dic tu prius iniquitates tuas, ut justificeris [1] : » dic peccatum, ut solvas peccatum. Non in hoc labor est, non circuitus verborum, neque pecuniarum expensæ, neque aliud quidquam ejusmodi; dic verbum, bonæ fidei esto circa peccatum, et dic : « Peccavi. » Unde vero fit hoc, dicet aliquis, ut si primus peccatum dixero, peccatum deleam? habeo in Scriptura hominem, qui peccatum dixit, et delevit : et qui non dixit, et damnatus est. Caïn occidit fratrem suum Abel invidia correptus, sic ut cædes invidiam sequeretur : siquidem eum seductum in campum interfecit. Quid autem ait illi Deus? « Ubi est Abel frater tuus [2]? » Qui novit omnia, non quod ignoret, interrogat, sed ut homicidam alliciat ad pœnitentiam. Satis enim indicavit se interrogan-

[1] Isaï. XLIII, 26. — [2] Gen. IV, 9.

tem non ignorare : « Ubi est Abel frater tuus? » At ille dixit : « Nescio, numquid custos fratris mei sum ego [1]. » Esto, non es custos, cur etiam interemptor es? Non custodiebas? cur etiam interfecisti? Tamen ista confiteris? reus es quoque atque obnoxius custodiæ. Quid igitur ad illum Deus? « Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me » de terra [2]. » Arguit illum statim, et pœnam intulit non tam ob cædem, quam ob impudentiam. Non enim ita Deus odit eum qui peccat, ut eum qui impudenter se gerit. Certe Caïn ad pœnitentiam accedentem non admittit, quia peccatum primus non dixit. Quid enim ait? « Majus est » peccatum meum, quam ut remittatur mihi [3] : » quasi diceret : « Multum peccavi, non sum dignus ut vivam. » Quid ergo ad illum Deus? « Gemens ac tremens eris super ter» ram [4], » et gravem illi molestamque pœnam imposuit. « Non interficio te, inquit, ne veritas oblivioni tradatur, sed efficio ut sis lex, quæ ab omnibus legatur, ut calamitas philosophiam tibi pariat. » Et circuibat Caïn lex animata, columna motoria, quæ tacebat, et tamen vocem tuba clariorem emittebat. Nemo, inquit, talia faciat, ne talia patiatur. Propter impudentiam supplicio est affectus, et cum non dixisset peccatum, sed convictus esset, ob illud commissum damnatus est. Si enim sua sponte confessus esset, peccatum a se primo detectum delevisset.

II. Ut autem hæc ita se habere intelligas, cognosce quo pacto alius quispiam cum dixisset primus, peccatum deleverit. Veniamus ad Davidem prophetam et regem : sed lubentius eum ex nomine prophetiæ appello. Siquidem regnum ejus in Palæstinam, prophetia vero in fines orbis terrarum extendebatur : et regnum quidem modico tempore terminatum est, prophetia vero immortalia verba pronuntiat. Satius esset solem extingui, quam verba Davidis

[1] Gen. IV, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid.

oblivioni tradi. Hic in adulterium et homicidium lapsus est. Vidit enim, inquit Scriptura, mulierem pulchram se lavantem [1], et adamavit eam, deinde quod apud se statuerat, peregit. Et erat in adulterio Propheta, in medio luto margarita. Verumtamen se peccasse nondum noverat, adeo perturbatione animi sopitus erat. Cum enim ebrius est auriga, incomposite fertur currus : porro quod auriga et currus, hoc anima sunt et corpus. Si forte obtenebrata sit anima, tum et corpus in luto volutatur. Quandiu namque stat auriga, currus quoque recte dirigitur : cum vero destituitur viribus ille, neque potest habenas tenere, tum vero etiam currus malo esse in statu cernitur. Ita quoque fit in homine : quandiu sobria est et vigilat anima, corpus ipsum etiam purum permanet : ubi vero obtenebrata fuerit anima, corpus etiam ipsum in luto ac voluptatibus volutatur. Quid igitur David? commisit adulterium : sed nesciebat, neque ab ullo arguebatur, idque cum senex admodum esset : ut intelligas, si forte sis negligens, neque tibi canitiem prodesse, neque rursus, si studiosus sis ac diligens, juventutem posse te lædere. Neque enim ab ætate mores, sed ab animi sententia recte facta promanant : nam et Daniel duodecim annorum erat, et judicabat : seniores autem inveterati in diebus, adulterii fabulam confinxerunt, et nec illis canities profuit, nec juventus isti nocuit [2]. Et ut intelligas non ex ætate, sed ex animi proposito de actionibus temperantiæ judicium ferri, David cum in ipsa cana senectute versaretur, tunc in adulterium lapsus est, cædem commisit, et sic affectus erat, ut se peccasse ipse nesciret. Siquidem auriga mens ejus erat incontinentiæ ebrietate correpta. Itaque mittit ad eum Nathan prophetam Deus : Propheta venit ad Prophetam. Sic enim cum medicis agitur : si quando fuerit æger medicus, tum altero

[1] 1 Reg. xii, 2. — [2] Dan xiii, 45.

indiget ille medico. Idem hic quoque accidit : commiserat peccatum Propheta, et Propheta erat, qui remedium afferebat. Venit igitur ad illum Nathan, neque statim ab ipso limine illum arguit, aut dicit : « Sceleste ac detestande, adulter et homicida, tot honoribus a Deo cumulatus es, et tu ipsius mandata violasti? » Nihil tale dixit Nathan, ne impudentiorem illum redderet. Cum enim peccata divulgantur, tum ad majorem impudentiam is, qui peccaverat, provocatur. Venit igitur ad illum, et confictam litis fabulam texit, aitque; « Litem habeo apud te, o rex. Dives » erat quidam, et pauper quidam erat. Habebat autem di» ves armenta et greges multos : pauper vero unam habebat » ovem, quæ de calice ipsius bibebat, et de mensa ejus ede» bat, et in sinu ejus dormiebat [1]. » Hoc loco viri erga uxorem amorem significat. « Cum autem peregrinus quis» piam venisset, suis parcens dives acceptam pauperis ovem » jugulavit. » Vides ut hoc loco fabulam texat, et spongia obtectum ferrum gestet? Quid ergo rex? Existimans se adversus alterum sententiam ferre, quam celerrime sententiam adjunxit. Sic enim facere solent homines : adversus alios libenter et severe sententias ferunt et pronuntiant. Et quid ait David? « Vivit Dominus, dignus morte » est talis, atque ovem in quadruplum reddet [2]. » Quid igitur Nathan? Non interjecto multarum horarum spatio plagam emolliit, sed statim exeruit, et repentinam sectionem admovit, ne doloris sensum eximeret. « Tu es, o » rex. » Quid ergo rex ait? « Peccavi Domino [3], » inquit. Non dixit : « Quis enim es tu, qui me reprehendis? quis te misit, ut tam libere loquereris? qua vero audacia impulsus hoc fecisti? » Nihil tale dixit, sed peccatum agnovit, et quid ait? « Peccavi Domino. » Quid igitur ad eum Nathan? « Etiam Dominus dimisit peccatum tuum [4]. » Ipsum

[1] 2 Reg. XII, 1-4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid.

condemnasti, tibi ego pœnam condono : bona fide peccatum confessus es, peccatum delevisti. Tibi ipsi multam accersivisti ; ego sententiam meam rescidi. » Vides, ut impletum fuerit quod scriptum est, « Dic tu primus iniquitates tuas, ut justificeris [1] ? » Quis labor peccatum dicere ?

III. Habes autem et alteram pœnitentiæ viam : quam tandem illam ? Peccatum flere. Peccasti ? fleto, et peccatum solvis. Quisnam hic labor ? nihil a te amplius requiro, quam ut fleas peccatum. Non dico tibi, ut emetiaris maria, ut in portus te recipias, neque ut iter conficias, neque ut longissimam peregrinationem suscipias, neque ut pecunias numeres, aut sævis fluctibus te committas ; sed quid ? propter admissum peccatum, plora. Unde vero hoc fit, inquit, ut si plorem, peccatum solvam ? Hujus rei demonstrationem habes etiam ex Scriptura. Fuit rex quidam Achab : is vero justus fuisse perhibetur [2]. Cæterum propter Jezabel uxorem suam injuste regnabat. Hic Nabuthe cujusdam Jezraëlitæ vineam concupivit, et misit ad eum dicens : « Da mihi vineam tuam, quam concupivi, et vel pecuniam a me accipe, vel cum altero commuta loco. » At ille dixit : « Absit, » ut hæreditatem patrum meorum vendam tibi [3] : » Achab autem cupiebat quidem vineam, sed illi vim facere nolebat, sic ut in morbum idcirco incideret. Ingressa autem ad illum Jezabel muliercula impudens, desperata, immunda, detestanda, inquit : « Quid contristaris, et non comedis ? surge, et manduca : ego efficiam, ut possideas vineam Nabuthe Jezraëlitæ. » Et accipiens scripsit epistolam ex persona regis ad seniores dicens : « Prædicate jejunium, et statuite viros mendaces adversus Nabuthe, quia benedixit Deum et regem, hoc est blasphemavit. » O jejunium summa iniquitate plenum ! Prædicarunt jejunium, ut cædem patrarent.

[1] Isaï. XLIII, 26. — [2] 3 Reg. XXI, 1. — [3] Ibid. 3.

Quid ergo accidit? Lapidatus est Nabuthe, ac mortuus est. Hoc ubi didicit Jezabel, dicit Achab : « Surge, possideamus vineam, quia mortuus est Nabuthe : » at ille tum temporis contristatus, ingressus est tamen, et vineam possedit. Mittit ad eum Heliam prophetam Deus. « Vade, inquit, dic Achab : » Quoniam occidisti, et possedisti, sic effundetur sanguis » tuus, et canes sanguinem tuum lingent, et meretrices lava- » bunt in sanguine tuo. » Ira divinitus immissa, absoluta sententia, supplicium est adimpletum. Ac vide quo illum mittat. In vineam. Ubi iniquitas, ibi quoque supplicium. Et quid ait? Cum intuitus est ipsum Achab dixit : « Inve- » nisti me inimicus meus [1] ?» Quasi diceret : « Reum me deprehendisti, quia peccavi : nunc tibi data est occasio mihi insultandi. « Invenisti me inimicus meus? » Quia semper Helias reprehendebat Achab, sciens Achab se peccasse Tu quidem semper, inquit, me reprehendebas : nunc autem opportune mihi insultas. » Sciebat enim se peccasse. Ex adverso recitat illi sententiam. « Hæc dicit Dominus : Quo- » niam occidisti, et possedisti, et sanguinem viri justi effu- » disti, sic effundetur sanguis tuus, et canes lingent eum, » et meretrices lavabunt in sanguine tuo [1]. » Hæc cum audiisset Achab, contristatus est, et propter peccatum suum plorabat. Agnovit iniquitatem, et latam in eum sententiam revocavit Deus. Sed prius Heliæ se excusavit Deus, ne forte mendax videretur, eique accideret, quod Jonæ accidit. Tale quid enim passus est et Jonas. Dixit illi Deus : « Vade, præ- » dica in Ninive civitate [2], in qua habitant centum et viginti » millia hominum absque mulieribus et parvulis [3] : « Adhuc » tres dies, et Ninive subvertetur [4]. » Nolebat abire Jonas, utpote cui nota esset Dei misericordia : sed quid facit? in fugam convertitur. Ait enim : « Ego prædicaturus abibo, tu cum misericors sis, sententiam mutabis : at ego, tanquam

[1] 3 Reg. xxi, 20. — [2] Ibid. 19. — [3] Jon. i, 2. — [4] Id. iii, 4.

falsus Propheta trucidabor. » Verumtamen exceptum illum mare non abscondit, sed terræ illum reddidit, et salvum illum Ninive incolumemque servavit et tanquam optima conserva suum conservum custodivit. « Descendit enim, » inquit, Jonas, ut fugeret, et invenit navem euntem in » Tharsis, et dedit naulum ejus, et ascendit in eam [1]. » Quo fugis, o Jona? Num aliam in terram proficisceris? atqui « Domini est terra et plenitudo ejus [2]. » Num in mare? Nescis quod « Ipsius est mare, et ipse fecit illud [3]? » Num in cœlum? Non audisti Davidem dicentem : « Videbo cœlos » tuos opera digitorum tuorum [4]? » Verumtamen ille timore correptus fugere se putabat : Deum namque vere fugere nemo potest. Ubi tamen eum mare restituit, et venit Niniven, prædicavit dicens : « Adhuc tres dies, et Ninive sub- » vertetur. » Ut autem intelligas hoc illum animo volventem sese in fugam convertisse, Deum nimirum, cum sit misericors, pœnitentiam acturum super malitia, quam de illis erat locutus, futurumque ipsum falsum Prophetam, ipse per se indicat. Postquam enim in Ninive prædicavit, extra civitatem egressus est, et quid accideret observabat. Cum autem præteriisse tres dies vidit, neque quidquam eorum, quæ comminatus fuerat, uspiam evenire, tum priorem suam cogitationem in mentem revocat, et ait : « Nonne isti sunt » sermones mei, quos dicebam : Quoniam Deus misericors » est, et longanimis, et agens pœnitentiam super malitiis » hominum [5]? » Ne igitur tale quid accideret Heliæ, quale Jonæ, causam exponit Deus, propter quam Achab condonavit. Et quid ait Heliæ Deus? « Vidisti quemadmodum » incesserit plorans et tristis Achab coram me? Non faciam » secundum malitiam ejus [6], » Papæ! Dominus servi fit advocatus, et apud hominem Deus homini patrocinatur. Noli

[1] Jon. I, 3. — [2] Psal. XXIII, 1. — [3] Id. XCIV, 5. — [4] Id. VIII, 4. — [5] Jon. IV, 2. — [6] 3 Reg. XXI, 29.

existimare, inquit, sine causa me illi pepercisse : mutavit mores, et iram meam mutavi, atque mitigavi. Ne vero falsus Propheta censearis, siquidem vera pronuntiasti; nisi mores mutasset, ea passurus erat, quæ sententia minabatur. Verum iste mores mutavit, et iram meam ego mitigavi. Et ait Deus ad Heliam : « Vidisti quemadmodum incesserit Achab plorans et tristis? Non faciam secundum iram meam. » Vides ploratu peccata deleri?

IV. Habes et tertiam pœnitentiæ viam : porro multas pœnitentiæ vias dixi, ut diversitate viarum facilem tibi salutem reddam. Quænam est tandem hæc tertia via? Humilitas : humilis esto, et peccatorum vincula solvisti. Hujus quoque demonstrationem exhibet Scriptura, et lectio narrationis de Publicano et Pharisæo [1]. « Ascendebant, inquit, » in templum Pharisæus et Publicanus, ut orarent, et cœpit » Pharisæus suas enumerare virtutes : Non sum ego, inquit, » peccator sicut mundus totus, neque sicut iste Publicanus. » Misera et infelix anima totum orbem terrarum condemnasti, cur etiam proximum tuum afflixisti? Non sufficiebat tibi totus orbis, nisi Publicanum quoque damnares? Omnes hac ratione vituperasti, et ne uni quidem viro pepercisti. « Non » sum ego sicut mundus totus, neque sicut iste Publicanus. » Jejuno bis in hebdomada; decimas eorum, quæ possideo, » do pauperibus. » Arrogantiæ verba prolocutus est. Homo infelix, esto, terrarum orbem condemnasti, cur etiam proximum tuum Publicanum reprehendisti? Non exaturatus es accusatione totius orbis, nisi et comitem tuum damnares? Quid igitur Publicanus? Hæc cum audiisset ille, non dixit : « Tu vero quisnam es, qui mihi hæc objicis? unde tibi vita mea innotuit? non conversatus es mecum; non habitasti mecum; non mecum ætatem transegisti. Cur adeo superbis? quis bona opera tua suo testimonio commendat? cur

[1] Luc. XVIII, 10.

teipsum laudas? cur tibi ipsi blandiris? Sed nihil horum dixit Publicanus; verum, capite in terram inclinato, adoravit, et dixit : « Deus propitius esto mihi peccatori [1], » et cum humilitatem præ se tulisset, justus est factus : Pharisæus autem, amissa justitia, ex templo descendit, et Publicanus justitiam adeptus descendit, et verba facta vicerunt. Nam ille quidem operibus justitiam amisit : hic vero humilitatis sermone justitiam acquisivit. Quanquam ne humilitas quidem erat illud : siquidem humilitas est hoc ; cum quis magnus cum sit, seipsum humiliat : hoc vero Publicani factum non humilitas fuit, sed veritas. Vera enim erant illa verba, cum peccator esset ille : quid enim, quæso, pejus Publicano? in alienis calamitatibus lucra sectatus, alienorum laborum fit particeps. Et molestiam quidem non respicit, quæstus autem in consortium venit : itaque summum est Publicani peccatum. Nihil quippe aliud est Publicanus, quam audax et honesta quædam violentia, peccatum lege concessum, speciosa quædam rapina. Quid enim Publicano pejus, qui juxta viam sedet, et alienorum fructus laborum metit ; et cum labores quidem subeundi sunt, nihil curat : cum vero lucrum obvenit, in participationem venit eorum, in quibus minime laboravit? Itaque si cum peccator esset Publicanus, tantum adeptus est donum, cum humilitatem exhibuisset : quanto magis qui virtute prædilus sit, et humilitatem exhibeat? Ergo si peccata tua confitearis, et humilis sis, justus evadis. Scire cupis quis vere sit humilis? Paulum respice qui vere humilis erat, Paulum doctorem orbis terrarum, spiritualem oratorem, vas electionis, portum tranquillum, turrim inconcussam, qui modico cum esset corpore, totum orbem terrarum circuivit, et quasi alatus esset, illum percurrit. Cerne illum humiliter ac modeste sentientem de se, idiotam et philosophum, egenum

[1] Luc. XVIII, 13.

et divitem, illum vere humilem dico, qui labores innumeros exantlarat, qui mille tropæa adversus diabolum erexerat, qui prædicabat, ac dicebat : « Gratia ejus in me vacua non » fuit, sed plus omnibus laboravi [1] : » qui carceres sustinuit, et plagas, et verbera ; qui orbem terrarum Epistolis venatus est ; qui cœlesti voce vocatus est, ille humilis erat, cum diceret : « Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dig- » nus vocari Apostolus [2]. » Vides humilitatis magnitudinem? vides humiliter sentientem de se Paulum, qui seipsum minimum vocet? « Ego enim sum, inquit, minimus Aposto- » lorum, qui non sum dignus vocari Apostolus. » Hoc enim vere humilitas est, in omnibus seipsum abjicere, ac se minimum appellare. Cogita quisnam esset is, qui hæc verba proferebat. Paulus cœlorum civis, qui corpore erat utcumque circumdatus, Ecclesiarum columna, terrestris Angelus, homo cœlestis. Etenim hujus viri mentioni libenter immoror, dum virtutis ejus pulchritudinem specto. Non ita sol exoriens, et splendidos emittens radios oculos meos exhilarat, ut Pauli vultus mentem meam illuminat. Nam sol quidem illustrat oculos : at Paulus ad ipsos fornices cœlorum nos evehit. Animam enim sublimiorem sole, ac luna reddit celsiorem. Talis quippe virtutis est potentia, ut hominem in Angelum convertat, efficiatque ut anima velut pennis prædita in cœlum tendat ; hanc virtutem nos docet Paulus : hujus virtutis imitatores fieri studeamus. Sed non oportet nos a proposito digredi argumento. Hic enim scopus orationis nostræ fuit, ut tertiam pœnitentiæ viam esse humilitatem ostenderemus, Publicanum non seipsum ultra modum depressisse, sed veritatem esse confessum, cum sua peccata detegeret, ac justum esse factum, non cum pecunias numerasset, non cum maria emensus esset, neque cum multum iter pedibus confecisset, neque cum immensa

[1] 1 Cor. xv, 10. — [2] Ibid. 9.

æquora peragrasset, neque cum amicos rogasset, neque cum multum temporis impendisset, sed humilitatis cum opera sibi justitiam comparasse, ac regno cœlorum esse donatum: cujus nos omnes utinam compotes fieri contingat gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM.

COMMENTARIA IN S. MATTHÆUM EVANGELISTAM.

HOMILIA I.

PROŒMIUM.

I. Par esset[1] quidem nos nulla egere litterarum ope, sed ita puram exhibere vitam, ut Spiritus gratia librorum instar nobis esset: ac sicut libri atramento, sic corda nostra Spiritu ipso essent inscripta. Quia vero hujusmodi gratiam depulimus, age secundum navigationis cursum suscipiamus. Certe primum illum cursum præstantiorem fuisse, et verbis et operibus ipsis ostendit Deus. Siquidem Noë et Abrahamo nepotibusque ejus, necnon Jobo ipsique Moysi, non per litteras loquebatur, sed per se ipse, quod purum in ipsis animum reperiret. Postquam autem universus Hebræorum populus in profundum nequitiæ delapsus est, necesse demum fuit ut litteris et tabulis ad eorum commonitionem uteretur; idque non in Veteris solum, sed in Novi etiam Testamenti Sanctis factum comperimus. Neque enim Apostolis scripto quidpiam tradidit Deus, sed pro litteris Spiritus gra-

[1] Vide D. Guillon, tom. XIII, pag. 462-475.

tiam se daturum illis pollicitus est : « Nam ille, ait, sugge-» ret vobis omnia [1]. » Ut vero discas hoc longe melius fuisse, audi quid per Prophetam dicat : « Disponam vobis testa-» mentum novum, dans leges meas in mente eorum, et in » cordibus eorum scribam eas, et erunt omnes docti a Deo [2]. » Paulus quoque hanc declarans præstantiam, dicebat accepisse se legem, « Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cor-» dis carnalibus [3]. » Quia vero post multum temporis alii circa dogmata, alii circa vitam et mores impegerunt, necessaria denuo fuit illa per litteras institutio. Animadvertas velim quantum illud malum sit ; quod etsi cum tanta puritate vitam agere debeamus, ut ne libris quidem ut opus, sed librorum vice corda offerenda sint Spiritui sancto instituenda ; postquam tantum honorem amisimus, atque eo redacti sumus, ut libris opus habeamus ; ne hoc secundo quidem remedio ut par esset utamur. Nam si non culpa vacat litteris egere, nec per se Spiritus gratiam attrahere ; cogita quantum crimen sit ne hoc quidem auxilio uti velle ; sed litteras illas quasi frustra et temere positas despicere, et majorem in se attrahere pœnam. Quod ne accidat, Scripturis accurate adhibeamus animum, ac discamus quomodo vetus lex data fuerit, quomodo postea Novum Testamentum. Quo igitur modo lex illa data tum fuit? quando et ubinam? Post Ægyptiorum perniciem, in deserto, et in monte Sina, fumo et igne de monte erumpente, tuba clangente, frequentibus fulguribus atque tonitruis, Moyseque in ipsam caliginem intrante. In Novo autem non ita ; nec in deserto, nec in monte, non cum fumo, tenebris, caligine atque procella ; sed incunte die, domi, omnibus una sedentibus, magna cum tranquillitate gesta sunt omnia. Ferocioribus quippe illis et effrenatioribus, corporea specie opus erat, nempe solitudine, monte, fumo, tubæ clangore et si-

[1] Joan. XIV, 26. — [2] Jer. XXXI, 31-33. — [3] 2 Cor. III, 3.

milibus; sublimioribus vero et obsequentioribus, qui corporeas cogitationes longe exuperabant, hujusmodi rebus nihil opus erat. Quod si et apud illos sonus emissus est, id non Apostolorum, sed Judæorum tunc præsentium causa factum est, simulque igneæ linguæ visæ sunt [1]. Nam si his ita gestis, ipsos musto plenos esse dicebant, multo magis id dicturi erant, si nihil horum vidissent. Et in veteri quidem lege, cum Moyses ascendisset, descendit Deus: hic vero postquam natura nostra in cœlum, imo in solium regium evecta esset, Spiritus descendit. Si autem Spiritus minor esset, hæc non illis priscis majora mirabilioraque fuissent. Nam hæ tabulæ longæ præstantiores sunt illis, ut et res gestæ splendidiores. Neque enim Apostoli ex monte descenderunt tabulas manibus gestantes, ut Moyses; sed Spiritum in mente circumferentes, ac thesaurum quemdam et fontem dogmatum et donorum bonorumque omnium effundentes, sic quoquoversus circuibant, ipsi quoque libri viventes atque leges per gratiam effecti: sic tria millia, sic quinque millia [2], sic universos orbis populos attraxerunt, Deo per eorum linguam accedentes alloquente. Quo duce etiam Matthæus Spiritu repletus hæc scripsit: « Mat» thæus, inquam, ille publicanus. » Non enim pudet eum ab arte sua nuncupare; neque illum, neque alios. Hoc enim maxime et Spiritus gratiam et illorum virtutem commendat.

II. Opus autem suum jure Evangelium inscripsit. Siquidem sublatam ultionem, peccatorum veniam, justitiam, sanctificationem, redemptionem, adoptionem, cœlorum hæreditatem et cognationem cum Filio Dei, omnibus annuntiatum venit, inimicis, improbis, sedentibus in tenebris. Quid tam bono nuntio possit æquari? Deus in terra, homo in cœlo: factaque omnium commixtione Angeli cum

[1] Act. II, 41, et IV, 4. — [2] Ibid.

hominibus choreas agebant, homines cum Angelis aliisque supernis Potestatibus versabantur. Videreque erat diuturnum bellum solutum, et pacta a Deo cum natura nostra inita, diabolum pudore affectum, dæmonas fugatos, mortem devinctam, paradisum apertum, maledictionem ablatam, peccatum de medio sublatum, errorem depulsum, veritatem reversam, verbum pietatis ubique disseminatum et crescens, supernam vitæ rationem in terra insitam, virtutes illas familiariter nobiscum agentes, Angelos frequenter in terra versantes, magnamque spem futurorum. Ideo historiam Evangelium vocavit : quasi scilicet alia omnia verba rebus sint vacua, ut opes multæ, vis potentiæ, principatus, gloria, honores, cæteraque omnia, quæ apud homines bona esse putantur; quæ autem a piscatoribus promissa fuere, vere ac proprie Evangelia dicantur : non solum quia firma immobiliaque bona sunt, nostramque exuperantia dignitatem; sed etiam quia cum omni facilitate nobis data sunt. Non enim ex labore et sudore nostro, non ex ærumnis, sed ex Dei erga nos amore hæc suscepimus. Cur porro cum tantus sit Discipulorum numerus, duo tantum ex Apostolis scribunt, et duo ex eorum sequacibus? nam alter Pauli, alter Petri discipulus, cum Joanne et Matthæo Evangelia scripserunt. Quia nihil per ostentationem faciebant, sed omnia ad utilitatem. Quid igitur? annon sufficiebat unus Evangelista, qui omnia narraret? Sufficiebat quidem : ac licet quatuor scripserint, neque eodem tempore, neque eodem in loco, neque congregati simul et ex mutuo congressu : et tamen cum quasi ex uno ore omnia pronuntient, hinc magna emergit veritatis demonstratio. Atqui, inquies, omnino contra accidit : sæpe enim inter se dissentire deprehenduntur. Certe illud ipsum magnum est pro veritate argumentum. Si enim omnia accurate consonassent et quantum ad tempus, et quantum ad loca, et quan-

tum ad ipsa verba, ex inimicis nemo crediturus erat, sed ex mutuo humanoque consensu hæc scripta fuisse putassent, atque hujusmodi consonantiam non ex simplicitate, sinceritateque procedere. Jam vero illa, quæ in exiguis rebus deprehendi videtur, diversitas omnem ab ipsis suspicionem depellit, scribentiumque fidem clare vindicat. Quod si quid circa tempora et loca varietatis protulerint, id nihil officit veritati narrationis; id quod, Deo dante, in sequentibus demonstrare conabimur. Præter autem supradicta, illud etiam vos observare rogamus, in rebus præcipuis, quæ ad vitam nostram et ad ipsam prædicationem tuendam pertinent, nullum eorum uspiam ab aliis vel minimum dissentire deprehendi. Quænam autem illa præcipua sunt? Deum hominem factum esse, miracula edidisse, crucifixum ac sepultum fuisse, resurrexisse, in cœlum ascendisse, judicaturum esse, salutaria dedisse præcepta, legem veteri non contrariam induxisse : ipsum Filium esse, unigenitum, genuinum, ejusdem cum Patre substantiæ, et his similia. Circa isthæc enim magnam inveniemus inter ipsos consonantiam. Si vero in miraculis non omnes omnia dixerunt; sed alius hæc, alius illa, ne ideo turberis : nam si unus omnia dixisset, superfluus esset reliquorum numerus; sin omnes diversa et nova scripsissent, nullum suppeteret consonantiæ argumentum. Ideo multa plures simul narrarunt, et singuli quidpiam sibi proprium scribendum susceperunt, ne quid superfluum vel temere projectum dixisse videantur, utque veritatis accuratam nobis probationem offerrent.

III. Lucas igitur etiam causam nobis profert, qua ad scribendum inductus est; « Ut habeas, inquit, eorum verborum, de quibus institutus es, veritatem [1]; » id est, ut sæpe commonitus certus sis, persuasusque mancas. Joan-

[1] Luc. I, 4.

nes vero causam scribendi tacuit; ut autem jam olim a majoribus et patribus accepimus, non sine causa ad scribendum animum appulit : sed quia priorum trium hic scopus fuerat, ut de assumpta carne pluribus agerent, periculumque erat, ne Divinitatis dogmata tacerentur, Christo demum movente, ad Evangelium scribendum inductus est : illud vero palam est ex ipsa historia et ex Evangelii exordio. Neque enim perinde atque alii ab inferioribus cœpit; sed a superioribus, id quod sibi in scopo erat. Ideoque totum librum edidit. Neque tantum in exordio, sed etiam in toto Evangelii decursu, cæteris sublimior est. Narratur porro Matthæum accedentibus rogantibusque Judæis, qui crediderant, ea, quæ verbis protulerat, litteris descripta iisdem reliquisse, et hebraïce Evangelium scripsisse : Marcum item in Ægypto rogatu Discipulorum idipsum fecisse. Idcirco Matthæus, utpote qui Hebræis scriberet, nihil aliud ostendere studuit, quam quod ab Abrahamo et Davide ortum duceret. Lucas vero, quippe qui omnibus simul loqueretur, altius sermonem extendit, et ad Adamum usque progreditur. Ille quidem a generatione ducit exordium : nihil quippe tam Judæo placere poterat, quam si Christum Abrahæ et Davidis disceret esse nepotem : hic vero secus; nam multis prius commemoratis, ad genealogiam deinde procedit. Illorum porro concordiam, orbe toto teste, probabimus, qui illa suscepit; imo testes aderunt ipsi veritatis inimici. Siquidem multæ post illos hæreses pullularunt, contraria iis, quæ dicta sunt, opinantes, quarum aliæ omnia quæ scripta sunt acceperunt : aliæ vero partes tantum quasdam admiserunt, et apud se mutilas servant. Quod si pugna aliqua in dictis esset, illæ, quæ ex adverso loquuntur, hæreses non omnia recepissent; sed illam tantum partem, quæ sibi favere videretur, neque illæ quæ partem acceperunt, de illa parte disputassent, quippe cum illæ excisæ

partes non lateant, sed quasi clamitent suum cum toto libri corpore consensum. Quemadmodum si ex latere aliquam partem sumas, in illa parte ea omnia invenies ex quibus constat totum animal, nervos, venas, ossa, arterias, sanguinem, et totius, ut ita dicam, massæ indicium et documentum; sic etiam in Scripturis videre est; conspicuam videlicet singulorum dictorum cum toto affinitatem. Si autem dissonarent, nequaquam receptæ fuissent : sed jam olim totum dogma solutum fuisset : nam « Omne regnum, » inquit, in se divisum non stabit [1]. » Nunc autem in hac ipsa re Spiritus virtus elucet, suadens hominibus, ut circa illa magis necessaria et urgentia versantes, nihil ab his minutis lædantur.

IV. Ubinam autem illorum singuli scripserint, non est quod multum disquiramus : quod autem non alius adversus alium scripserit, id per totum operis decursum demonstrare conabimur. Tu vero, qui dissonantiam illam objicis, perinde facis ac si eadem ipsa verba, eosdem loquendi modos proferre juberes. Necdum dicam eos, qui de rhetorica et de philosophia admodum gloriantur, quique multos libros iisdem de rebus scripserunt, non modo mutuo discrepasse, sed etiam contraria dixisse. Nam aliud est diverse loqui, aliud pugnantia dicere. At nihil horum dico : absit enim ne illorum insipientia utar ad parandam defensionem : neque enim velim ex mendacio veritatem firmare. Sed illud rogare velim, quomodo fidem meruissent ea, quæ dissonarent? quo pacto superassent? quomodo, si pugnantia locuti fuissent, admirationem, fidem et celebritatem tantam per totum orbem obtinuissent? Atqui multi erant dictorum testes, ut et multi inimici et adversarii. Neque enim hæc in angulo scripta defoderunt, sed ubique terrarum et marium omnibus audientibus publicarunt : inimicis

[1] Luc. xi, 17.

præsentibus, hæc legebantur, quemadmodum et hodie; et neminem unquam offenderunt, idque jure merito. Divina quippe virtus erat, quæ hæc omnia operabatur apud universos. Etenim si non ita se res habuisset, quomodo publicanus, piscator et illitteratus hæc potuissent philosophari? quæ enim ne per somnium quidem exteri imaginari potuerant, hæc cum auctoritate magna hi annuntiant et suadent, idque non modo in vivis agentes, sed etiam defuncti : non duobus vel viginti hominibus, non centenis vel millenis, vel decies millenis; sed urbibus, gentibus, populis, terræ, mari, Græciæ, barbarorum regionibus, orbi et desertis; idque cum de scriptis ageretur naturam nostram admodum exuperantibus. Nam missa terra, de cœlestibus omnia edisserunt : aliam nobis inducentes vitam et vivendi rationem, alias divitias, aliam paupertatem, libertatem, servitutem, aliam vitam atque mortem, alium mundum, aliud institutum, omnia denique mutata. Non sicut Plato, qui ridiculam illam rempublicam instituit; non sicut Zeno, et si qui alii de republica scripsere, legesque edidere. Siquidem vel ex re ipsa conspicuum fuit malignum spiritum, dæmonemque quempiam ferum, naturæ nostræ hostem, castitatis inimicum, honestatis adversarium, omnia susdeque vertentem, hæc illorum animis inseruisse. Cum enim uxores omnibus communes faciant; nudas virgines ad spectaculum virorum in palæstram ducant, clandestinas nuptias apparent, omnia simul commiscentes et conturbantes, naturæque terminos evertentes, quid aliud de illis dici possit? Quod enim hæc omnia sint dæmonum inventa et naturæ repugnantia, ipsa certe natura testificatur, quæ et supra dictis abhorret : et illa non cum persecutionibus, non cum periculis vel præliis, sed cum libertate omni et securitate scribentium, et ornatu sermonis multo sæpe utentium (emissa sunt.) Contra vero hæc, quæ prædicata sunt a piscatoribus, pulsis,

verberibus cæsis, inter pericula versantibus, ineruditi, sapientes, servi, liberi, reges, milites, barbari, Græci, cum omni benevolentia excepere.

V. Neque vero dicere possis hæc, quod parva essent et humilia, facile a cunctis suscepta fuisse. Siquidem hæc multo sublimiora sunt illis. Virginitatis enim illi ne nomen quidem vel per somnium imaginati sunt, non paupertatem, non jejunium, neque quampiam aliam rerum sublimium. Magistri vero nostri non modo concupiscentiam eliminant, non modo malum opus castigant, sed etiam aspectum impudicum, verba contumeliosa, risum immodestum, habitum, incessum, clamorem, et usque ad minima accuratam disciplinam extendunt, atque universum orbem virginitatis germine repleverunt. De Deo autem deque cœlestibus ea philosophari suadent, quæ nulli eorum unquam in mentem venire potuerunt. Quomodo enim hæc cogitassent qui ferarum, serpentium, aliorumque viliorum imagines in deorum numerum retulere? Attamen hæc sublimia dogmata suscepta et credita sunt, in diesque florent atque crescunt, Illorum vero cultus abit et perit, atque aranearum telis facilius evanescit. Illudque merito : dæmones enim hæc prædicarunt : quapropter cum lascivia multam habent caliginem majoremque laborem. Quid enim magis ridiculum fuerit, quam disciplina illa, ubi, præter ea quæ dicta sunt, innumeris prolatis versibus, philosophus, ut quid sit justum ostendat, tanta loquacitate et obscuritate dicta sua replet, ut si quid etiam boni haberent, admodum tamen inutilia essent hominum vitæ? Si enim agricola, vel ærarius faber vel architectus, aut gubernator, aut si quis alius eorum, qui diurno manuum opere victum parant, vellet ab arte sua justoque labore abstinere, in eaque re multos annos absumere, ut quid sit justum ediscerel; sæpe priusquam illud edidicisset fame consumptus, abiret justi discendi

causa, et nulla comparata utili disciplina, violentam mortem obiret. Nostra vero non hujusmodi sunt ; sed justum, honestum, utile, virtutesque omnes, paucis iisque perspicuis verbis Christus nos edocuit, modo dicens : « In duobus »mandatis lex et prophetæ pendent[1], » id est, in Dei et proximi charitate; aliquando autem : « Quæcumque vultis »ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim »lex et prophetæ[2]. » Quæ et agricolæ, et servo, et viduæ, et puero, imo etiam ei qui admodum hardus esse videatur, intellectu facilia omnino sunt. Hæc est enim veritatis conditio. Illud autem testificatur ipse rerum exitus. Siquidem omnes quæ agenda erant didicerunt, nec didicerunt modo, sed etiam exequi studuerunt: non in urbibus tantum, nec in medio foro, sed et in montium verticibus. Ibi enim multam videas philosophiam, choros Angelorum in humano corpore fulgere, et institutum cœleste micare. Nam institutum vitæ nobis piscatores scripsere : non a puero institui jubentes ut illi philosophi, non certam ætatem virtutis studioso præscribentes, sed quamvis ætatem instituentes. Illa enim puerorum ludus sunt; hæc autem, rerum veritas. Huic instituto locum assignavere cœlum, Deumque induxerunt ejus opificem ac legum latorem, ut par omnino erat. Instituti vero præmia, non lauri folia, non oleastri corona, non convivium in Prytaneo, non æreæ statuæ, non frigida isthæc et inania : sed vita finem non habitura, collata filiorum Dei conditio, choreæ cum Angelis actæ, ante solium regium præsentia, perpetuum cum Christo consortium.

VI. Hujus porro instituti doctores sunt, publicani, piscatores et tentoriorum opifices, non qui modico tempore vixerint, sed qui æternam agant vitam. Ideoque etiam post mortem instituti sectatores juvare possint. Huic instituto

[1] Matth. xxii, 40. — [2] Id. vii, 12.

bellum est, non adversus homines, sed adversus dæmones et incorporeas illas potestates. Ideoque dux illis est, non homo, non Angelus, sed ipse Deus. Arma vero militum hujusmodi, non ad belli rationem spectant : neque enim ex pellibus parantur aut ferro, sed ex veritate, justitia, fide, philosophiaque omni. Quoniam igitur de hujusmodi disciplina hic liber est conscriptus, de qua nobis dicere propositum est, Matthæum attente audiamus de illa perspicue disserentem. Non enim ejus sunt dicta, sed Christi, qui hanc disciplinam instituit. Animum ergo adhibeamus, ut in illa mercamur ascribi, ac fulgere cum iis qui hoc institutum emensi, immortales illas accepere coronas. Multis certe hæc facilia videntur esse, Prophetarum vero dicta multum habere difficultatis. Verum ita existimant ii, qui sententiarum ibi reconditarum profunditatem ignorant. Quapropter rogo nos cum magno studio sequamini, ut, Christo duce, in hoc scriptorum pelagus ingredi valeamus. Ut porro facilius hæc addiscere possitis, rogamus et obsecramus, id quod etiam in aliis Scripturarum libris fecimus, ut illam Scripturæ clausulam, quam interpretaturi sumus, prælibetis, ut lectio cognitionem præcedat, id quod in Eunucho contigit, quodque multam præbeat facilitatem. Quæstiones enim plurimæ et frequentes occurrunt. Animadverte ergo statim in ipso Evangelii exordio, quot et quanta quærenda occurrant; primo, cur Josephi genealogia ducatur, qui Christi pater non erat? Secundo, quomodo planum erit ipsum ex Davide originem ducere, cum ignoretur quinam Mariæ matris ejus majores fuerint, neque enim Virginis genealogia descripta fuit. Tertio, cur Josephi, qui nihil ad generationem contulit, genealogia ducatur, virgo autem quæ mater est, quo patre, avo et abavo orta sit non narretur? Ad hæc, illud etiam inquirere par est, cur virorum genealogiam persequens, mulieres tamen

commemoravit? et quando id ita ipsi visum est, cur non omnes mulieres nominavit? sed missis iis, quæ ob probitatem celebres erant, ut Sara et Rebecca, et similibus, illas tantum in medium protulit, quæ aliquo vitio celebres erant, si qua videlicet fornicaria aut adultera esset, et si qua extranea aut barbara. Nam uxorem Uriæ et Thamar et Ruth commemoravit; quarum alia alienigena erat, alia meretrix, alia a socero vitiata fuit, non lege connubii, sed furata concubitum et meretricis assumpta specie: quod spectat autem Uriæ uxorem ignorat nemo ob facinoris conspicuitatem. Attamen missis aliis omnibus, hasce tantum in genealogia posuit. Atqui si mulieres commemorare oportuit, omnes recensere par erat; si non omnes, certe aliquæ earum proferendæ erant, quæ virtute floruerant, non earum quarum peccata sunt manifesta. Videte quanta nobis attentione vel in exordio sit opus, etiamsi hoc exordium cæteris clarius, imo fortasse plurimis superfluum esse videatur, quia nomina tantum plurima complectitur. Post hæc autem illud inquirere par est, cur tres reges omiserit. Nam si eorum utpote admodum impiorum nomina tacuit, neque alios ipsis similes commemorare oportuit. Alia item quæstio exurgit. Cum quatuordecim esse generationes dixisset, in tertia classe hunc numerum non servavit. Itemque cur Lucas alia nomina recensuit, et cur non solum non eosdem omnes, sed etiam multo plures commemoravit: Matthæus vero et alios et diversos, etiamsi ipse in Josephum desierit, in quo et Lucas finem fecit. Videte quantis nobis sit opus vigiliis, non ad solvendum modo, sed etiam ad discendum quænam sint solvenda. Neque parum est ea invenire quæ possunt in dubium vocari; nam illud quoque in dubiis numeratur, quomodo Elisabeth ex Levitica tribu, cognata sit Mariæ.

VII. Sed ne multa simul congerentes memoriam ves-

tram obruamus, hic loquendi finem faciemus. Sufficit enim vobis ut excitemini, si quæstiones illas ediscatis. Si vero solutionem desideratis, et illud quoque vel antequam loquamur, in vestra erit potestate situm. Si namque vos excitatos et discendi cupidos viderim, solutionem vobis afferre tentabo; sin oscitantes et non attentos conspexero, et quæstiones et solutionem illarum occultabo, divinæ obsequens legi : « Nolite, inquit, sanctum dare canibus, neque » projiciatis margaritas vestras ante porcos, ne forte con» culcent eas pedibus suis [1]. » Quis est autem qui conculcat? Qui hæc non pretiosa et honore digna esse censet. Ecquis, inquies, ita miser est, ut hæc non honore digna, nec omnium pretiosissima esse ducat? Is qui non in illis tantum studium adhibet, quantum meretricibus mulieribus in satanicis theatris. Ibi enim plurimi totos dies transigunt, multaque in re domestica negligunt, ob intempestivam illam occupationem, diligenterque illa retinent, quæ ibidem audiunt, illaque in animæ suæ perniciem conservant. Hic autem ipso Deo loquente, ne minimum quidem temporis manere volunt. Ideoque nihil commune habemus cum cœlo : sed verbo tenus vitæ institutum nostrum peragitur. Certe gehennam idcirco Deus comminatus est, non ut in eam nos conjiciat, sed ut per ea quæ audimus, perniciosam illam consuetudinem fugiamus. Nos vero e contrario agimus, audimus et quotidie ad viam, quæ illuc ducit, accurrimus : Deoque jubente non solum audire, sed etiam dicta exequi, nos ne quidem audire sustinemus. Quandonam igitur ea, quæ jubemur, agemus, et operibus manum admovebimus? quando ægre et indigne ferimus moras hic ad brevissimum temporis spatium prolatas ?Atqui nos cum de rebus frivolis verba facientes, eos, qui nobiscum sedent, non attendere advertimus, id contumeliæ loco habemus;

[1] Matth. vii, 6.

Deum vero non putamus nos offendere, quando illum de tantis rebus loquentem despicimus, et alio oculos convertimus? Certe senex quivis magnam emensus terræ partem, stadiorum numerum, urbium positionem et formam, portus ac forum diligentissime nobis describit. At nos ne quantum quidem procul simus ab illa cœlesti urbe novimus; alioquin autem viæ longitudinem minuere curavissemus, si nempe illam distantiam teneremus. Non enim tantum duntaxat a nobis distat civitas illa, quantum est inter cœlum et terram interstitium; imo multo magis, si negligamus; ut e contrario, si studiosi simus, in momento temporis ad ejus januas pervenire poterimus: non enim locorum longitudine, sed instituto morum hæc spatia metienda sunt.

VIII. Tu vero præsentis vitæ res diligenter nosti, et nova et antiqua et vetera, principesque numerare potes, sub quibus præterito tempore militasti: etiamque agonothetam, coronarum distributores, et duces; quæ res nihil tibi prodesse valent. Quis vero dux sit in hac de qua loquimur civitate, quis primus, quis secundus, quis tertius, vel quanto quisque tempore meruerit, quidve præclare gesserit, ne per somnium quidem cogitasti. De legibus vero hujus civitatis ne alios quidem loquentes sustines audire. Quomodo igitur, dic mihi, promissa bona te consecuturum speras, qui nec dictis ad illa spectantibus attendas? Verum si id non ante præstitimus, vel nunc facere curemus. Etenim si Deus id concesserit, urbem adituri sumus auream, et quovis auro pretiosiorem. Ejus ergo fundamenta discamus, ejus portas ex sapphiro et margaritis structas: ductorem quippe optimum habemus Matthæum. Per ipsius namque portam nunc intramus, multoque nobis studio est opus. Nam si quempiam viderit non attentum, ejiciet ex civitate. Est quippe urbs illa maxime regia et illustris, neque ut urbes nostræ,

in forum et regiam distinguitur : sed ibi omnia regia sunt. Aperiamus itaque mentis januas, aperiamus aures, et cum tremore plurimo limina transgressuri, regem illum adoremus : nam vel primus congressus sectatori terrorem incutere valet. Modo quidem portæ istæ nobis occlusæ sunt : quando autem istas apertas videbimus; hæc est enim quæstionum solutio; tunc multum intus fulgorem conspiciemus. Spiritus enim oculis ductus publicanus hic omnia se tibi ostensurum esse pollicetur : ubinam rex sedeat, quinam de exercitibus illi adsint; ubinam sint Angeli, ubi Archangeli ; quis novis istius urbis civibus sit deputatus locus; quæ sit via istuc ducens; quam sortem acceperint ii, qui sunt primum istic cives admissi, et post hos secundi, ac deinde tertii : quot sint illorum civium ordines, quot senatum constituant, quot dignitatum discrimina. Ne itaque cum tumultu et strepitu ingrediamur, sed cum silentio mystico. Si enim in theatro cum magno silentio imperatoris litteræ leguntur, multo magis in hac urbe omnia sedari oportet, atque arrectis animis et auribus standum est. Non enim terreni cujuspiam regis, sed Angelorum domini scripta legenda sunt. Si ita nos componere voluerimus, ipsa Spiritus gratia cum magna diligentia nos deducet, ad ipsumque regium solium accedemus, bonaque omnia consequemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

CAPUT I.

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham [1].

I. An meministis [2] admonitionis, qua nuper vos hortati sumus, ut cum omni silentio et mystica quiete dicta omnia audiretis? Nunc autem sacra limina hodie adituri sumus; ideoque vobis adhortationem illam in mentem revocavi. Nam si Judæi ad montem ardentem, ad ignem, ad caliginem, ad tenebras et procellam accessuri; imo non accessuri, sed ea audituri eminus et visuri, tribus ante diebus ab uxoribus abstinere jubebantur, vestesque abluere; atque in timore ac tremore degebant, Moysesque cum ipsis: multo magis nos talia audituri verba, non procul a monte fumante stantes, sed ipsum ingressuri cœlum, majorem debemus exhibere philosophiam, non vestimenta abluentes, sed animæ stolam abstergentes, et ab omni sæcularium rerum commixtione liberi. Non enim caliginem videbitis, non fumum, non procellam; sed ipsum regem sedentem in solio ineffabilis illius gloriæ, Angelosque et Archangelos ipsi astantes, Sanctorumque populos cum innumerabili illorum cœtu. Talis quippe est civitas Dei, Ecclesiam primitivorum habens, spiritus Justorum, Angelorum frequentiam, sanguinem aspersionis, quo omnia copulantur, cœlum terrena suscepit, et terra cœlestia: et jam olim desiderata pax Angelis atque Sanctis donata est.

[1] Matth. 1, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, p. 3-6.

In hac urbe crucis tropæum illustre illud et conspicuum erectum est : spolia Christo parta, exuviæ naturæ nostræ, manubiæ regis nostri : quæ omnia ex Evangeliis accurate discemus. Si cum congruenti quiete sequaris, poterimus te per cuncta circumducere, ostendereque tibi ubinam mors affixa jaceat; ubi peccatum suspensum sit; ubi plurimæ ac mirabiles ex hoc bello, ex hac pugna manubiæ. Videbis et tyrannum vinctum cum multitudine captivorum sequente, et arcem, ex qua impurus ille dæmon, præterito tempore, incursus in omnia faciebat : videbis etiam furis latibula et speluncas, diruptas quidem et patefactas : nam ibi quoque rex affuit. Verum ne fatiscas, dilecte : neque enim si quis bellum sub sensum cadens enarraret, si tropæa, si victorias, hæc cum fastidio exciperes; imo nec cibum, nec potum huic narrationi anteponeres. Quod si illa jucunda est narratio, multo magis hæc erit. Perpende enim quantum illud sit audire, quomodo Deus de cœlo, deque regio solio surgens, in terram, inque ipsum infernum eruperit, et in acie steterit; quomodo diabolus aciem et ipse suam contra Deum instruxerit; imo non contra Deum nudum, sed Deum in natura absconditum humana. Quodque mirabile est, mortem morte solutam videbis, et maledictum maledicto sublatum; et per quæ diabolus ante valebat, per eadem ejus solutam tyrannidem. Exurgamus igitur, et somnum depellamus : ecce portas video nobis apertas; sed cum omni modestia ac tremore ingrediamur, statim limina petentes. Quæ sunt istæc limina : « Liber generationis Jesu » Christi filii David, filii Abraham. » Quid dicis? « De unigenito Dei Filio te locuturum esse pollicebaris, et Davidem memoras, hominem post mille generationes natum, ipsumque dicis esse et patrem et proavum ? » Expecta, ne simul omnia ediscere quæras; sed sensim atque paulatim. In limine solum stas, adhuc in ipso ostio; quid festinas ad

interiora? Nondum exteriora omnia probe explorasti: neque enim illam tibi generationem adhuc recenseo; imo neque illam quæ post sequitur, quæ ineffabilis et arcana est. Hocque tibi ante me Esaïas propheta denuntiat. Siquidem ejus passionem prædicans, ipsiusque circa orbem terrarum providentiam: admirans quis cum esset quid factus sit, quove descenderit, magna et clara voce exclamando dixit: « Generationem ejus quis enarrabit [1]? »

II. Non ergo de illa generatione nobis sermo est, sed de hac inferiore et terrena, quæ innumeros sui testes habet. De hac porro pro virili nostra secundum acceptam Spiritus gratiam, sic sermonem instituemus. Neque tamen hanc cum omni perspicuitate explicare possumus: nam et ipsa quoque admodum stupenda est. Ne itaque exigua te audire putes, dum hanc audis generationem; sed mentem excita et statim exhorresce, Deum in terram venisse audiens. Illud enim sic admirandum, sic inexpectatum erat, ut Angeli in chorum collecti super hac re pro toto orbe laudem gloriamque concinerent, et Prophetæ jam olim de hac re obstupescerent, quod in terra visus et cum hominibus conversatus sit [2]. Etenim admodum stupendum est audire Deum ineffabilem, incomprehensibilem, Patri æqualem, per virgineam venisse vulvam, et ex muliere nasci dignatum esse, avosque habere Davidem et Abrahamum. Et quid dico Davidem et Abrahamum? nam quod horribilius, etiam mulieres illas meretrices, quas paulo ante memoravi. Hæc audiens, animum erige, et nihil vile suspiceris: illudque maxime mirare, quod Filius, et genuinus Filius Dei sine principio existentis, se filium Davidis audire passus sit, ut te faceret Dei filium: passus est se patrem habere servum, ut tibi servo Patrem faceret Dominum. Vides-ne statim a principio quænam sint Evan-

[1] Isaï. LIII, 8. — [2] Baruch. V, 26.

gelia? Quod si de tuis dubitas, ab iis quæ ad ipsum spectant hæc ut credas inducaris. Longe enim difficilius est, quantum ad humanum intellectum pertinet, Deum hominem fieri, quam hominem Dei Filium esse. Cum igitur audis Filium Dei filium esse Davidis et Abrahæ, dubitare jam desine te filium Adæ filium Dei futurum esse. Neque enim frustra et incassum seipsum ita humiliasset, nisi nos exaltaturus esset. Natus est enim secundum carnem, ut tu nascereris secundum Spiritum : natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris. Ideoque duplex generatio fuit, et quæ similis nostræ esset, et quæ nostram exuperaret. Etenim ex muliere nasci nobis competit; nasci autem non ex sanguine, non ex voluntate viri carnis, sed ex Spiritu sancto, generationem nos exuperantem et futuram prænuntiat, quæ ex Spiritu nobis concedenda erat. Quin et cætera quoque omnia hujusmodi erant. Etenim tale erat et lavacrum : quidpiam enim ex Veteri, quidpiam etiam ex Novo habebat. Nam a Propheta baptizari, per illud Vetus exprimebatur : Spiritum autem sanctum descendere, Novum subindicabat. Ac quemadmodum si quis in medio stans, duos alios sejunctos, expansis suis arreptisque illorum utrinque manibus, conjunxerit; ita et ille fecit, Vetus Testamentum Novo adjungens, naturam divinam humanæ, sua nostris. Vides-ne urbis hujusce fulgorem, quantumque te a principio collustraverit? Quomodo tibi regem statim ostendit in tua specie, quasi in medio exercitu? Neque enim ibi rex semper dignitatem suam ostendit, sed missa purpura et diademate, militarem sæpe vestem induit. Sed ibi quidem, ne notus cum sit, hostes ad se attrahat; hic contra, ne notus cum sit, hostem ex conflictus timore in fugam vertat, neve suos conturbet : salutem enim ipsis, non terrorem afferre studet. Ideo statim ipsum illo nomine vocavit, nempe Jesum. Hoc quippe nomen Jesus non est græcum;

sed hebraïca lingua sic appellatur Jesus, id quod græce significat, σωτὴρ Salvator : Salvator porro dicitur, quod salvum faciat populum suum.

III. Vide quomodo auditorem erexit, consueto more verba faciens, ac per ea quæ dicit, illa quæ spem superant nobis omnibus indicat? Nam utriusque nominis magna erat apud Judæos cognitio. Quia enim inexpectata quædam agenda erant, jam nominum figuræ præcesserant; ita ut jam olim omnis novitatis tumultus præreptus esset. Siquidem Jesus, qui post Moysem fuit populum in terram promissionis introduxisse narratur. Vidisti figuram, vide et veritatem. Ille in terram promissionis; hic in cœlum et in cœlestia bona; ille post mortem Moysis; hic postquam lex cessavit; ille ut populi dux, hic ut rex. Sed ne Jesum audiens ex nominum similitudine decipiaris, aliud subdidit : « Jesu Christi filii David. » Ille vero non ex Davide, sed ex alia tribu erat. Sed cur librum vocat generationis Jesu Christi; cum tamen non solam generationem, sed totam dispensationem complectatur? Quia hoc totius dispensationis caput est, atque principium nobis et radix omnium bonorum. Quemadmodum librum cœli et terræ vocavit Moyses, etiamsi non de cœlo et terra tantum loquatur, sed de iis etiam quæ in medio posita erant; ita et hic quoque ex capite bonorum ac præclare gestorum librum nuncupavit. Quod enim stupendum est omnemque spem expectationemque superat, est hominem Deum fieri : quo facto omnia secundum rationem et consequentiam eveniunt. Cur autem non dixit, « Filii Abraham : » et postea : « Filii David? » Non, ut quidam opinantur, ab inferioribus volens ad superiora ascendere : alioquin id fecisset quod et Lucas; nunc autem e contrario facit. Cur ergo Davidem memoravit? Quia ille in omnium ore ferebatur, tum ob gestorum splendorem, tum etiam temporis causa,

quod non tot ante sæculis mortuus esset, quot Abraham. Etiamsi vero utrique pollicitus sit Deus, illud tamen quasi antiquius tacebatur; hoc autem utpote recentius, omnium ore circumferebatur. Ipsi namque dicunt : « Nonne ex se- » mine David et Bethlehem vico, ubi erat David, venit Chris- » tus [1] ? » Nemo illum filium Abrahæ, sed omnes filium David vocabant : nam ob temporis spatium, ut dixi, et ob regnum, in memoria hominum magis versabatur. Similiter et reges, quos venerabantur, quique post illum fuere, ab illo cognominabant, nec ipsi solum, sed etiam Deus. Etenim Ezechiel et alii Prophetæ dicunt venturum esse David et resurrecturum esse, non de Davide qui mortuus erat loquentes, sed de iis, qui ejus virtutem sectarentur. Ezechiæ vero ait : « Protegam civitatem hanc propter Da- » vid puerum meum [2]. » Salomoni vero dicebat se propter Davidem regnum, vivente ipso [Salomone], non divisisse. Magna enim erat illius viri gloria et apud Deum et apud homines. Ideoque ab illo, qui notior erat, exordium ducit, et tunc ad antiquiorem parentem recurrit, superfluum ducens, quantum ad Judæos, superius sermonem ordiri. Hi enim maxime mirabiles erant : hic utpote rex et Propheta. Et unde probatur, inquies, illum ex Davide ortum esse? Si enim non ex viro, sed ex muliere tantum natus est, Virginis autem genealogia non texitur, quomodo sciemus ipsum ex Davide esse ortum? Duæ namque sunt quæstiones, cur matris genealogia non texitur, et cur Joseph, qui nihil contulit ad generationem, ab illis memoratur. Videtur enim hoc redundare, et illud desiderari. Quid ergo prius perquirendum est? Quomodo ex Davide Virgo orta fuerit? quo pacto autem sciemus ex Davide ortam esse? audi Deum Gabrieli præcipientem ut adiret « Vir- » ginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo

[1] Joan. VII, 42. — [2] 3 Reg. XI, 34. 4 Reg. XIX, 34.

» et familia David [1]. » Quid clarius postulas, cum audis de domo et familia David Virginem fuisse?

IV. Unde patet Joseph etiam inde ortum fuisse. Lex quippe erat quæ vetaret uxores ducere, nisi ex propria tribu. Patriarcha vero Jacob illum ex tribu Juda exoriturum esse prædixit : « Non deficiet princeps de Juda, ne- » que dux de femoribus ejus, donec veniat cui repositum » est : et ipse erit expectatio gentium [2]. » Certe hæc prophetia quod ex tribu David fuerit declarat, at non quod ex genere Davidis. Num igitur in tribu Juda non aliud erat genus quam Davidis? imo multa alia, et contingere potuit ut esset ex tribu Juda, quin esset ex genere Davidis. Verum ne hoc diceres, hanc tibi suspicionem tollit Evangelista, dicens illum fuisse ex domo et familia David. Quod si id aliunde etiam dicere velis, non deerit alia probatio. Non modo enim non licebat ex alia tribu uxorem ducere; sed neque ex alia familia, id est, ex alia cognatione. Itaque si illud, « Ex domo et familia David, » Virgini aptemus, dictum illud constabit; si Josepho, illud ipsum consequitur. Si enim ex domo et familia David erat Joseph, non aliunde accepit uxorem, quam ex cognatione sua. Quid vero, inquies, si legem trangressus sit? Sed idcirco præoccupans testificatus est Joseph fuisse justum, ut ne hoc diceres, sed illius virtutem edoctus, nosses legem ab ipso non fuisse violatam : qui enim ita humanus erat et a pravo hominis affectu vacuus, ut ne suspicione quidem urgente vellet de Virgine sumi supplicium, quomodo libidinis causa legem transgressus esset? Qui enim plus quam lex ferebat philosophabatur; nam dimittere et occulte dimittere illud erat ultra legem philosophari; quomodo contra legem aliquid admitteret, idque nulla cogente necessitate? Verum ex genere David Virginem fuisse ex jam dictis palam est.

[1] Luc. I, 27. — [2] Gen. XLIX, 10.

Jam vero operæ-pretium fuerit dicere, cur non illius, sed Josephi genealogiam duxerit. Qua de causa igitur? Non erat mos apud Judæos mulierum genealogias texere. Ut igitur secundum morem ageret, nec videretur illum ab initio transgredi, utque simul nobis Virginis genus indicaret, ipsius majores reticens, Josephi genealogiam duxit. Si enim id de Virgine fecisset, novitatis notam non effugisset; si Josephum tacuisset, Virginis progenitores non nossemus. Ut itaque discamus quæ esset Maria, et unde orta, legesque intactæ manerent, sponsi ejus genealogiam contexuit, et ex domo David ostendit esse. Hoc enim commonstrato, illud quoque simul ostenditur Virginem etiam inde ortam fuisse; quandoquidem, ut dixi, noluisset justus ille aliunde uxorem accipere. Superest et alia causa magis arcana et mystica, cur Virginis majores silentio missi fuerint, quam hic aperire minus opportunum esset, quia jam multa dicta sunt. Quamobrem hic quæstionum finem facientes, ea quæ nobis explicata sunt accurate retineamus, nempe cur Davidis mentio primum facta fuerit; cur librum vocaverit librum generationis, quare dixerit « Jesu Christi; » quare generatio sit communis et non communis; undenam Maria ex Davide orta esse ostendatur; cur illius majoribus silentio missis, genealogia Josephi ducta fuerit. Si enim hæc servaveritis, ad reliqua dicenda alacriores nos reddetis; si vero hæc respueritis et ex mentibus missa feceritis, ad cætera proferenda segniores erimus. Neque enim agricola terram, quæ semina corrumpat, libenter excoluerit. Quamobrem, rogo, hæc mente volvatis. Ex talium quippe rerum meditatione, magnum quidpiam et salutare bonum animæ paritur. Nam et Deo placere poterimus, si hæc curemus, et ora nostra a contumeliis, obscœnis verbis et convitiis pura erunt, dum spiritualibus exercebuntur eloquiis: dæmonibusque formidabiles esse poterimus, si lin-

guam nostram talibus verborum armis muniamus : hinc oculorum nobis perspicacitas augetur. Nam et oculos, et os, et auditum ideo in nobis posuit, ut omnia ipsi membra servirent; ut quæ ipsius sunt loquamur, ut quæ ipsius sunt operemur, ut perpetuo hymnos ipsi canamus, ut gratiarum actiones emittamus, ac per hæc conscientiam nostram purgemus. Quemadmodum enim corpus puro fruens aëre, valentius evadet, sic et anima hic exercitiis innutrita, philosophiæ magis addicta erit.

V. Annon vides corporis oculos, dum in fumo versantur, lacrymas semper fundere, cum autem in puro aëre, in prato, in fontibus, in hortis, et perspicaciores et saniores esse? Talis est et animæ oculus : si in prato spiritualium eloquiorum pascatur, purus, clarus et perspicax erit; sin fumum sæcularium negotiorum adeat, plurimum lacrymabitur ac flebit, et nunc et in futuro. Humana quippe negotia fumo sunt similia. Ideoque dicebat quispiam : « Defecerunt sicut fumus dies mei [1]. » Sed ille quidem de brevitate et de fuga mobilis ævi loquitur. Ego vero non de hac re tantum, sed etiam de perturbatione rerum præsentium hæc accipienda esse censeo. Nihil enim mentis oculum ita male afficit et turbat, ut sæcularium curarum tumultus, et concupiscentiarum turba. Hæc enim sunt fumi hujusce ligna. Ac quemadmodum ignis cum humidam materiam corripit, multum excitat fumum; sic et concupiscentia, quæ fervens et ipsa ac quasi flammea est, cum humidam quamdam ac dissolutam corripit animam, multum et ipsa fumum parit. Idcirco opus est rore Spiritus, et aura illa quæ ignem extinguat, ac fumum dissipet, mentemque nostram volucrem reddat. Nec quis potest, nec potest utique, tot obrutus malis, ad cœlum volare : sed optandum est nos expeditos hanc posse carpere viam;

[1] Psal. ci, 4.

imo vero ne sic quidem possumus, nisi alas Spiritus assumamus. Si itaque expedita mente, ac spirituali gratia opus nobis est, ut ad tantam sublimitatem ascendere valeamus; cum eorum nihil, sed prorsus contraria pondusque satanicum contrahamus, quo pacto poterimus avolare, tanto onere depressi? Si quis enim quasi in justis stateris cogitatus nostros appendere velit, inter mille talenta sæcularium sermonum, vix denarios centum spiritualium verborum inveniet, imo ne decem obolos. Annon ergo turpe omninoque ridiculum est, dum servum habentes, illo ut plurimum utimur ad res necessarias, nos ore membro nostro, non perinde uti atque servo; sed contra, ad inutilia et superflua negotia, atque utinam ad superflua tantum! sed etiam illo utimur ad contraria et noxia nihil utilitatis habentia. Si enim nobis ea quæ loquimur utilia essent, etiam Deo procul dubio placerent. Nunc autem ea omnia loquimur quæ diabolus suggesserit, modo ridentes, modo urbana loquentes, modo maledicta et contumelias proferentes, modo jurantes, mentientes, pejerantes; nunc ferocientes, nunc futilia et anilibus fabulis leviora, quæ nihil ad nos attinent, in medium afferentes. Quis enim vestrum, quæso, Psalmum unum recitare rogatus, id dicere possit, vel aliam quampiam divinæ Scripturæ partem? Nemo sane. Neque illud solum grave est; sed quod circa spiritualia desides, circa satanica igne sitis ferventiores. Nam si quis vos interrogare velit de diabolicis canticis, de meretriciis et lascivis carminibus, multos inveniet qui hæc accurate sciant, et cum voluptate magna pronuntient. Sed quæ defensio ad talem criminationem? Non sum, inquit, monachus, sed uxorem et filios habeo, curamque domesticæ rei gero. Atqui illud est quod omnia pessumdat, quod ad monachos solum putetis pertinere lectionem divinarum Scripturarum, cum multo magis quam illis sit

vobis necessaria. Illi enim, qui in medio versantur, et quotidie vulnera excipiunt, multo magis medicamine egent. Itaque longe pejus est, quam non legere, superfluam rem esse putare. Hæc quippe verba satanica sunt commenta.

VI. Non auditis Paulum dicentem hæc omnia ad correptionem nostram scripta esse[1]? Tu vero si Evangelium illotis manibus sumere oporteret, id utique nolles, et tamen putas ea quæ in illo continentur non esse admodum necessaria. Ideoque omnia susdeque versa sunt. Quod si discere velis quantum lucri reportetur ex Scripturis, te ipsum examina, quo nempe in situ et statu sis cum Psalmos audis, et quo, cum satanicam cantilenam: quo affectu sis in Ecclesia versans, quo in theatro sedens; videbisque quantum sit discrimen inter hanc et illam animam, licet una eademque sit. Ideoque Paulus dicit: « Corrumpunt » mores bonos colloquia prava[2]. » Idcirco assiduis Spiritus sancti cantibus egemus. Illud enim est in quo brutis præstamus, licet in aliis quibusdam longe ipsis inferiores simus. Hoc est alimentum animæ, hoc ornamentum, hoc securitas; contra vero non audire, illud fames, illud corruptio est: « Dabo enim eis, inquit, non famem panis, neque sitim » aquæ; sed famem audiendi verbi Domini[3]. » Quid autem infelicius esse possit, quam, cum illud quod Deus ut pœnam comminatur, illud ipsum malum tu sponte in caput tuum attrahis, dum gravissima fame afficis animam tuam, illamque omnibus infirmiorem reddis? Nam a verbis illa et corrumpi et sanari solet. Siquidem illis et in iram concitatur, et commota mitigatur: ad concupiscentiam lascivum dictum incendit, et ad castitatem verbum honestum reducit. Si enim sermo solus tantam vim habet, cur, quæso, Scripturas despicis? Si namque admonitiones tantum valent, multo magis quando cum admonitionibus adest

[1] Rom. xv, 4. — [2] 1 Cor. xv, 33. — [3] Amos viii, 11.

Spiritus. Etenim verbum ex Scripturis divinis prolatum induratam animam igne vehementius emollit, et ad quælibet bona aptam efficit. Sic cum Paulus Corinthios inflatos et tumentes esse deprehendisset, compressit ac modestiores reddidit. De quibus enim pudore ruboreque affici par erat, de iisdem altum sapiebant. Sed postquam Pauli Epistolam acceperant, audi illorum mutationem, quam ipse Doctor testificatus est his verbis: «Hoc enim ipsum »secundum Deum contristari, quantam in vobis operatur »sollicitudinem : sed defensionem, sed indignationem, sed »æmulationem, sed vindictam [1]. » Sic famulos, filios, uxores, amicos instituamus, et de inimicis amicos facere curemus. Sic magni illi viri Deoque amici meliores effecti sunt. Etenim David post peccatum, verbi fructu, in optimam illam deductus est pœnitentiam [2] : Apostoli quoque sic tales evaserunt, quales novimus, et universum orbem attraxerunt. Ecquis fructus, inquies, si quis audiat, et dicta non exequatur? Non modicum certe ex auditu accedet lucrum. Nam is seipsum damnabit et ingemiscet, et eo aliquando deducetur, ut quæ dicta sunt impleat. Qui vero nec quidem scit an peccaverit, quando a peccando desistet? quando peccata damnabit sua? Ne itaque contemnamus divinarum lectionem Scripturarum. Hæc enim diabolica est cogitatio quæ non permittit ut thesaurum videamus, ne divitias acquiramus. Ideo nihil esse dicit audire divinas leges, ne ex auditu nos ad effectum rem deducere videat. Scientes igitur hanc ejus esse nequissimam artem, undique nos muniamus, ut his armis instructi, et nos invicti maneamus ejusque caput feriamus, sicque victoriæ insignibus coronati, futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 2 Cor. VII, 11. — [2] 2 Reg. XII, 13.

HOMILIA III.

CAPUT I.

Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham [1].

I. Ecce [2] jam tertiam dissertationem et proœmia nondum absolvimus. Non ergo frustra dicebam admodum profundam esse harum sententiarum naturam. Age hodie quæ residua sunt dicamus. « Quid ergo jam quærimus? cur Josephi genealogia ducatur, qui nihil ad generationem contulit? » jam unam causam diximus ; operæ-pretium est ut aliam dicamus magis mysticam et arcanam. Quænam illa est? Nolebat Judæis notum esse ipso partus tempore ex Virgine nasci Christum. Sed ne turbemini de inexpectata responsione. Neque enim meus hic est sermo, sed patrum nostrorum admirandorum insigniumque virorum. Si enim multa subobscure ab initio locutus est, Filium hominis sese vocans, nec ubique suam cum Patre æqualitatem clare revelans, quid miraris si hoc etiam adumbravit, magna quadam et mirabili usus œconomia? Ecquid hic mirabile? inquies. Ut servaret Virginem, et a prava suspicione liberaret. Si enim hæc Judæi ab initio audissent, maligne rem interpretantes, Virginem lapidassent, atque ut adulteram damnassent. Nam si in aliis, quorum etiam exempla habebant in Veteri Testamento, impudenter palam se gerebant; si quando dæmonas ejecit, dæmoniacum vocabant; si quia in sabbato curavit, Deo adversarium putabant,

[1] Matth. 1, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 6-10.

etiamsi antea sabbatum sæpe solutum fuisset; quid non dicturi erant, hoc audientes? Etenim pro ipsis pugnasset totum præteritum tempus, ubi nunquam quid simile gestum fuerat. Si namque post tot signa illum adhuc Josephi filium appellabant, quomodo ante illa signa ipsum ex Virgine natum credidissent? Ideo itaque ejus genealogia ducitur, Virginemque desponsat. Quando enim Joseph vir justus et admirandus, multis opus habuit, ut quod gestum erat edisceret, Angelo, visione per somnum, et Prophetarum testimonio; quomodo Judæi perversi et corrupti, et illi infensi, hanc excepissent opinionem? Admodum enim illos res tam nova, tam inexpectata perturbatura erat, eo quod progenitorum suorum ævo nihil hujusmodi gestum unquam fuisset. Etenim qui semel credidit illum esse Dei Filium, nihil hac de re ambigere debuit: qui vero illum seductorem et Deo adversarium existimaret, quomodo non hac de re magis offenderetur, quî in illam non deduceretur opinionem? Ideoque Apostoli hoc statim ab initio non dicunt; sed de resurrectione multa sæpe disserunt, cujus jam exempla fuerant præteritis temporibus, etsi non huic similia. Quod autem de Virgine natus sit, non ita frequenter dicunt; sed neque mater id est ausa proferre: vide namque quid illi Virgo dicat: «Ecce ego et pater tuus quæ» rebamus te[1].» Nam si illud in suspicionem venisset, neque Davidis demum filius esse creditus fuisset: hac porro sublata opinione, multa alia suboritura mala erant. Propterea ne ipsi quidem Angeli illud dicunt; sed Mariæ tantum et Josepho declararunt: cum vero Pastoribus fausta nuntiarent, id minime adjecerunt. Cur Abraham memorato, cum dixisset: «Genuit Isaac, et Isaac Jacob,» nec fratrem Jacobi nominasset, cum ad Jacobum postea venit, et Judam et fratres ejus commemorat?

[1] Luc. II, 48.

II. Quidam dicunt id ob pravos Esaü mores et aliorum priorum factum esse. Ego vero illud non dixerim : nam si hoc esset, cur tales paulo post mulieres commemorat? Nam gloria ejus hic ex contrariis elucescit, non ex eo quod magnos habeat progenitores, sed potius exiguos et viles. Sublimi enim hæc magna gloria est, si possit demissus admodum et vilis apparere : cur itaque non commemoravit? Quia nihil commune habebant illi cum israëlitico genere, nempe Saraceni, Ismaëlitæ et Arabes, et quotquot ab illis majoribus orti sunt. Ideoque illis silentio missis, ad ejus et judaïci populi majores properat. Ideo ait : « Ja» cob autem genuit Judam et fratres ejus [1]. » Hic jam Judæorum designatur populus. « Judas autem genuit Phares » et Zaram de Thamar [2]. » Quid facis, mi homo, dum historiam affers improbi coïtus? Cur hæc loquitur? Certe si nudi homini genus enarraremus, jure quis hæc tacuisset; si autem incarnati Dei, non modo hæc non tacenda, sed etiam magnifice expromenda sunt, ut ejus et providentia et potestas ostendatur. Ideo namque venit, non ut opprobria nostra fugiat, sed ut illa de medio tollat. Sicut non tam admiramur quod mortuus sit, quam quod crucifixus, licet res probrosa sit, sed quo probrosior, tanto magis ejus erga homines amorem exhibet : sic de generatione ejus dicendum. Non modo quod carnem susceperit admirandus est, sed etiam quod tales habere cognatos dignatus sit, nusquam de malis nostris susceptis erubescens. Illudque ex ipso generationis exordio prædicavit se de nullo quod ad nos pertineat erubescere : per hæc nos edocens ne unquam de majorum nostrorum nequitia erubescamus, sed unam solum quæramus virtutem. Nam qui illam sectatur, etiamsi alienigenam progenitorem habeat, etiamsi matrem meretricem, vel alio modo despiciendam,

[1] Matth. 1, 2. — [2] Ibid. 3.

nihil hinc nocumenti passurus est. Nam si fornicatorem qui resipuerit, nullo prior vita dedecore afficit, multo minus vir probus ex meretrice vel adultera natus, parentum improbitate dehonestabitur. Sic porro se gerebat, non tantum ut nos institueret; sed etiam ut Judæorum tumorem deprimeret. Quia enim animi virtute neglecta, Abrahamum semper ore ferebant, putantes proavorum virtutem defensioni sibi esse; ab ipso initio ostendit hinc minime gloriam aucupari oportere, sed de propriis recte factis. Post hæc, illud quoque agit, ut ostendat omnes peccatis obnoxios fuisse, etiamque proavos ipsos. Nam ipse Patriarcha, qui nomen indidit genti, non modicum in peccatum lapsus narratur: stat enim Thamar ejus fornicationem accusans. David quoque ex adulterata muliere Salomonem suscepit. Si porro lex ne a magnis quidem illis viris impleta est, multo minus ab exiguis? Si autem impleta non est, omnes peccaverunt, ac necessarius fuit Christi adventus. Propterea duodecim Patriarchas commemoravit, inde quoque jactantiam illam de progenitorum nobilitate deprimens: nam horum multi ex ancillis nati erant: et tamen parentum illa differentia differentiam inter filios non intulit. Omnes enim simul erant et Patriarchæ et tribuum principes. Illa quippe est Ecclesiæ prærogativa. Hæc apud nos est nobilitatis dignitatisque ratio, cujus olim figura præcessit; ita sive servus, sive liber sis, nihil plus, nihil minus habeas; sed unum est quod quæritur, voluntas animique mores.

III. Præter ea quæ dicta sunt, alia causa fuit hæc commemorandi: neque enim sine causa post Phares additus est et Zara. Erat enim redundans et superfluum, post commemoratum Pharem, ex quo Christi genealogia ducitur, Zaræ etiam facere mentionem. Cur ergo et hunc memoravit? Cum hos paritura Thamar esset, adveniente partu,

Zara primus manum emisit e vulva. Hoc conspecto obstetrix, ut ille prior nosceretur, coccinea fascia manum ejus ligavit; ut porro ligata fuit, retraxit puer manum; quo facto, egressus est Phares, et postea Zara. Hoc conspecto, obstetrix ait: «Quare propter te excisa est sepes[1]?» Videsne mysteriorum ænigmata? Neque enim hæc sine causa scripta nobis fuere: neque ad historiæ dignitatem pertinebat ediscere quid dixisset obstetrix: neque narrandum videbatur esse, quod manum extulerit primus is qui secundus egressus est. Quodnam igitur hoc ænigma est? Primo, ex ipso pueri nomine quæstionem solvimus. Phares enim est divisio et concisio; secundo ex ipsa re gesta; neque enim ex naturali consequentia erat eum, qui extulisset manum, ipsam postea retrahere ligatam; nec id rationi vel naturæ consonum videtur. Nam præmissa quidem unius manu alterum egredi, id forte naturale fuerit; sed retracta manu, alteri transitum præbere, id non fit ex more nascentium. Verum aderat Dei gratia quæ hæc circa pueros dispensaret, et per hæc futurorum quamdam imaginem adumbraret. Quid igitur aiunt quidam ex illis qui hæc exploraverunt? Hosce pueros duorum esse populorum figuram. Deinde ut discas secundi populi institutum prioris ortui præluxisse, manum extendens puer non se totum exhibet, imo illam postea retrahit: et postquam totus frater egressus est, tunc et ipse totus apparet. Id quod etiam in duobus populis gestum est: nam cum ecclesiasticum institutum in diebus Abrahæ apparuisset, deindeque in medio suppressus fuisset, venit judaïcus populus et institutum legale, et potea novus ille populus cum legibus suis. Ideoque ait obstetrix: «Cur excisa est propter te sepes?» Quia instituti libertatem lex superveniens dissecuit. Etenim legem Scriptura sepem vocare solet, sicut David propheta dicit:

[1] Gen. xxxviii, 29.

« Sustulisti sepem ejus, et vindemiant eam omnes qui præ» tergrediuntur viam [1], » et Esaïas : « Et sepem circumposui » ei [2] : » item Paulus : « Et medium parietem maceriæ sol» vens [3]. »

IV. Alii illud : « Cur excisa est propter te sepes? » de novo populo dictum putant. Hic quippe cum advenisset, legem abrogavit. Vides ipsum non levi de causa totam commemoravisse Judæ historiam? Idcirco etiam Ruth et Rahab meminit, quarum altera alienigena, altera meretrix erat; ut edisceres ipsum venisse ut mala omnia nostra solveret. Ut medicus enim, non ut judex venit. Quemadmodum igitur hi fornicarias duxere mulieres; ita et Deus naturam fornicatam copulavit sibi. Id quod olim Prophetæ circa synagogam factum esse dixerunt. Sed illa quidem conjugi suo ingrata fuit; Ecclesia vero a patriis malis semel liberata, in sponsi amplexu permansit. Animadverte ea quæ ad Ruth spectant nostris esse similia. Hæc quippe alienigena erat, et ad extremam pauperiem deducta; attamen videns illam Booz, nec pauperiem despexit, neque ignobile contempsit genus. Quemadmodum et Christus susceptam Ecclesiam, et alienigenam et magnorum penuria bonorum laborantem, in consortem admisit. Ac quemadmodum illa, nisi prius patrem dimisisset, domum contempsisset et genus et patriam et cognatos, nunquam tali connubio dignata fuisset : sic Ecclesia, patriis dimissis moribus, tunc amabilis sponso fuit. Quod et Propheta ipsam alloquens declarat : « Obliviscere populum tuum, et domum patris » tui, et concupiscet rex decorem tuum [4]. » Hoc et Ruth fecit : ideo mater regum fuit, quemadmodum et Ecclesia. Ex illa quippe ortus est David. Per hæc igitur omnia pudore illos afficiens, suadensque ne altum saperent, genea-

[1] Psal. LXXIX, 13. — [2] Isaï. V, 2. — [3] Ephes. II, 14. — [4] Psal. XLIV, 11, 12.

logiam texuit, mulieresque istas in medium protulit. Etenim magnum illa regem per nepotes genuit: neque ea de re erubescit David. Non potest enim, non potest utique quispiam ex virtute aut ex nequitia majorum aut probus aut improbus esse, aut gloriosus aut inglorius. Verum si quid mirum dictu proferendum, ille majori fulget splendore, qui ex non probis majoribus ortus, probus tamen effectus est. Nemo igitur de iis altum sapiat; sed consideratis Domini progenitoribus, totum abjiciat tumorem, et de solis probe gestis glorietur; imo nec de illis. Ita enim Pharisæus Publicano inferior fuit. Si vis enim magnum præstare facinus, ne altum sapias, et tunc majus facinus exhibuisti. Ne putes te quidpiam fecisse, et tunc totum fecisti. Si enim quando peccatores sumus, cum nos esse putamus id quod sumus, justi efficimur, ut Publicanus ille; quanto magis cum justi sumus, et nos esse peccatores arbitramur? Si enim humiliter sapere ex peccatoribus justos efficit, etiamsi illud non vere humilitas sit, sed justa existimatio : si igitur hæc justa existimatio tantum valet in peccatoribus, quid non aget humilitas in Justis? Ne igitur labores tuos labefactes, neve sudorum meritum auferas, ne vane curras post mille decursa stadia omnem effundens laborem. Dominus enim longe te melius novit opera tua. Si vel potum aquæ frigidæ dederis[1], ne illud quidem despicit: si vel obolum profuderis, si ingemueris tantum, omnia ille cum magna benevolentia recipit, horum recordatur, et magna his præmia definit. Cur tua exploras, et sæpe in medium affers? An nescis si te laudes, Deum te non ultra laudaturum esse? quemadmodum et si te miserum dicas, non cessaturum te apud omnes prædicare? Non vult enim labores tuos in minore pretio haberi; et quid dico in minore pretio haberi? nihil non agit et molitur, ut vel ex parvis meritis

[1] Matth. x, 42.

coroneris, et circuit occasiones quærens, quibus possis a gehenna liberari.

V. Ideoque etiamsi in undecima hora diei labores, totam mercedem tribuet ; « Etiamsi nullam salutis ansam habeas, inquit, propter me faciam, ne nomen meum profanetur [1] ; » etiamsi tantum gemueris, vel lacrymaveris, hæc statim ille rapit in occasionem salutis tuæ. Ne itaque extollamur; sed nos dicamus inutiles, ut utiles efficiamur. Nam si te laudabilem dixeris, inutilis evadis, etiamsi laudabilis vere fueris. Si te inutilem dicas, utilis evadis, etiamsi improbandus fueris. Quamobrem necessaria nobis est probe gestorum oblivio. Et quomodo possumus, inquies, quæ vere scimus ignorare? Quid dicis? cum assidue offendas Dominum, deliciaris et rides, ac neque scis te peccasse, atque omnia oblivioni tradis; probe gestorum vero non potes memoriam abjicere ? Etiamsi vehementiore sit opus timore; nos contra, cum quotidie peccemus, id ne in mente quidem retinemus; si vero tantillum pecuniæ pauperi demus, illud susdeque versamus : id quod extremæ est insipientiæ, maximumque colligentis detrimentum. Penus enim secura probe gestorum, est oblivio eorum. Ac quemadmodum cum vestimenta et aurum in foro pandimus, multos nobis insidiatores paramus; si vero domi deponamus et occultemus, in tuto omnia collocamus; ita et recte facta, si frequenter in memoria circumferamus, Dominum ad iram concitamus, hostemque armamus, et ad furtum invitamus. Sin vero nemo id scierit, præter eum quem solum hæc nosse oportet, in tuto illa erunt. Ne itaque illa frequenter verses, ne quis illa diripiat : ne tibi accidat id quod Pharisæo, qui illa in ore ferebat : quapropter ea ipsa diabolus abripuit; etiamsi cum gratiarum actione illa commemoraret, omniaque referret Deo. Verum hoc non satis illi

[1] Ezech. xxxvi, 22 et 32.

fuit. Non enim gratiarum actionis est alios vituperare, sibi ex plurimis gloriam quærere, et contra peccantes efferri. Si enim gratias Deo agis, hac sola re contentus esto, et ne id referas hominibus, neque judicium feras de proximo : id enim non est gratiarum actionis. Si gratiarum actionis modum vis ediscere, audi tres pueros dicentes : « Peccavi-» mus, injuste egimus. Justus es, Domine, in omnibus, quæ » fecisti nobis, quia in vero judicio omnia induxisti [1]. » Propria enim peccata confiteri, illud est gratias agere Deo confitentem, qui declarat se innumeris obnoxium esse peccatis, nec subire pœnam recusare : hic omnium maxime gratias agit. Caveamus igitur ne ad laudem nostram quid loquamur : id enim nos et hominibus odiosos et Deo execrandos reddit. Idcirco quo majora fecerimus, eo minora de nobis dicamus ; ita enim magnam consequemur gloriam cum apud homines, tum apud Deum ; imo non tantum gloriam apud Deum, sed magnam mercedem. Ne igitur mercedem exigas, ut mercedem recipias. Confitere te per gratiam salutem consequi, ut tibi ille se debitorem esse confiteatur, non ob probe gesta tantum, sed ob gratum animum tuum. Cum enim recte operamur, pro operibus tantum debitorem ipsum habemus ; cum non putamus nos aliquid recte fecisse, pro illo ipso affectu magis quam pro operibus debitorem habemus : ita ut id ipsis sit operibus æquiparandum. Si hoc enim non adsit, illa opera non magna videbuntur. Siquidem et nos quoque tunc maxime famulos nostros acceptos habemus, quando omnia cum benevolentia agentes, nihil se magni præstitisse putant.

VI. Itaque si vis opera tua bona magna esse, ne magna esse putes, tuncque magna erunt. Sic Centurio dicebat : « Non sum dignus ut intres sub tectum meum [2] ; » ideoque dignus fuit, supraque omnes Judæos mirabilis. Ita et Pau-

[1] Dan. III, 29 et 31. — [2] Matth. VIII, 8.

lus ait : « Non sum dignus vocari Apostolus [1]. » Ideoque primus omnium effectus est. Sic et Joannes : « Non sum dig» nus solvere corrigiam calceamenti ejus [2]. » Ideo et amicus sponsi erat, et manum illam, quam indignam calceamentis putabat, Christus supra caput suum attraxit. Sic et Petrus dicebat : « Exi a me, quia homo peccator sum [3]. » Idcirco fundamentum Ecclesiæ factus est. Nihil enim ita Deo gratum est, quam si quis se cum ultimis peccatoribus numeret : hoc omnis philosophiæ principium est. Qui enim humilis et contritus est, non inani gloria efferetur, non irascetur, non proximo invidebit, non aliud quidpiam vitii admittet. Neque enim contritam manum, quantumvis contendamus, possumus in altum efferre. Si itaque sic animam conteramus, etiamsi cordis affectus innumeri illam inflare et extollere tentent, ne vel minimum poterit erigi. Si enim qui sæcularia damna deplorat, omnes a se fugat animæ languores ; multo magis ille qui pro peccatis id agit, philosophia potietur. Et quis ita poterit, inquies, cor suum conterere ? Audi Davidem, qui hac de causa maxime splendidus fuit, et vide ejus animi contritionem. Post innumera præclare gesta, cum proximum esset ut patria, domo et ipsa vita excideret, ipso calamitatis tempore, vilem abjectumque militem videns insultantem sibi et convitiantem, non solum vicem non reddidit, sed etiam ducem quempiam ipsum interimere volentem impedivit, dicens : « Di» mittite illum, quia Dominus mandavit ei [4]. » Rursum sacerdotibus rogantibus, liceret sibi cum illo arcam circumferre, id non passus est : sed quid ait ? « Reduc arcam Domini in » civitatem, et stet in loco suo. Si invenero gratiam in » conspectu Domini, et liberaverit me Deus de instantibus » malis, videbo decorem ejus ; sin dixerit mihi : Nolo te :

[1] 1 Cor. xv, 9. — [2] Matth. III, 11. — [3] Luc. v, 8. — [4] 2 Reg. xvi, 11.

»ecce ego, faciat mihi quod est placitum in conspectu »ejus[1]. » Illud vero quod erga Saülem et semel et bis et pluries fecit, quantum non philosophiæ culmen ostendit! Id enim et veterem legem superabat, et ad apostolica præcepta proxime accedebat. Ideo omnia quæ a Deo proficiscebantur amplectebatur, nec rationem exigebat eorum quæ accidebant: sed unum studebat, ut ubique ejus legibus obsequeretur. Et post tot tantaque præclara facinora, videns tyrannum, parricidam, fratricidam, contumeliosum, furiosum, qui regnum suum invaserat, ne illud quidem ipsi offendiculo fuit. Sed, si ita Deo placeat, inquit, pelli me errare et fugere; illum autem in honore esse, id amplector atque suscipio, et gratiam habeo pro malis innumeris. Non ut multi impudentes ac petulantes, qui ne minimam quidem partem probe gestorum ejus executi sunt, quique si quos videant prospere agere, se vero parvam molestiam mœstitiamque subire, innumeris animas suas blasphemiis labefactant. At non iis similis David erat, qui fuit omni modestia præditus. Ideo dicebat Deus: « Inveni Da»vid filium Jessæ, virum secundum cor meum[2]. » Talem et nos possideamus animam, et quidquid patimur, leniter feramus, et ante regnum, hic nobis pariamus humilitatis proventum. Nam ait: « Discite a me quia mitis sum et hu»milis corde, et invenietis requiem animabus vestris[3]. » Ut igitur et hic et illic requie fruamur, summa cura omnium bonorum matrem humilitatem in animabus nostris inseramus. Sic enim et hujus vitæ pelagus sine fluctibus trajicere poterimus, et ad tranquillum illum portum navigare, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 2 Reg. xv, 25, 26.— [2] Psal. lxxxviii, 4 et 21.— [3] Matth. xi, 29.

HOMILIA IV.

CAPUT I.

Omnes igitur generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim; et a David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim : et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim [1].

I. Omnes [2] generationes in tres partes divisit, ostendens illos etiam post reipublicæ formam pluries mutatam non evasisse meliores : sed sive aristocratiæ, sive regno, sive oligarchiæ parerent, in iisdem versatos malis esse : ac neque ducibus, neque sacerdotibus, neque regibus rem publicam administrantibus, majorem penes illos virtutis rationem fuisse. Cur autem in media parte tres prætermisit reges; in postrema autem parte, generationibus duodecim tantum positis, quatuordecim ipsas esse dicit? Primam quæstionem vobis solvendam relinquo; non enim omnia solvere vobis necesse est, ne vobis fastidium generemus : secundam autem explanabimus. Mihi certe videtur captivitatis tempus hic pro una generatione numerari; sed et ipsum Christum [alteram implere] quem ubique nobis conjungit. E re autem captivitatem illam commemorat, ostendens illuc deductos, non temperantiores evasisse; ita ut prorsus necessarius videatur fuisse Christi adventus. Quid ergo Marcus non idipsum agit, neque Jesu genealogiam recenset, sed compendio omnia refert? Mihi quidem videtur Matthæus ante omnes manum operi admovisse : quapropter genealogiam accurate ponit, et in iis quæ ne-

[1] Matth. 1, 17. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 10-18.

cessaria erant insistit. Marcus vero post ipsum scripsit, ideoque compendio studet, utpote qui jam dicta et nota recenseat. Cur ergo Lucas etiam genealogiam et quidem pluribus scribit? Quia Matthæus jam præcesserat viamque paraverat, voluit ille aliquid amplius nos edocere. Quisque Discipulorum magistrum suum est imitatus; hic Paulum ubertate flumina superantem; ille Petrum brevitati studentem. Cur porro Matthæus in exordio non dixit, sicut et Prophetæ, « Visio quam vidi, » vel, « Sermo factus est » ad me? » Quoniam ad frugi homines scribebat, qui admodum dictis attenderent. Etenim jam patrata miracula clamabant, et qui Evangelium accipiebant, plane fideles erant. Prophetarum vero tempore non tot erant miracula, quæ auctoritatem ipsis inderent, et magna tunc erumpebat pseudoprophetarum turba, quibus magis attendebant Judæi. Quamobrem hic proœmiorum modus apud illos necessarius erat. Si vero signa quandoque fierent, barbarorum causa, ut multi proselyti accederent, edebantur. Fiebant quoque signa ad Dei potentiam exhibendam, quando adversarii, subactis Judæis, deorum suorum vi et auxilio se vicisse putabant, ut in Ægypto contigit; unde promiscua turba profecta est : et postea in Babylone, quæ ad fornacem, et somnia spectant. Erat etiam cum signa ederentur in deserto, quando sui juris erant, quemadmodum et apud nos : etenim apud nos cum ab errore emergeremus, signa multa exhibita sunt. Post hæc autem, cum vera religio ubique disseminata esset, illa cessaverunt. Quod si post exitum ex deserto signa facta sunt, illa pauca et rariora fuerunt; ut cum sol substitit, vel cum retrorsum abivit. Signa quoque apud nos facta videre licuit : nam ætate nostra sub Juliano, qui omnes impietate superavit, multa mirabiliaque facta sunt. Cum enim Judæi templum jerosolymitanum reædificare tentarent, ignis e

fundamentis erumpens omnes deterruit. Et cum Julianus furorem suum in vasa sacra exerceret, quæstor et Juliani avunculus ipsi cognominis plexi sunt; prior enim a vermibus corrosus interiit, alter vero medius diruptus est. Peractisque ibidem sacrificiis fontes defecerunt, et fames quæ, eodem imperante, civitates invasit, maximum erat miraculum.

II. Solet enim Deus hæc exhibere, quando mala supra modum augentur; cum suos in ærumnis versari, adversariosque tyrannica vi debacchari videt, tunc suam ostendit potentiam. Id quod etiam in Perside circa Judæos præstitit. Quod ergo non sine causa Christi progenitores in tres partes distribuerit, ex supra dictis palam est. Animadvertas velim ubi incipiat et quo desinat; ab Abraham in Davidem, a Davide in captivitatem Babylonis, ab hac in ipsum Christum. Nam initio ambos una serie posuit, Davidem et Abrahamum : deinde resumpta genealogia utrumque memoravit. Nam, ut jam dixi, illis factæ fuerant promissiones. Cur porro ut babylonicam transmigrationem memoravit, non perinde descensus in Ægyptum mentionem fecit? Quia Ægyptios non ultra metuebant, Babylonios vero adhuc tremebant. Illud enim priscum erat; hoc vero recens et paulo ante gestum. Atque illuc non ob peccata deducti erant, istuc vero scelerum causa translati fuerant. Si quis vero nominum interpretationem aggredi velit, multam ibi reperiet speculandi materiam, quæ ad Novi Testamenti intelligentiam maxime conferat; exempli causa ex nominibus Abrahami, Jacobi, Salomonis, Zorobabelis : non enim temere hæc illis nomina indita sunt. Sed ne longius excurrentes molestiam inferamus, missis illis, ad magis necessaria veniamus. Cum itaque progenitores omnes enumerasset, et in Josephum desiisset, non hic stetit, sed addidit, « Joseph virum Mariæ : » ostendens

se propter illam ejus genealogiam duxisse. Deinde ne, audiens virum Mariæ, putares communi naturæ lege Christum natum esse, animadverte quomodo ea addat quæ opinionem istam corrigant. Audisti, inquit, virum, audisti matrem, audisti nomen puero datum; audi etiam generationis modum. « Jesu Christi autem generatio sic erat [1]. » Quam mihi, quæso, generationem narras? nam progenitores ejus jam dixisti. At volo etiam generationis modum exponere. Vides-ne quomodo auditorem excitaverit? Nam quasi novi quidpiam dicturus, se modum quoque explicaturum promittit. Et vide mihi optimam dictorum consequentiam. Non enim statim ad generationem venit : sed nos primum edocet, quotus esset ab Abrahamo, quotus a Davide et a transmigratione Babylonis, et diligentem auditorem per hæc ad temporum computationem invitat, ostendens hunc esse Christum a Prophetis prædicatum. Cum enim generationes numeraveris, atque ex temporis computatione didiceris eumdem ipsum esse, facile excipies miraculum in ejus ortu patratum. Quia enim magnum quidpiam loquturus erat, quod ex Virgine natus esset; priusquam tempus computet, subobscure loquitur, « Virum » Mariæ » dicens, quin et generationis seriem intersecat : insuperque annos enumerat, admonens auditorem hunc ipsum esse, quem patriarcha Jacob, deficientibus demum judaïcis principibus, affuturum dixit : quem propheta Daniel post multas illas hebdomadas venturum esse prædixit. Si quis autem voluerit annos illos per hebdomadarum numerum ab Angelo Danieli dictos, ab ædificatione urbis enumerans, in ipsius ortum descendere, hæc cum illis consentire deprehendet. Dic ergo quomodo natus sit : « Cum esset desponsata mater ejus Maria [2]. » Non dixit : « Virgo, » sed simpliciter « Mater, » ut sermo facile caperetur.

[1] Matth. I, 18. — [2] Ibid.

Ideo cum prius præparasset auditorem ad aliquid eorum, quæ ex more veniunt, audiendum, et in hac cogitatione retinuisset, tunc percellit rem admirandam subjungens his verbis : « Antequam convenirent, inventa est in utero » habens de Spiritu sancto [1]. » Non dixit : « Antequam duceretur in domum sponsi : » intus enim jam erat. Nam mos priscis erat sponsas ut plurimum domi tenere, imo etiam nunc id videre est : et Loti generi cum ipso habitabant. Habitabat ergo et ipsa cum Josepho.

III. Sed cur non ante sponsalia concepit? ut, quemadmodum dixi, res occultaretur, et ut Virgo pravam omnem suspicionem effugeret. Quando enim ille, qui plusquam omnes zelotypia corripi poterat, videbatur eam non modo non traducere nec inhonorare, sed etiam in consortium accipere, ipsique ministrare prægnanti; palam est eum non sic facturum, nisi persuasum habuisset eam ex Spiritu sancto concepisse; alioquin illam nec apud se retinuisset, nec in aliis suo ministerio dignatus esset. Apposite autem et illud adjecit : « Inventa est in utero habens ; » id quod dici solet in rebus stupendis, quæ præter spem et expectationem omnem accidunt. Ne igitur ultra procedas, ne quid quæras ultra ea quæ dicta sunt, neque dixeris : « Quomodo Spiritus sanctus id Virgine exoperatus est? » Si enim, natura operante, nemo potest formationis modum explicare, quomodo Spiritu mirabiliter agente, poterimus hæc explanare? Ne enim Evangelistam vexares et importunis quæstionibus exagitares, ipse, enuntiato miraculi auctore, sese his omnibus liberavit. Nihil ultra scio, inquit, nisi hoc a Spiritu factum esse. Erubescant ii qui supernam generationem curiosius explorant. Si enim hanc, quæ innumeris testibus celebratur, et ante tot sæcula prænuntiata fuerat, quæ et oculis et tactui pervia fuit, nemo potest

[1] Matth. 1, 18.

explicare, in quem non insaniæ cumulum deveniunt ii, qui arcanam illam curiose scrutantur et explorant? Neque enim Gabriel, neque Matthæus aliud quidpiam dicere potuerunt, nisi quod ex Spiritu natus sit; quomodo autem et qua ratione ex Spiritu natus sit, nullus eorum interpretatus est : neque enim id fieri poterat. Neque arbitreris te totum edidicisse cum audis : « Ex Spiritu : » nam postquam hoc edidicimus, multa adhuc ignoramus; exempli causa, quomodo is qui immensus est, in vulva continetur; quomodo is qui omnia continet, in utero mulieris gestatur; quomodo Virgo pariat et Virgo maneat : Quomodo, quæso te, Spiritus templum illud efformavit? Quomodo non totam carnem ex matre sumpsit, sed partem ejus, quam auxit et formavit? Nam quod ex carne Virginis prodierit, declaravit his verbis : « Quod enim in ea natum » est [1] : » et Paulus « Factum ex muliere [2] : » ex muliere inquit, ora obstruens eorum qui dicerent, quasi per quemdam canalem per eam transiisse Christum. Nam si hoc esset, quid utero opus fuisset? si hoc esset, nihil haberet nobiscum commune; sed alia esset illa caro, non ex massa nostra. Quomodo ergo ex radice Jessæ? Quomodo virga, vel filius hominis? Quomodo flos? Quomodo Maria mater esset? Quo pacto ex semine David? quomodo formam servi acceperit? Quomodo « Verbum caro factum est [3]? » Qua ratione Paulus Romanis dixit : « Ex quibus Christus » secundum carnem, qui est super omnia Deus [4]? » Quod igitur ex nobis, ex massa nostra et ex utero Virginis prodierit, palam est ex dictis exque aliis plurimis : quomodo autem, non item. Ne igitur id tu quæras, sed accipe id quod revelatur, et ne curiose scrutare id quod tacetur. « Joseph autem vir ejus cum esset justus, inquit, et nollet

[1] Matth. I, 20. — [2] Galat. IV, 4. — [3] Joan. I, 14. — [4] Rom. IX, 5.

» eam traducere, voluit occulte dimittere eam [1]. » Cum dixisset : « Ex Spiritu sancto, et sine ullo congressu, » sermonem suum etiam aliunde confirmat. Ne quis enim diceret : « Unde hoc manifestatum est? Quis novit? quis audivit tale quidpiam factum esse? » Ne suspicareris Discipulum in gratiam magistri hoc commentum esse, inducit Josephum, per ea quæ passus est his fidem facientem, ac si diceret : « Si mihi fidem non habes, si testimonium meum tibi suspectum est, crede viro illius. « Joseph enim, ait, vir ejus, » cum esset justus. » Justum hic, omni virtute præditum dicit : ad justitiam enim pertinet non esse avarum, estque justitia omnis virtus : et hoc maxime sensu Scriptura justitiæ voce utitur, ut quando dicit : « Homo justus, verax [2]; » ac rursum, « Erant ambo justi [3]. »

IV. Justus ergo cum esset, id est, benignus, moderatus, « Voluit occulte dimittere eam. » Ideo id quod contigit enarrat ante notitiam datam, ut ne fidem deroges iis quæ, re cognita, gesta sunt. Certe si talis illa fuisset, non modo digna erat quæ traduceretur, sed etiam illam supplicio affici lex jubebat. Verum Joseph non modo ei quod majus, sed etiam ei quod minus erat consuluit, nempe pudori. Non modo enim punire nolebat, sed ne traducere quidem. Vidisti-ne philosophum virum, et tyrannico illo affectu vacuum? Nostis enim quantus morbus sit zelotypia. Quamobrem is qui id probe sciebat dixit : « Plenus » zelo est furor viri ejus; non parcet in die vindictæ [4], » et, « Dura sicut infernus æmulatio [5]. » Certe multos novimus, qui malint animam amittere, quam in zelotypiæ suspicionem incidere. Hic porro non mera suspicio erat, cum uteri tumor rem palam faceret. Attamen ita erat ab hoc animi morbo liber, ut ne in minimis quidem vellet

[1] Matth. I, 19. — [2] Job, I, 1. — [3] Luc. I, 6. — [4] Prov. VI, 34. — [5] Cant. VIII, 6.

Virgini mœstitiam inferre. Quia ergo illam intus apud se retinere per legem non licere videbatur, traducere autem illam et in judicium trahere, id necessario erat ad mortem tradere; neutrum fecit, sed supra legem jam se gerere cœpit. Oportebat enim, jam adveniente gratia, multa signa adesse sublimis hujusce instituti. Quemadmodum enim sol, nondum radios ostendens, eminus tamen partem maximam orbis illustrat; sic quoque Christus ex utero illo exoriturus, antequam egrederetur, orbem totum illuminavit. Idcirco vel ante partum Prophetæ exultabant, et mulieres futura prædicebant, et Joannes, nondum e vulva egressus, ab utero exultabat. Hic itaque multam Joseph ostendit philosophiam : neque enim accusavit illam, neque exprobravit illi, sed dimittere tantum cogitabat. In hoc rerum statu, et in hac negotiorum difficultate, advenit Angelus qui anxietatem omnem tollat. Quærendum autem est cur Angelus non ante venerit, quam vir ille hæc in animo versaret, sed cum hæc ille cogitaret, tunc venerit : nam ait : « Hæc illo cogitante, Angelus venit [1] : » quanquam etiam antequam illa conciperet, nuntius accesserit, unde etiam alia quæstio oritur. Nam et si Angelus viro non dixerat, cur Virgo tacuit hæc ab Angelo audita, et cum sponsum suum anxium videret, non ejus anxietatem sustulit? Cur ergo antequam ille turbaretur, Angelus non rem illi aperuit? Nam operæ-pretium est priorem quæstionem primo solvere. Quare rem illi non aperuit? Ne dicto fidem negaret, et idipsum accideret illi quod Zachariæ. Nam re oculis percepta, facile erat tunc credere : cum autem nondum cœpisset, non facile credi poterat. Ideo id Angelus initio non dixit, et Virgo eadem de causa tacuit. Neque enim putasset sibi rem incredibilem nuntianti a sponso fidem esse habendam; imo timuisset se illum in

[1] Matth. 1, 20.

iram concitaturam esse, quasi admissum peccatum tegentem. Si enim etiam ipsa quæ tantam gratiam perceptura erat, humanum quid passa est et dixit : « Quomodo fiet » istud, quoniam virum non cognosco [1] ? » multo magis ille dubitasset, cum maxime id audisset a muliere hinc sibi suspecta.

V. Ideo Virgo quidem nihil ipsi dicit; Angelus vero tempore congruenti advenit. Quare, inquies, idipsum erga Virginem non fecit, nec post conceptionem ipsi rem nuntiavit? Ne in perturbatione magna foret. Nam timendum erat ne illa rei veritatem non clare sciens, de se quid acerbum decerneret, ncu dedecus non ferens ad laqueum vel ad gladium properaret. Admiranda quippe Virgo erat, ejusque virtutem declarat Lucas, cum ait eam, quando salutationem accepit, non statim gaudio perfusam fuisse, nec dicta suscepisse, sed turbatam quæsivisse qualis esset ista salutatio. Quæ autem sic comparata erat, mœrore confecta fuisset, rei infamiam secum reputans, nec sperans posse se quempiam audientium ad credendum inducere, quod id non ex adulterio profectum esset. Ne itaque id eveniret, ante conceptionem venit Angelus. Etenim oportebat imperturbatum esse uterum illum, in quem omnium Creator ingressurus erat, et omni tumultu vacuam animam illam, quæ mysteriorum tantorum ministra futura erat. Propterea Virgini ante conceptionem, Josepho autem cum gestaret uterum Virgo, locutus est. Quod multi simpliciorum non intelligentes, hic dissonantiam esse dixerunt: quoniam Lucas dixit Mariæ nuntium venisse, Matthæus autem Josepho, non advertentes utrumque gestum fuisse. Id quod etiam in omnibus historiis observandum est: sic enim multas dissonantias, ut quidem putantur, expediemus. Venit itaque Angelus, perturbato Josepho. Nam et

[1] Luc. 1, 34.

propter ea quæ supra dicta sunt, et ut ejus philosophia appareret, adventum suum differt. Cum vero res jam esset implenda, advenit demum. « Hæc autem eo cogitante, An» gelus in somnis apparuit Joseph. » Vides-ne viri moderationem? non modo non punivit, sed nemini dixit, ac ne illi quidem quæ in suspicionem veniebat; sed rem secum cogitabat, et secessus causam Virgini obtegere studebat. Neque enim dixit ipsum voluisse illam ejicere, sed dimittere : usque adeo benignus et moderatus vir erat. Hæc autem cogitanti in somnis apparet Angelus. Et cur non aperte, ut pastoribus et Zachariæ visus est, necnon etiam Virgini? Admodum fidelis vir erat, neque egebat tali visione. Nam Virgo, cui annuntiabatur res tanta, et longe major quam Zachariæ, etiam ante rem ipsam egebat mirabili quadam visione : pastores vero, utpote qui agrestiores essent, apertiore visione opus habebant. Hic autem post partum, cum prava suspicione animi teneretur, et paratus tamen esset ad bonam spem facile reduci, si quis hac in re dux illi appareret, revelationem accipit. Ideo post suspicionem adest bonus nuntius, ut hoc ipsum illi foret vera supra dictorum demonstratio. Cum enim nemini dixisset, sed animo solum hæc cogitasset, et hac de re loquentem Angelum audiret, indubitatum ipsi signum erat Angelum a Deo jussum, hæc dictum venisse : ipsius enim solius est cordis arcana scire. Vide itaque quanta efficiantur ; viri philosophia ostenditur, et illud opportune ab Angelo prolatum ad fidem ejus firmandam confert, dictumque ipsum sine suspicione manet, quod ostendit ipsum ea passum esse, quæ vir quivis jure pati poterat.

VI. Quomodo autem fidem ipsi facit Angelus? audi et mirare dictorum sapientiam. Accedens ait : « Joseph fili » David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam[1]. »

[1] Matth. 1, 20.

Statim Davidem in memoriam revocat, unde nasciturus erat Christus; neque sinit illum turbari, dum per majorum nomen promissionem universo generi factam in memoriam revocat. Sed cujus rei gratia filium David ipsum appellat? « Ne timeas. » Quanquam alibi Deus non ita fecit : sed quodam de uxore Abrahæ secus quam oportuerat cogitante, terroribus minisque in loquendo usus Deus est, etiamsi ibi quoque res per ignorantiam fieret : neque enim rerum gnarus ille Saram acceperat : attamen perterrefecit eum. Hic autem mitius agitur. Ingens enim erat rerum quæ agebantur magnitudo, magnumque inter virum utrumque discrimen : quapropter non erat increpatione opus. Cum autem dixit : « Ne timeas, » declarat ipsum metuere ne Deum offendat, si adulteram uxorem habeat; ita nisi hoc fuisset, illam dimittere ne cogitasset quidem. His igitur omnibus declaratur a Deo venisse Angelum, qui omnia quæ cogitavit et animo passus est Joseph, in medium attulit et exposuit. Virginis autem pronuntiato nomine, non hic stetit, sed addidit, « Conjugem tuam, » quam non ita vocasset, si vitiata fuisset. Conjugem vero hic sponsam vocat, quemadmodum et generos vocare solet Scriptura sponsos, ante nuptias. Quid vero significat illud, « Accipere? » Domi retinere : jam enim illam animo dimiserat. Hanc dimissam retine, quam tibi Deus tradit, non parentes. Tradit autem, non ad nuptias, sed ut cum illa habites; tradit porro per vocem meam; ut illam postea Christus tradidit Discipulo, ita et nunc Josepho traditur. Deinde rem obscure indicans, pravam suspicionem non memoravit; sed honestiore congruentioreque modo conceptionis exposita causa, illam sustulit, ostendens eum, propter eamdem ipsam causam, qua timebat et illam dimittere volebat, jure illam recipere et retinere debere : sicque ex abundanti ejus mœstitiam resolvit. Non modo, inquit, illicito congressu pura est;

sed etiam supra naturam uterum gestat. Ne igitur metum ponas tantum, sed in magnam erumpe lætitiam : « Quod » enim in ea natum est, de Spiritu sancto est [1]. » Stupendum dictum, humanam cogitationem superans, legesque naturæ transcendens. Quomodo igitur credet vir tales non expertus narrationes? A præteritorum, inquit, revelatione. Ideo omnia quæ mente cogitabat, revelavit, quæ passus est, quæ timuit, quæ facere meditabatur; ut illis in medium adductis, etiam his fidem haberet; imo non ex præteritis tantum, sed etiam ex futuris ad credendum illum inducit. « Pariet autem, inquit, filium, et vocabis nomen » ejus Jesum [2]. » Ne putes enim, quia ex Spiritu sancto est, te ideo alienum esse a ministerio œconomiæ illius. Etiamsi enim nihil ad generationem conferas, sed intacta Virgo maneat; attamen quod est patri proprium, etsi virginitatis dignitatem non labefactet, hoc tibi confero, ut nato nomen imponas. Tu enim « Vocabis » illum. Etsi namque filius tuus non sit, tu paternam erga illum geres curam. Ideo vel ab ipsa nominis impositione, nato te parentis loco adjungo. Deinde ne quis ideo eum patrem esse suspicaretur, audi quam accurate sequentia ponat. « Pariet, inquit, » filium ; » non dicit : « Pariet tibi ; » sed indeterminate posuit : non enim ipsi peperit, sed universo orbi.

VII. Ideoque nomen ejus ex cœlo detulit Angelus : hinc ostendens mirabilem esse partum, quod Deus ipse nomen ejus de cœlo per Angelum Josepho miserit. Neque enim ipsum casu et sine causa datum fuit; sed est mille bonorum thesaurus. Idcirco ipsum Angelus interpretatur, optimamque spem offert, et hac ratione fidem ipsi conciliat ; nam propensius inclinamur ad res hujuscemodi; ideoque illis facilius credimus. Cum igitur ex omnibus ad fidem ei habendam præparasset, ex præteritis, ex futuris, et ex præ-

[1] Matth. 1, 20. — [2] Ibid. 21.

sentibus, necnon ab honore ipsi debito, inducit Prophetam, opportune his omnibus calculum dantem. Priusquam vero ipsum inducat, bona per ipsum orbi conferenda prænuntiat. Quænam illa sunt? ereptio a peccatis : « Ipse enim, » inquit, salvum faciet populum suum a peccatis eorum[1]. » Hic quoque stupendum quidpiam indicatur. Non enim a bellis sub sensum cadentibus, non a barbaris, sed quod longe majus erat, a peccatis liberandum populum ipsius annuntiat : id quod nemo ante facere potuerat. Et qua de causa, inquies, populum suum dixit, neque gentes adjecit? Ne statim auditorem percelleret. Alioquin vero intelligentia præditus auditor, hic gentes quoque subindicari perspicit. Populus enim ejus sunt non Judæi tantum, sed omnes qui accedunt, et ejus doctrinam cognitionemque suscipiunt. Animadverte autem quomodo ejus dignitatem nobis aperuerit, populum suum appellans populum judaïcum. Hoc enim nihil aliud significat, quam eum qui natus est, esse Filium Dei, ac de rege superno sermo ipsi est, neque enim alia potestas peccata remittere valet, nisi ea quæ ad illam substantiam pertinet. Quoniam igitur tantum accepimus donum, nihil non agamus ne tantum beneficium dehonestemus. Si enim ea, quæ ante hunc honorem gesta sunt, digna ultione erant, multo magis post ineffabile illud beneficium. Hæc porro non sine causa nunc dico ; sed quia multos video post baptisma segniores, quam ii qui nondum initiati sunt, neque ullam habentes instituti nostri notitiam. Ideoque nec in foro nec in Ecclesia potest distingui fidelis a non fideli; nisi quis adsit tempore mysteriorum, et videat qui ejiciantur, et qui maneant. Oporteret autem eos non a loco, sed a moribus distingui. Nam externæ quidem dignitates, ab externis notis et ornamentis jure dignoscuntur : nostra vero ab ipsis animis nota esse oportet. Fidelem nam-

[1] Matth. 1, 21.

que non a dono tantum, sed etiam a novo vitæ instituto agnosci par esset. Fidelis et luminare et sal mundi esse debet. Cum autem nec tibi quidem ipsi luceas, nec propriam putredinem constringas, unde tandem te nosse poterimus? an quia in sacris fluentis ingressus es? Sed hoc te ad supplicium deducit. Magnitudo enim honoris, iis qui vitam hujusmodi honore dignam non agunt, additamentum supplicii est. Fidelem enim non ab iis tantum quæ a Deo accepit, sed etiam ab iis, quæ ipse intulit fulgere par est, et undique se notum præstare, ab incessu, ab aspectu, ab habitu, a voce. Hæc autem dixi, non ut ad ostentationem, sed ut ad utilitatem videntium nos componamus. Nunc autem undecumque te voluero dignoscere, undique te invenio a contrariis dignosci. Si a loco qui sis velim ediscere, in circo te, in theatris, et iniquis occupationibus video dies transigere, in fori cœtibus improborum, in corruptorum hominum consortio; si a vultus compositione, assidue te cerno cachinnis deditum ac dissolutum, haud secus quam perditam meretricem aperto ore sese dehonestantem; si a vestibus, perinde te amictum video atque histrionem; si a clientibus, parasitos circumducis et adulatores; si a verbis, nihil sanum, nihil necessarium, nihil ad institutum vitæ nostrum conducens loquentem audio; si a mensa, major hinc accusationis materia orietur.

VIII. Undenam igitur, quæso, potero te fidelem agnoscere, cum supra dicta omnia contrarium arguant? Et quid dico fidelem? Neque enim, si homo sis, possum evidenter agnoscere. Nam cum calce impetas ut asinus, exilias ut taurus, ad mulieres hinnias ut equus, voraciter edas ut ursus, carnem impinguare studeas ut mulus, injuriarum memor sis ut camelus, rapias ut lupus, irascaris ut serpens, ferias ut scorpio, versipellis sis ut vulpes, virus ini-

quitatis serves ut aspis et vipera; adversus fratres bellum geras, ut crudelis ille dæmon; quomodo te potero inter homines annumerare, cum humanæ naturæ characteres in te non videam? Quærebam differentiam catechumenum inter et fidelem, et periculum est ne invenire nequeam virum inter et feram discrimen. Ecquid te dicam esse? feram? At feræ uno tantum vitio tenentur : tu vero qui omnia circumfers vitia, longe magis quam illæ rationis es expers. Sed dæmonem te vocabo? Atqui dæmon neque ventris tyrannidi subditus est, neque divitias amat. Cum ergo plura vitia, quam feræ et dæmones habeas, quomodo, quæso, te hominem vocabimus? Si vero te hominem vocare non licet, quomodo fidelem appellabimus? Quod autem deterius est ; cum ita male simus affecti, ne cogitamus quidem animæ nostræ deformitatem, neque ejus fœditatem novimus. Sed apud tonsorem sedens, comam detondens, arrepto speculo, cæsariem consideras, et astantes ipsumque tonsorem interrogas, num ornate frontem concinnaverit: ac sæpe, senex cum sis, non vereris juvenilibus studiis insanire : animam vero nostram, non modo deformem, sed etiam ferinæ formæ esse, instar Scyllæ et Chimæræ, quæ in fabula feruntur, ne minimum quidem sentimus : quanquam tamen hic spirituale speculum habeamus longe melius et utilius illo. Non modo enim deformitatem monstrat; sed etiam mutat illam in pulchritudinem immensam, si quidem velimus. Hoc porro speculum est proborum virorum memoria, necnon beatæ ipsorum vitæ historia, Scripturarum lectio, leges a Deo datæ. Si vel semel volueris Sanctorum imagines contemplari, deformitatem animæ tuæ videbis : qua semel conspecta, nullo alio egebis ut ab hac turpitudine libereris. Ad hoc enim utile nobis est hoc speculum, facilemque nobis reddit hanc mutationem. Nemo itaque in brutorum forma maneat. Si enim servus in

domum patris non intrat, cum feræ formam habet, quomodo tu in limina illa ingredi poteris? Ecquid feram dico? fera enim deterior est hujusmodi homo. Feræ enim etsi natura sua feroces sint, humana tamen artæ sæpe mansuescunt: tu vero qui illarum naturalem feritatem in mansuetudinem, quæ contra naturam earum est, transmutas, quam habebis excusationem, qui mansuetudinem, quam ex natura habes, in feritatem, quæ contra naturam est, convertis, et qui quod ferum erat mite reddens, teipsum natura mitem, contra naturam ferocem constituisti: ac qui leonem cicuras mansuetumque reddis, animum tuum leone ferociorem efficis; etiamsi duo illic impedimenta adsint, et quod fera illa sit rationis expers, et quod omnium sit ferocissima. Attamen vi inditæ tibi a Deo sapientiæ, naturam ipsam vincis. Tu igitur qui ferarum naturam vincis, cur in teipso et naturæ et voluntatis bonum prodis? Ac si quidem te alium hominem mitem reddere juberem, ne sic quidem tibi ea mandare viderer, quæ fieri nequirent: posses tamen tu objicere te non dominum esse voluntatis alterius, nec penes te id totum esse. Nunc autem bellua tua est, in tuo posita arbitrio.

IX. Quam ergo habes defensionem, dum naturam tuam non subigis? quem excusationis colorem proferre poteris, dum leonem in hominem convertis, teque ex homine leonem factum videns, id non curas? ac dum illi ea quæ supra naturam ejus sunt largiris, tibi ne ea quidem servas quæ ex natura habes: sed dum feras agrestes ad nobilitatem nostram deducere contendis, teipsum ex solio regni detrudis, et in belluarum furorem depellis. Cogita namque, si placet, iram esse feram, et quantam alii circa leones curam impendunt, tantam et tu impende circa teipsum, atque animum tuum mitem mansuetumque redde: nam et ille sævis dentibus et ungulis instructus est, ac nisi ei-

cures ipsum omnia perdet. Neque enim leo et vipera sic viscera lacerare possunt, ut ira, quæ ungulis ferreis assidue laniat. Neque vero corpus tantum labefactat, sed et animæ sanitatem corrumpit, vim ejus omnem corrodens, dilanians, discerpens, et ad omnia inutilem reddens. Nam si is qui vermes in visceribus nutrit, ne respirare quidem poterit, cunctis intus corruptis, quomodo talem serpentem habentes, viscera omnia corrodentem, iram dico, generosum aliquid parere poterimus? Quomodo ergo poterimus ab hac peste liberari? Si illam potionem bibamus, quæ possit intus positos vermes et serpentes extinguere. Ecqua potio illa est, inquis, quæ tantam vim habeat? Pretiosus sanguis Christi, si cum fiducia sumatur : morbos quippe omnes extinguere poterit. Huic adde divinarum Scripturarum lectioni attentionem, huicque adjicias eleemosynam. Per hæc quippe omnia extingui poterunt morbi animam labefactantes. Tuncque solum vivemus, cum jam non meliore conditione simus, quam mortui : nam illis viventibus, nos vivere nequimus, sed necessario perimus. Nisi enim hic illos occiderimus, illic nos omnino interficient : imo et ante extremum obitum de nobis hic ultionem sument. Etenim unusquisque morbus hujuscemodi, crudelis, tyrannicus et insatiabilis est, nec nos quotidie corrodendi finem facit : nam dentes leonum sunt dentes ipsorum, imo etiam longe sæviores. Leo quippe ubi exsatiatus fuerit, a cadavere discedit : hi vero morbi animi nunquam satiantur, neque cessant, donec captum hominem diabolo proximum statuerint. Tanta enim illorum vis est, ut quam servitutem Christo Paulus exhibuit, ita ut propter illum et gehennam et regnum despiceret, eamdem ipsam a captivis suis exigant. Nam sive in corporum, sive in divitiarum, sive in gloriæ amorem quis inciderit, et gehennam deridet, et regnum contemnit, ut amata re potiatur. Ne igitur Paulo

fidem negemus dicenti se Christum ita amasse. Cum enim inveniantur quidam animi affectibus ita servientes, cur illud incredibile nobis videatur? Etenim ideo amor erga Christum infirmior est, quia tota vis nostra in vitiorum amore consumitur : et rapimus, et avaritiæ dediti sumus, et vanæ gloriæ servimus, qua quid vilius fuerit? Etiamsi enim admodum sis conspicuus, nihilo melior eris iis, qui infimæ sortis sunt; imo ob hoc ipsum illis inferior eris. Quando enim iidem ipsi, qui te gloriosum ac splendidum reddere student, ob hoc ipsum te deridént, quod gloriam ab ipsis requiras, quomodo non hæc cupiditas tibi in contrarium vertetur? nam illi, quidquid agant, accusatores tui sunt.

X. Quemadmodum enim adulterio vel fornicationi deditum si quis laudaverit, vel ipsi adulatus fuerit, eo ipso potius accusator, quam laudator illius est; sic et vanæ gloriæ cupidum, cum laudamus omnes, accusatores potius ejus quam laudatores sumus. Cur ergo rem venaris, cujus contrarium tibi solet accidere? Nam si gloriam consequi vis, gloriam contemne, et omnium gloriosissimus eris. Cur id pateris quod passus est Nabuchodonosor? Nam et ille statuam erexit, ex ligno (8) et ex insensibili forma putans se sibi famam conciliaturum esse, et qui vivus erat ex non vivente illustrior apparere cupiebat. Vides-ne ingentem insaniam? Dum sibi putat honorem conciliare, contumeliam potius sibi parit. Dum enim videtur inanimatæ rei magis fidere, quam sibi ipsi, et animæ suæ viventi, atque ideo lignum in tantum honoris culmen provehit, quomodo non fuerit risu dignus, dum non a moribus, sed ab asseribus ornari studet? quemadmodum si quis ex pavimento domus aut ex pulchritudine scalæ suspici malit, quam ex eo quod homo sit : hujusmodi virum multi nunc imitantur. Quemadmodum enim ille ab imagine, sic alii a vestibus, alii ab

ædibus, a mulis, a carpentis, a columnis quæ sunt in domibus, in admiratione haberi cupiunt. Nam cum illud, quod homines sint, amiserint, circumeunt, ut sibi aliunde gloriam multo risu dignam concilient. Verum generosi illi et magni Dei famuli, non inde, sed ex quibus par erat, effulserunt. Etenim et captivi, et servi, et juvenes et peregrini, et rebus omnibus domesticis vacui, multo clariores visi sunt, quam ii qui illis omnibus circumdati erant. Certe Nabuchodonosori, nec tanta illa statua, nec satrapæ, nec duces, nec immensi exercitus, nec auri vis, nec quævis alia pompa, secundum concupiscentiam ejus fuere satis, ut magnus appareret; his vero, qui illis omnibus destituti erant, sola philosophia satis fuit : quæ illo qui diademate et purpura ornatus, et tot aliis circumseptus erat, eos qui nihil eorum habebant, tanto splendidiores faciebat, quanto sol est margarita splendidior. Etenim in medium orbis universi adducebantur juvenes captivi, servi, iisque adductis statim rex ignem ab oculis emittebat, astantibus ducibus, toparchis, principibus, ac toto diaboli theatro, dum vox fistularum ac tubarum omnisque musici instrumenti ad cœlum usque ascendens, illorum auribus personaret. Fornax succendebatur et flamma ad immensam altitudinem usque ad nubes ascendebat, omnia metu terroreque plena erant. Verum illos quidem nihil horum exterruit; sed astantes quasi ludentes pueros deriserunt, ac virtutem mansuetudinemque suam ostenderunt, ipsisque tubis clariorem emittentes vocem dicebant : « Notum sit tibi, rex. » Neque enim verbis tyrannum dehonestare volebant, sed tantum pietatem suam exhibere. Quapropter non longis sermonibus sunt usi, sed paucis cuncta declararunt : « Est, » inquiunt, Deus in cœlo, qui potest nos eruere [1]. » Quid nobis tantam multitudinem offendis? quid fornacem? quid

[1] Dan. III, 17.

gladios acutos, quid terribiles illos satellites? His omnibus superior et potentior est Dominus. Deinde cogitantes contingere posse Deum ita velle, ac permittere ut ipsi comburerentur, ne illo accidente viderentur mendacia locuti esse, hoc etiam addunt : « Quod si hoc non fiat, notum sit » tibi nos deos tuos non colere [1]. »

XI. Si enim dixissent : « Deus ob peccata non eruet nos ; » quod si non eripiat, fides ipsis non habita fuisset. Ideo hic illud tacent, id vero dicunt in fornace, frequentissime peccata commemorantes. Coram rege autem nihil hujusmodi ; sed etiamsi comburendi sint, piam religionem se non prodituros esse dicunt. Non enim pro retributione atque mercede id agebant, sed ex sola charitate : etiamsi in captivitate et in servitute essent, nullo fruentes bono. Nam et patria et libertate et omnibus bonis exciderant. Ne mihi enim illos in regali aula commemores honores. Cum enim sancti et justi essent, sexcenties domi stipem cogere maluissent, et templi bonis frui : « Elegi enim, inquit, abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in ta- » bernaculis peccatorum ; » et « Melior est dies una in atriis » tuis super millia [2]. » Longe potius ergo maluissent abjecti esse domi, quam in Babylone regnare. Id quod palam est ex iis quæ in fornace declarant ægre se ferre, nempe habitationem babylonicam. Etsi enim illic multo fruerentur honore, magno ipsis dolori erant cæterorum, quas ipsi videbant, calamitates : quod Sanctis maxime proprium est, non gloriam, non honorem, non aliud quidquam proximorum saluti anteponere. Vide igitur quomodo in fornace pro omni populo supplicarent. Nos autem ne quidem cum tranquille agimus, fratrum recordamur. Et cum somnia explorarent, non sua, sed aliorum commoda in scopo habebant. Quod enim mortem contemnerent, multis postea

[1] Dan. III, 18. — [2] Psal. LXXXIII, 11.

declararunt. Ubique autem præsto sunt Deum placare studentes. Deinde quia se non ad id sufficere putabant, ad patres confugiunt; ipsi autem non aliud afferre dicunt, quam spiritum contritum. Hos itaque et nos imitemur. Nam etiam nunc stat aurea imago, mammonæ nempe tyrannis. Sed non attendamus tympanis, non tibiis, non cinyris, non reliquo divitiarum apparatui. Verum etiamsi in paupertatis fornacem incidere oporteat, id potius deligamus, ut ne ipsum adoremus, et erit in medio fornacis « Ros » sibilans. » Ne itaque paupertatem horreamus, dum fornacem audimus. Nam tunc etiam ii qui in fornacem inciderunt illustriores effecti : qui autem statuam adoraverunt, occisi sunt. Sed tunc omnia simul facta sunt; nunc vero alia hic, alia in futuro sæculo; alia et hic et in futuro sæculo. Nam qui ne mammonam adorarent paupertatem elegerunt, et hic et illic splendidiores erunt : qui vero hic injuste divitias possederunt, tunc extremas luent pœnas. Ex hac fornace Lazarus exiit, non minus conspicuus quam tres illi pueri; dives autem qui adorantium statuam instar fuit, ad gehennam damnatus est. Nam quæ dicta sunt, figura illorum erant. Ut igitur ii qui in fornacem inciderunt, nihil passi sunt; qui vero foris erant, magna cum vehementia sunt abrepti; sic et tunc erit. Sancti qui per fluvium igneum incedunt, nihil ingratum patientur, sed læti apparebunt; qui autem imaginem adoraverunt, ignem videbunt in se quavis fera sævius irruentem, et intus attrahentem. Itaque si quis gehennam non credit, hanc videns fornacem, a præsentibus futura credere ediscat, ac ne timeat paupertatis fornacem, sed potius fornacem peccati. Hæc enim et flamma et dolor est; illa vero ros et requies. In illa fornace stat diabolus; in hac Angeli excutientes flammam.

XII. Hæc audiant divites, qui paupertatis flammam ac

cendunt. Pauperibus enim nihil nocebunt, rore ipsis superveniente; se vero ipsos flammis tradent, quas ipsi propriis manibus accenderunt. Tunc Angelus descendit ad pueros; jam vero nos ad eos, qui in fornace paupertatis sunt, descendamus, et per eleemosynam rorem pariamus, flammamque excutiamus, ut cum illis coronarum simus consortes; usque gehennæ flammam Christi vox excutiat dicens : « Esurientem me vidistis, et pavistis [1]. » Hæc enim vox tunc nobis pro rore aderit per mediam flammam « Si- » bilans. » Descendamus itaque cum eleemosyna in fornacem paupertatis : videamus philosophantes illos, qui in ipsa ambulant, et carbones calcant : videamus rem novam atque stupendam, hominem in fornace psallentem, hominem in igne gratias agentem, extrema inopia colligatum, et multas Christo laudes referentem. Etenim pueris illis pares sunt ii qui paupertatem cum gratiarum actione ferunt. Nam igne terribilior est mendicitas, magisque incendere solet. Sed flamma pueros illos non incendit, verum quia gratias Domino reddiderunt, vincula ipsorum subito soluta sunt. Ita et nunc, si in paupertatem lapsus gratias agas, vincula solvuntur et flamma extinguitur; sin non extinguatur, id quod mirabilius est, pro flamma fons efficitur : quod tunc etiam contigit : nam in media fornace rore puro fruebantur. Ignem quidem non extinxit, sed ne comburerentur qui eo injecti fuerant impedivit. Hoc etiam in philosophantibus videre est : etenim in paupertate timoris magis expertes sunt, quam divites. Ne itaque extra caminum sedeamus, nulla erga pauperes misericordia affecti; ne patiamur quod tunc illi passi sunt. Si enim descendens ad pueros cum illis steteris, nihil mali tibi inferet ignis. Si autem superne sedens, despexeris illos in flamma paupertatis, te flamma comburet. Descende igitur in ignem, ne

[1] Matth. xxv, 34.

incendaris ab igne. Ne sedeas extra ignem, ne te flamma abripiat. Si enim te viderit cum pauperibus, a te abscedet; sin ab illis separatum, statim in te insiliet, teque abripiet. Ne igitur abscedas ab illis eo conjectis : sed cum diabolus jusserit eos, qui aurum non adorent, conjici in fornacem paupertatis, ne fueris ex injicientium, sed ex injectorum numero, ut sis ex servandorum, non ex urendorum numero. Nam vere ros est copiosus, non detineri concupiscentia divitiarum, et cum pauperibus versari. Hi omnium sunt opulentissimi, qui cupiditatem divitiarum conculcaverunt. Quandoquidem illi qui tunc regem contempserunt, ipso rege clariores sunt effecti. Et tu igitur si res hujus mundi despicias, toto mundo pretiosior eris, ut et Sancti illi, quibus dignus non erat mundus. Ut itaque dignus fias cœlestibus, deride præsentia. Ita enim et hic splendidior eris, et futuris bonis frueris, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

CAPUT I.

Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuël [1].

I. Multos [2] audio dicentes : « Dum præsentes concioni sumus, et doctrina verbi fruimur, ab meliorem frugem reducimur; egressi vero, alii efficimur, ac fervoris ignem extin-

[1] Isaï. VII, 14, et Matth. I, 22, 23.— [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 18-22.

guimus. » Quid ergo agendum, ne id eveniat? Explorandum unde accidat. Quæ causa igitur nobis est talis mutationis? Quod loca frequentemus non convenientia, et quod cum improbis consortium habeamus. Non enim oportebat a concione egressos, in negotia nos ingerere concioni non congruentia : sed statim domum petentes librum accipere, atque uxorem et filios ad eorum, quæ dicta fuerant, collectionem evocare, ac tunc ad vitæ necessaria nos conferre. Si enim ex balneo nolis in forum te conferre, ne ex fori negotiis balnei recreationem et fructum labefactes; multo magis a concione egressum id facere oportebat. Jam vero contrarium facimus, ideoque omnia perdimus. Nam lectionis fructum in mente nondum probe defixum, externarum rerum tumultus incidens totum aufert et abripit. Ne itaque id fiat, ex concione egressus, nihil magis necessarium putes illa doctrinæ collectione. Etenim extremæ desidiæ fuerit, quinque sexve dies sæcularibus negotiis impendere, spiritualibus vero ne unam quidem diem, imo ne minimam quidem diei partem insumere. Annon videtis quotidie pueros nostros, disciplinas quas acceperunt per totam diem meditantes? Idipsum et nos faciamus; alioquin nihil nobis supererit ex his conventibus, si dolio pertuso quotidie hauriamus, neque tantam custodiendæ doctrinæ sollicitudinem adhibeamus, quantam circa aurum et argentum exhibemus. Si quis enim denarios paucos acceperit, et in crumena reponit et sigillo munit; nos autem, acceptis eloquiis et auro et gemmis pretiosioribus, perceptisque Spiritus sancti thesauris, non ea in animæ penu recondimus, sed negligenter omnino sinimus ex mente nostra effluere. Quis igitur ultra nostri miserebitur, cum nobis ipsis insidias paremus, et in tantam sponte incidamus paupertatem? Ne igitur id eveniat, scribamus nobis immotam legem, ut uxoribus et filiis nostris hanc unam hebdomadæ diem consecremus,

cum audiendæ doctrinæ, tum colligendis iis quæ audita sunt. Ita enim multo dociliores ad ea quæ dicenda sunt occurremus; nobisque labor minor, ac vobis majus lucrum accedet, cum ea quæ nuper dicta sunt memoria retinentes, sic sequentia audietis. Non enim id parum confert ad dictorum intelligentiam, si seriem sententiarum nostrarum accurate teneatis. Quia enim non possumus omnia uno die complecti, si ea quæ singulis vobis diebus proponimus, in memoriæ quadam serie quasi catenam teneatis; sic in mente reponite, ut totum Scripturæ corpus simul appareat. Revocatis igitur in mentem iis, quæ nuper dicta sunt, sic hodie ad ea quæ proponenda sunt accedamus.

II. Quænam igitur nobis hodie proponenda sunt? « Hoc » autem totum factum est ut impleretur quod dictum est a » Domino per Prophetam dicentem. » Digna miraculi voce pro viribus clamavit dicens : « Hoc autem totum factum » est. » Quia enim vidit pelagus et abyssum benignitatis Dei, et id quod nunquam speratum fuerat evenisse, naturæ solutas leges, reconciliationem factam, et omnium supremum ad omnium infimum descendisse, medium murum sublatum, et impedimenta abacta, multoque plura his gesta alia, uno verbo miraculum declaravit dicens : « Hoc autem » totum factum est, ut impleretur quod dictum est a Do- » mino. » Ne existimes, inquit, id modo decretum esse, jam olim præfiguratum fuerat : id quod etiam Paulus ubique demonstrare studuit. Jam vero Josephum ad Esaïam remittit; ut si experrectus verborum ipsius, utpote recens dictorum, oblitus esset; propheticorum, in quorum meditatione nutritus fuerat, semper recordatus, quæ dicta sibi erant retineret. Uxori autem nihil tale dixit, utpote quæ puella adhuc horum notitiam non haberet : viro autem utpote justo, qui Prophetas meditaretur, hinc edisserit. Et antehac quidem dixerat : « Mariam conjugem tuam : » hic

vero postquam Prophetam adduxit in medium, nunc demum nomen virginitatis illi credidit et patefecit; neque enim tam imperturbato animo fuisset, audito Virginis nomine, nisi prius id ab Esaïa audivisset. Nihil enim stupendum, sed rem sibi hæc multo tempore meditanti familiarem auditurus erat a Propheta. Ideo Angelus ut rem credibilem redderet, Esaïam in medium adducit. Neque hic gradum sistit, sed ad Deum hæc loquentem erigit eum, non enim Prophetæ verba esse dixit, sed a Deo universorum prolata. Ideo non dixit : « Ut impleretur quod dictum est ab Esaïa ; » sed « Quod dictum est a Domino : » os quippe erat Esaïæ, oraculum vero e supernis delatum. Quid autem ait hoc oraculum : « Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, » et vocabunt nomen ejus Emmanuël [1]. » Cur ergo, dices, non vocatus est Emmanuël, sed Jesus Christus? Quia non dixit : « Vocabis, » sed « Vocabunt, » nempe populi, et ipse rerum exitus. Hic rei quæ contigit nomen imponit : et hic est mos Scripturæ, res quæ contingunt pro nomine ponere. Nihil enim aliud est illud : « Vocabunt Emmanuël, » quam, « Videbunt Deum cum hominibus ; » nam semper cum hominibus fuit, sed nunquam ita manifeste. Quod si impudenter obsistant Judæi, interrogabimus eos : « Quandonam vocatus est puer, « Cito prædare, velociter spolia aufer? » sed nihil respondere poterunt. Cur ergo Propheta dixit : « Voca no- » men ejus, cito prædare [2]? » Quoniam ipso nato, depopulatio et spoliorum direptio facta est : ideoque rem quæ circa ipsum contigit, quasi nomen ipsi imponit, « Et civi- » tas, inquit, vocabitur civitas justitiæ, metropolis fidelis » Sion [3] : » et nusquam invenimus illam fuisse vocatam Justitiam, sed nomen ipsi mansit Jerosolyma; verum quia ipsa in melius commutata hoc ipsi accidit, adeo ipsam ita vocari dixit. Ubi enim contingit quoddam præclarum facinus,

[1] Isaï, VII, 14. — [2] Id, VIII, 3. — [3] Id, I, 26.

quod clarius quam ipsum proprium nomen indicat auctorem ejus, aut eum qui ejus fructum percepit, nomen ejus Scriptura dicit esse rei veritatem. Quod si hinc confutati aliud quærant, nempe de virginitate dictum, et objiciant nobis alios interpretes, dicentes : « Illi non dixerunt Virginem, sed puellam. » Primo quidem illud dicemus jure Septuaginta interpretes aliis fide digniores haberi. Nam hi postremi post Christi adventum interpretati sunt, Judæique manserunt, unde in suspicionem cadant, utpote qui ex inimicitia sic potius dixerint, ac prophetias de industria obscure converterint. Septuaginta vero, qui centum aut pluribus annis ante Christi adventum huic rei tot numero manum admoverunt, ab omni hujusmodi suspicione liberi sunt, ac tum ob tempus, tum ob multitudinem, tum ob mutuum consensum fide digni habendi sunt.

III. Sin autem recentiorum testimonium proferant, etiam hoc modo victoria penes nos erit : nam puellæ nomine solet Scriptura Virginem vocare; idque non de mulieribus tantum, sed etiam de viris dicitur : nam ait, « Juvenes et » virgines, senes cum junioribus [1]. » Ac rursum de puella loquens cujus virginitas impetitur dicit : « Si clamaverit » puella [2], » id est, virgo, id vero confirmatur ex iis quæ supra dicta sunt. Neque enim simpliciter dixit : « Ecce virgo » in utero habebit; » sed cum ante dixisset : « Ecce dabit » Dominus ipse vobis signum; » tunc subjecit; « Ecce virgo » in utero habebit [3]. » Atqui nisi virgo fuisset illa quæ paritura erat, et si ex connubii lege id futurum erat, quod tandem id signum fuisset? Signum enim rerum communem ordinem debet excedere, atque omnino inexpectatum et insolitum esse; alioquin quomodo signum esset? « Ex» surgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei » Angelus Domini [4]. » Vidisti-ne obsequentiam et animum

[1] Psal. CXLVIII, 12. — [2] Deut. XXII, 27. — [3] Isaï. VII, 14. — [4] Matth. I, 24.

obtemperantem? Vidisti-ne animam vigilem, et nulli personarum acceptioni obnoxiam? Neque enim cum triste quidpiam et turpe suspicabatur, illam apud se retinere voluit, neque amota suspicione, illam ultra dimittere sustinuit; imo vero illam retinuit, ac totius dispensationis minister effectus est. « Et accepit, inquit, Mariam conjugem » suam [1]. » Vides-ne quam frequenter hoc nomen proferat Evangelista, quod nolit interim mysterium illud revelare, dum malam amovet suspicionem? « Cum autem accepisset » eam, non cognovit illam, donec peperit filium suum pri» mogenitum [2]; » illud « Donec, » hic posuit, non ut suspiceris illam postea cognovisse Josephum, sed ut scias Virginem usque ad partum intactam fuisse. Cur itaque ait, « Donec peperit? » Hic mos loquendi in Scriptura sæpe observatur; ita ut hæc vox non pro definito quodam tempore ponatur. Nam de arca loquens ait : « Non reversus » est corvus, donec siccaretur terra [3], » etsi postea reversus non sit. De ipso etiam Deo sic loquitur : « A sæculo et us» que in sæculum tu es [4]; » nullos hic terminos ponens; rursusque prænuntians : « Orietur in diebus ejus justitia et » abundantia pacis, donec auferatur luna [5]; » nullum terminum pulchro huic elemento statuit. Ita et hoc loco, « Donec » dixit, ut quæ partum antecedebant firmaret; et quæ sequebantur tibi consideranda relinqueret. Quod enim ab eo tibi discendum erat, hoc dixit, nempe Virginem usque ad partum intactam mansisse. Quod autem ex dictis consequi et in confesso esse videbatur, hoc tibi intelligendum reliquit. Nempe virum illum justum, eam quæ sic mater effecta, ac tam novo et insolito puerperio dignata fuerat, tangere non ausum fuisse. Nam si cognovisset eam et uxoris loco habuisset, quomodo illam quasi nullum ha-

[1] Matth. I, 24.— [2] Ibid. 25.— [3] Gen. VIII, 7.— [4] Psal. LXXXIX, 2 — [5] Id. LXXI, 7.

bentem virum Discipulo commendasset, jubens eam in sua accipere? Quo pacto ergo, inquies, Jacobus et alii ejus fratres appellantur? Quemadmodum et Joseph vir Mariæ esse existimabatur. Multa enim erant posita velamina, ut hujusmodi partus occultaretur : Ideoque Joannes illos sic vocabat his verbis, « Neque enim fratres ejus credebant in » eum [1]. » Attamen ii qui prius non crediderant, admirandi et præclari postea extiterunt. Quando ergo dogmatum causa Paulus Jerosolymam ascendebat, Jacobum statim adiit, qui ita admirandus erat, ut illius urbis episcopatum primus acciperet. Narrant autem illum tam aspere vitam duxisse, ut membra ejus omnia quasi emortua essent, atque ex precandi assiduitate, dum jugiter in pavimento procumberet, frontem ejus ita obduruisse, ut genuum cameli duritiem pene attingeret, ita frequenter illam solo applicuerat. Hic quoque Paulum, qui denuo Jerosolymam ascenderat, fausta nuntians sic compellat : « Vides, frater, » quot millia sunt qui convenerunt [2]? » Tanta erat ejus prudentia, tantus zelus, imo vero tanta Christi virtus. Nam qui illum vituperabant viventem, ita post mortem ipsum admirati sunt, ut cum alacritate magna vitam pro ipso profunderent; quæ virtutem resurrectionis cum primis commonstrant. Ideoque illa quæ clariora erant, ad extremum tempus reservabantur, ut hæc nulli dubio obnoxia esset demonstratio. Nam si illos etiam qui in vita sua admirandi erant, defunctos obliviscimur, quo pacto illi qui viventem ipsum irridebant, Deum esse existimavissent, si hominem credidissent? Quomodo pro ipso mortem subire voluissent, nisi perspicuam accepissent resurrectionis demonstrationem?

IV. Hæc porro dicimus, non ut audiatis tantum, sed ut imitemini fortitudinem, dicendi fiduciam, justitiamque

[1] Joan. VII, 5. — [2] Act. XXII, 20.

omnem; ut nemo de se desperet, etiamsi antehac segnis desidiosusque fuerit; utque nulla in re alia spem habeat, nisi post Dei misericordiam in morum sanctitate. Nam si nihil illis profuit quod ex cognatione, domo et patria Christi essent, donec virtute clarerent, qua venia digni erimus, dum cognatos et fratres justos ostendimus, nisi cum magna æquitate virtuteque vitam ducamus? Illud enim subindicans Propheta dicebat : « Frater non redimit, redimet » homo [1], » etiamsi Moyses fuerit, etiamsi Samuël, etiamsi Jeremias. Audi enim quid illi dicat Deus : « Noli precari » pro populo hoc, quoniam non exaudiam te [2]. » Et quid miraris si te non audio? Nam si ipse Moyses, inquit, si Samuël adessent, eorum pro istis supplicationem non admitterem. Ezechiel etiamsi supplicet, hoc audiet : « Si » steterint Noë et Job et Daniel, filios filiasque suas non » liberabunt [3]. » Etiamsi Abraham patriarcha pro iis, qui incurabili morbo laborant, nec resipiscunt, supplicet, Deus abscedet et relinquet eum, ita ut eorum gratia emissam vocem non audiat. Etiamsi Samuël hoc ipsum fecerit, dicet ipsi : « Ne fleveris pro Saüle [4]. » Etiamsi pro sorore quispiam non opportune oraverit, idipsum audiet quod Moyses : « Si conspuens conspuisset pater ejus in faciem ejus [5]. » Ne itaque aliorum patrocinium hianti ore spectemus. Nam preces quidem Sanctorum vim habent maximam; sed si nos pœnitentiam agamus et resipiscamus. Quandoquidem Moyses, qui fratrem suum et sexcenta millia hominum ab imminente ira liberavit, sororem non potuit eripere : etiamsi non par peccatum esset. Illa quippe Moysem contumelia affecerat; hi autem impium facinus admiserant. Verum hanc ego vobis quæstionem relinquo, sed illa graviorem solvere conabor. Quid enim de sorore dicamus,

[1] Psal. XLVIII, 7. — [2] Jer. XI, 15. — [3] Ezech. XIV, 14. — [4] 1 Reg. XVI, 1. — [5] Num. XII, 14.

quando ipse etiam tanti populi dux, id quod pro seipso rogabat impetrare non valuit; sed post tot tantosque labores et ærumnas, postquam per annos quadraginta populo præfuerat, in terram toties promissam intrare prohibitus est. Qua de causa? Non utilis hæc gratia fuisset, imo damni multum intulisset, Judæorumque multos supplantavisset. Si enim ex Ægypto tantum a Moyse liberati, Deo dimisso, Moysem requirebant ipsique totum referebant; si se vidissent ab illo introductos in terram promissionis, quo non prorupissent impietatis? Ideoque sepulcrum ejus occultum mansit [1]. Samuël vero Saülem liberare nequivit a divina ira; qui tamen Israëlitas sæpe servavit. Jeremias Judæos servare non potuit [2]; alteri tamen in prophetia sua patrocinatus est. Daniel barbaros qui jugulabantur eripuit, nec Judæos ne in captivitatem abducerentur servare potuit [3]. In Evangeliis quoque, non in diversis, sed in iisdem ipsis utrumque conspicimus: eumdemque videmus salutem sibi parare, et postea salutem suam prodere. Nam qui decem millia talenta debebat, supplicando se ex periculo eripuit, posteaque idipsum non potuit; alius contra, qui prius seipsum prodiderat, sibi ipsi plurimum prodesse potuit. Quis ille est? Is qui paternam substantiam devoraverat. Itaque si segnes et socordes fuerimus, ne per alios quidem servari poterimus; si autem vigilemus, per nosmetipsos id valebimus: imo magis nostra, quam aliorum opera. Mavult quippe Deus gratiam nobis ipsis dare, quam alio pro nobis precante; ut curantes ipsi iram placare, cum fiducia agamus et resipiscamus. Sic Chananæam miseratus est; sic meretricem salute donavit, sic latronem, nullo interveniente mediatore et patrono.

V. Hæc autem dico, non ut Sanctis non supplicemus, sed ne simus negligentes, neve in socordiam somnumque

[1] Deut. xxxiv, 6, — [2] 1 Reg. xvi, 1. — [3] Dan. ii, — [4] Luc. xv.

delapsi, aliis ipsisque solis res nostras committamus. Nam cum dixisset : « Facite vobis amicos, » non hic stetit, sed addidit, « Ex iniquo mammona [1]; » ut recte factum vere sit tuum. Nihil enim aliud hic, quam eleemosynam indicavit : quodque admirandum, nihil ultra a nobis exigit, si ab iniquitate abscedamus. Hoc enim vult significare : « Inique adeptus es? recte impende : injuste collegisti? juste disperge. » Atqui quæ tandem hæc virtus est, de talibus donare? Attamen Deus, benignus cum sit, eo usque sese demittit. Si ita faciamus, bona nobis multa pollicetur. At nos ad tantam socordiam devenimus, ut ne quidem ex inique partis largiamur; sed innumeris aucti rapinis, si vel minimam partem dederimus, nos totum absolvisse putemus. Non audisti Paulum dicentem : « Qui parce seminat, » parce et metet [2]. » Cur ergo parcis? Num sumptus est illud? num expensa? Imo proventus et negotiatio. Ubi enim semen jacitur, ibi messis consequitur : ubi semen, ibi et multiplicatio. Tu vero si terram haberes pinguem et fertilem, quæ plurima posset excipere semina, illam coleres, ac quæ suppeterent spargeres, et ab aliis commodato acciperes, parcimoniamque ea in re detrimentum esse putares. At cum cœlum colere opus est, nulli aëris intemperiei obnoxium, sed cum fœnore maximo jacta semina redditurum, segnis es, refugis, neque cogitas parce agentem perdere, affatim spargentem multum lucrari. Disperge itaque, ne perdas; ne retine, ut retineas; projice, ut custodias; impende, ut lucreris. Quod si servare illa oporteat, ne serves tu : nam illa prorsus perditurus es; sed Deo committas : inde namque nemo abripiet. Ne tu negotieris, nescis quippe lucrari; sed maximam totius partem fœnori dato ei qui usuram tibi præbiturus est. Ibi fœnus colloca, ubi nulla invidia, nulla accusatio, nullæ

[1] Luc. XVI, 9. — [2] 2 Cor. IX, 6.

insidiæ, timor nullus. Fœnori dato ei qui nullo indiget, et propter te tamen opus habet; ei qui omnes alit, et esurit, ne tu fame premaris; ei qui pauper effectus est, ut tu ditescas. Fœnus ibi colloces, unde non mortem, sed vitam pro morte in fructum percipies. Hæc fœnora regnum, illa gehennam pariunt : hæc enim ad avaritiam, illa ad philosophiam pertinent : illa crudelitatem, hæc humanitatem arguunt. Quam defensionem habebimus, si cum possimus plura accipere, ac tuto inque tempore opportuno, cum libertate magna, tuti ab opprobriis, timoribus, periculis, hoc dimisso lucro, illa insequamur turpia, levia, fallacia, fluxa, quæ nos in fornacem ingentem dejiciant? Nihil enim, nihil certe præsenti usura turpius, nihil crudelius. Nam hujusmodi fœnerator in aliorum calamitatem negotiatur, et proventum sibi parat ex aliorum infelicitate, mercedemque humanitatis exigit : ac veluti metuens ne immisericors appareat, benignitatis specie foveam profundiorem fodit, dumque fert opem, pauperem opprimit; dum manum porrigit, dejicit; ac dum quasi in portum recipere videtur, in naufragium, in scopulum et in saxa latentia dejicit. Sed quid quæris? inquies; an ut collectam pecuniam, mihi utilem, alteri in usum dem, nec ullam inde mercedem reposcam? Absit : non ita loquor; imo cupio te hinc mercedem accipere, non vilem aut exiguam, sed multo majorem : pro auro te cœlum in usuram accipere volo. Cur ergo te in paupertatem redigis, dum in terra volutaris, et parva pro magnis exigis? Illud enim est quid sint divitiæ nescire. Cum Deus pro exiguis illis pecuniis bona tibi cœlestia promittit, tu vero dicis : « Ne mihi cœlum dederis, sed pro cœlo aurum illud perituram : » hoc est velle in pauperie manere. Ita qui veras divitias concupiscit, is manentia pro perituris, inexhausta pro fluxis, multa pro paucis, incorruptibilia pro corruptibili-

bus eliget : et sic illa etiam sequentur. Nam qui terram ante cœlum quærit, ab illa prorsus excidet : qui autem cœlum terræ prætulerit, utroque supra modum fruetur. Quod ut consequamur, præsentia omnia contemnentes, futura bona deligamus; ita enim et his et illis fruemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

CAPUT II.

Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judææ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum [1].

I, Multa [2] nobis opus est vigilantia, multis precibus, ut præsentem locum explicare possimus, ac scire qui sint hi Magi, unde, quomodo et quo suadente venerint, et quænam illa stella fuerit. Imo etiam, si vultis, ea primum in medium adducamus, quæ dicunt veritatis inimici. Etenim usque adeo diabolus illos afflavit, ut inde illis arma contra veritatem ministrare tentaverit. Quid igitur dicunt? « Ecce, inquiunt, Christo nato, stella apparuit, quod sane signum est astrologiam veram esse disciplinam. » Quomodo ergo si illo ritu et modo natus est, astrologiam solvit, fatum sustulit, dæmonum ora obturavit, errorem expulit, et omnes hujuscemodi præstigias eliminavit? Quomodo etiam Magi per hujusmodi stellam ediscunt ipsum esse re-

[1] Matth. II, 1, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag, 22-29.

gem Judæorum? cum certe non hujusmodi regni rex esset, ut ipse Pilato dicebat : « Regnum meum non est de » hoc mundo [1]. » Nihil quippe tale monstravit : non hastatos, non clypeatos, non equos, non mulorum jugum, neque quidpiam simile circum se habuit; sed vilem et pauperem vitam agebat, duodecim tantum viros, eosque despicatissimos circumducens. Sed etiamsi ipsum scirent esse regem, cur tandem illum adeunt? Neque enim illud astronomiam spectat, ut ex stellis cognoscantur ii qui nascuntur; sed ut ex hora qua nascuntur, prænuntientur ea quæ ipsis eventura sunt; uti quidem narrant. Hi vero neque parienti matri aderant, neque tempus noverant quo natus est; neque inde initio ducto, ex stellarum motu quæ eventura erant prædixerunt. Sed e contrario, cum stellam multo ante tempore in regione sua fulgentem vidissent, natum visuri accedunt : quod sane majoribus obnoxium difficultatibus est, quam id quod præcedit. Quænam illos ratio movit? Qua spe fulti ex tanto terrarum spatio adoratum regem veniunt? Nam siquidem rex ipsorum futurus erat, ne sic etiam congruentem habuere rationem. Etenim si in regiis ædibus natus fuisset, rege patre præsente, jure quis diceret ipsos, ut patri placerent, natum puerum adoravisse, ut hoc præmisso cultu regis benevolentiam sibi conciliarent. Cum vero scirent ipsum regem suum non esse futurum, sed alienæ gentis, a regione sua longe remotæ, ipsumque ad viri ætatem nondum pervenisse, cur tantam peregrinationem suscipiunt, cur dona afferunt, quando maxime cum periculo hæc facturi erant? Siquidem, hoc audito, Herodes turbatus est, turbatus item populus totus, cum hæc ex illis audiret. At, inquies, hæc illi non præsciebant. Verum id cum ratione pugnat. Nam etsi admodum insipientes fuissent, ignorare non poterant

[1] Joan. xviii, 36.

se in urbem regi subditam venientes, taliaque nuntiantes, aliumque ab eo qui tum regnabat regem esse monstrantes, sexcentis sese mortis periculis objicere. Cur autem pannis involutum adorarunt? Nam si vir saltem fuisset, dici potuisset illos, quod opem ejus expectarent, se in apertum periculum conjecisse : quod tamen ipsum extremæ dementiæ fuisset Persam, barbarum, qui nihil commune haberet cum Judæorum gente, a propria terra discedere velle, ac patriam, cognatos et domum relinquere, seque alteri regno subjicere. »

II. Quod si hoc stultum fuisset, quod sequitur longe stultius. Quidnam illud est? Quod tam longi spatium itineris emensi, postquam adoraverant, et tantum apud omnes tumultum excitaverant, statim reversi sint. Quæ tandem viderunt regni insignia? Tugurium, præsepe, puerulum in cunabulis, matrem pauperem. Cuinam munera obtulerunt, et qua de causa? An ea lex, is mos erat, ut omnibus per orbem nascentibus regibus id obsequii tribueretur? An semper terrarum orbem circuibant, ut quos scirent ex vilibus et pauperibus reges futuros, antequam in regium solium ascenderent, adorarent? Nemo sane illud dixerit. Cur ergo illum adorarunt? Si rerum præsentium causa : quid se sperare poterant a puerulo et inope matre accepturos? Si futurorum gratia, unde scire poterant puerulum in cunabulis adoratum, eorum, quæ tum gesta sunt, recordaturum esse? Quod si mater illum admonitura erat, supplicio potius quam præmio digni erant, qui in apertum periculum illum conjecissent. Exinde enim Herodes turbatus, quærebat illum, scrutabatur, et interficere tentabat. Atque ubique terrarum, qui aliquem in tenella ætate privatum, regnaturum esse palam prædixerit, nihil aliud agit, quam quod ipsum neci tradat, vel contra illum bella excitet innumera. Vides-ne quanta hinc absurda nascantur, si secundum re-

rum humanarum seriem, vulgaremque morem res exploretur? Neque tamen hæc tantum, sed etiam multo plura dici possent, quæ majores iis, quas supra diximus, parerent quæstiones. Sed ne difficultates difficultatibus nectentes, in caliginem obscuritatemque vos dijiciamus, age demum ad quæsitorum solutionem properemus, et astella ducamus initium. Si enim discamus quæ vel qualis illa sit, an ex numero aliarum, an diversa ab illis, an natura sua, an specie tantum stella, tunc facile cætera omnia sciemus. Unde ergo hæc comperiamus? Ex ipsa Scriptura. Quod enim hæc stella non ex numero aliarum, imo ne stella quidem esset, ut mihi quidem videtur; sed invisibilis quædam virtus, quæ stellæ speciem præferret, primo ab ejus itinere arguitur. Nulla enim, nulla utique stella est quæ tali pergat via: nam et solem et lunam, et alias omnes stellas ab oriente videmus ad occidentem pergere: hæc vero stella a septentrione ad meridiem ferebatur: Palæstinæ quippe hic situs est, si Persidem spectes. Secundo illud etiam a tempore probari potest: neque enim noctu apparet, sed in meridie, lucente sole, quam vim nec stella, imo ne luna quidem ipsa habet, quæ licet omnia astra superet, orto solis fulgore, statim occultatur nec conspicitur. Hæc vero stella splendoris sui vi etiam solis radios splendore superabat, majoresque emittebat radios. Tertio probatur, quod ea modo lucem emitteret, modo cessaret: nam venientibus in Palæstinam luxit; postquam autem Jerosolymam advenerant, sese occultavit (9): deinde Herode relicto, postquam illum de causa itineris certiorem fecerant, iter suscepturis apparuit: quod certe non stellæ motui competit, sed virtuti intelligentia præditæ. Neque enim proprium sibi cursum habebat; sed ubi pergendum erat, illa pergebat; ubi standum, stabat, secundum opportunitatem omnia dispensans; sicut columna illa nubis quæ Judæis monstrabat, quando castra movere,

quando sistere oporteret[1]. Quarto, ab ipso lucendi modo id clare discitur : non enim in alto cœlo constituta, neque enim poterant illo modo dirigi, sed inferne demissa locum monstrabat. Nostis enim non posse stellam locum ita parvum monstrare, qui tugurium contineret; imo locum qui corpus infantuli capere posset : quia enim immensa erat altitudo, non poterat stella tam angustum locum indicare volentibus invisere. Illud vero ex ipsa luna deprehendere est : quæ cum stellas omnes tantum superet, universis orbem incolentibus, et in tanta terræ latitudine diffusis, vicina esse videtur. Quomodo igitur, quæso, locum ita angustum præsepis et tugurii stella ostendisset, nisi relicta illa celsitudine, ad inferiora descendisset, et supra caput ipsum pueri stetisset? Quod subindicans Evangelista dicebat : « Ecce stella antecedebat eos, usque dum veniens sta» ret supra ubi erat Puer[2]. » Vides-ne quot argumentis probatur hanc stellam non fuisse ex numero aliarum : neque secundum seriem externæ illius genesis apparuisse?

III. Cur ergo apparuit? ut Judæorum stupiditatem incesseret, atque ingratis adimeret omnem defensionis ansam. Quia enim adveniens ille vetus institutum abrogaturus, orbemque ad unum eumdemque cultum deducturus, ipseque in mari et terra ubique adorandus erat, ab ipsis statim initiis ostium gentibus aperit, ut alienorum exemplo suos etiam erudiret. Quia enim cum Prophetas frequenter audirent de ipsius adventu sæpe loquentes, non admodum attendebant, effecit ut barbari de terra longinqua venirent, qui regem apud ipsos natum inquirerent; et persica voce primum ea ediscerent quæ a Prophetis discere noluerant : ut si probe se gererent, maximam arriperent ad obtemperandum ansam; sin vero contenderent, omni prorsus excusatione vacui essent. Quid enim dicere possint ii, qui Chris-

[1] Exod. xiii, et Num. ix. — [2] Matth. ii, 9.

tum a tot Prophetis annuntiatum non susceperunt, cum viderint Magos ex unius stellæ visu ipsum suscipientes et adorantes? Quod igitur circa Ninivitas fecerat Jonam mittens, et quod circa Samaritanam et Chananæam, idipsum etiam per Magos fecit. Ideoque dicebat: « Viri Ninivitæ » surgent, et condemnabunt [1], « et, « Regina Austri surget, » et condemnabit generationem hanc [2]: » quoniam illi minoribus crediderunt; hi vero neque majoribus. At cur illos, inquies, per talem visum adduxit? At quomodo oportuit? An Prophetas mittere? Sed Magi Prophetis non credidissent. An vocem superne proferre? Verum non attendissent. An Angelum mittere? Sed hunc quoque forsitan præteriissent. Quapropter, illis omnibus omissis, Deus, summa utens indulgentia, per consueta vocat illos, ostenditque stellam magnam ab aliis diversam, ut ipsos et ex magnitudine et ex pulchritudine spectaculi percelleret, necnon etiam ex cursus modo. Hæc et Paulus imitatus, ex ara cum Græcis disserendi occasionem accipit, et poëtarum testimonia in medium adducit: Judæos vero circumcisionem memorans alloquitur, et eos, qui sub lege viverent, a sacrificiis orsus, doctrina imbuit. Quia enim consuetum sibi quisque morem libenter sequitur, et Deus et viri a Deo ad orbis salutem missi, ita res tractant. Ne itaque indignum Deo putes quod per stellam ipsos vocaverit: sic enim judaïca quoque omnia improbabis, sacrificia nempe, purificationes, neomenias, arcam ipsumque templum. Hæc quippe omnia ex gentium crassitudine ortum duxerunt. Attamen Deus ad errantium salutem his se passus est coli, quibus dæmonas gentiles illi colebant, illo tamen cultu tantisper mutato, ut illos paulatim a consuetudine abductos, ad sublimem illam philosophiam deduceret. Id quod etiam circa Magos effecit, cum illos per stellæ visum vocavit, ut deinde sublimiores red-

[1] Matth. XII, 41. — [2] Luc. XI, 41.

deret. Postquam igitur illos ad præsepe quasi manu deduxerat, non per stellam deinde, sed per Angelum ipsos alloquitur: sic illi gradatim meliores effecti sunt. Hoc ipsum fecit circa Ascalonitas et Gazæos [1]. Nam postquam quinque illæ civitates, arca ad se veniente, letali plaga percussæ sunt, cum nullum ingruentibus malis remedium invenirent, vocatis vatibus et congregato cœtu, quomodo divinitus immissum malum amoverent consultabant. Hinc vatibus dicentibus vaccas indomitas et primiparas arcæ jungi oportere, ut nullo duce quo vellent irent [2]; hincque exploratum fore an divinitus, an casu quopiam immissus morbus esset. «Nam si, aiebant, jugum ex imperitia conterant, vel si ad mugientes vitulos vertantur, plaga casu acciderit; sin recta pergant, neque vitulorum mugitum curent, neque ex viæ ignorantia aberrent, conspicuum erit ipsam Dei manum has urbes percussisse.» Quia igitur vatum dictis paruerunt illarum civitatum incolæ, Deus etiam, indulgentia usus, vatum sententiam secutus est; nec majestate sua indignum putavit vatum prædictionem ad opus deducere, et fidem dictis eorum conciliare. Eo major enim res gesta videbatur, si Dei potentiam ipsi etiam inimici testificarentur, et si eorum doctores de illa calculum ferrent. Multa quoque similia Deum dispensantem animadvertimus. Nam ea etiam quæ ad Pythonissam spectant eodem dispensata sunt modo [3]: ut vos deinceps secundum jam dicta poteritis explicare. Hæc de stella a nobis dicta sunt, sed plura a vobis dici possint: nam, «Da sapienti occasionem et sapientior erit [4].»

IV. Jam ad principium eorum, quæ lecta sunt, redeundum est: quodnam est principium? «Cum natus esset Jesus in »Bethlehem Judææ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab »Oriente venerunt Jerosolymam [5].» Magi stellam ducem

[1] 1 Reg. v. — [2] Id. vi, 7. — [3] Id. xxviii, 7 et seqq. — [4] Prov. ix, 9. — [5] Matth. ii, 1.

secuti sunt; hi vero ne Prophetis quidem annuntiantibus crediderunt. Cur autem nobis et tempus dicit et locum, dum ait : « In Bethlehem, » et, « In diebus Herodis regis. » Qua vero de causa dignitatem etiam addidit ? quoniam et alius fuit Herodes qui Joannem occidit; sed hic tetrarcha, ille rex erat. Locum autem scribit et tempus dum prophetias nobis veteres commemorat, quarum alteram Michæas emisit his verbis ; « Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam » minima es in principalibus Juda [1] ; » alteram patriarcha Jacob, qui nobis tempus exprimit, magnumque signum adventus ejus apponit; nam ait : « Non auferetur princeps » de Juda, nec dux de femoribus ejus, donec veniat cui re- » positum est : et ipse expectatio gentium [2]. » Sed illud quoque inquirendum est; quæ causa ipsis fuerit talia cogitandi, et quis illos ad talia agenda concitaverit : neque enim mihi videtur hæc posse ad solam stellam referri, sed ad Deum qui eorum animos concitavit : id quod etiam in Cyro fecit, cum ejus animum induxit, ut Judæos dimitteret [3]; neque tamen illud ita operatus est, ut liberum ejus arbitrium tolleret. Quandoquidem et cum Paulum ex alto vocavit, et gratiam suam et ejus obsequentiam conspicuam effecit [4]. At, inquies, cur non omnibus Magis hoc ipsum revelavit ? Quia non omnes crediturі erant : hi vero erant aliis paratiores. Siquidem cum innumeræ gentes perirent, ad Ninivitas solum Propheta missus est : duoque erant in cruce latrones, et alter tantum salutem nactus est. Horum itaque virtutem perpende ; non quod venerint, sed quod cum fiducia et simpliciter egerint. Etenim ne subdole missi videantur, et quo duce venerint, et viæ longitudinem narrant, et loquendi fiduciam exhibent : nam aiunt : « Venimus adorare eum [5], » neque populi furorem, neque regis tyrannidem reformi-

[1] Matth. II, 6, et Mich. V, 2. — [2] Gen. XLIX, 10. — [3] Paral. XXXVI. — [4] Act. IX. — [5] Matth. II, 2.

dant : quapropter videntur mihi etiam contribulium suorum doctores domi fuisse. Nam qui istic illud dicere non dubitarunt, multo magis in patria sua ea de re locuti libere fuerint, quippe qui et oraculum Angeli accepissent, et Prophetæ testimonium allatum. « Audiens autem Herodes, ait, » turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo [1]. » Jure quidem Herodes, qui rex erat, sibi filiisque timebat : Jerosolyma vero quare turbata est, quandoquidem ipsum et Servatorem, et beneficum, et liberatorem jam olim Prophetæ prædixerant? Cur ergo turbati sunt? Eodem animo quo olim beneficum Deum aversabantur, et carnes illas ægyptiacas commemorabant, dum tanta fruerentur libertate. Tu vero mihi perpende accurata Prophetarum dicta : nam illud ipsum jam olim prænuntiavit Propheta his verbis : « Cupient » si facti sunt igne combusti ; quia Puer natus est nobis, et » filius datus est nobis [2]. » Attamen perturbati, non curant videre quod gestum est, non Magos sequuntur, non scisciantur ; ita nimirum contentiosi et simul socordes præ omnibus erant : cum par fuisset enim gloriari, quod rex ille apud se natus esset, quod Persarum regionem ad se traxisset, ac fore videretur ut omnes sibi subditi essent, quando res sic prospere caderent et in melius proficerent, ac vel a principio imperium ita splendidum eset ; illi tamen ne sic quidem in meliora mutantur, etiamsi nuper fuerant a captivitate persica liberati. Atqui par erat illos, etiamsi arcanorum et sublimium ignari fuissent, et ex præsentibus tantum calculum posuissent, hæc cogitare tamen : « Si natum regem nostrum ita formidant, multo magis, cum adoleverit, ipsum pertimescent, ipsique obsequentur, nostraque barbaricis splendidiora futura sunt. » Sed nihil hujusmodi ipsorum animos erigit : tanta scilicet erat illorum socordia cum livore conjuncta : quod utrumque vitium non oportet dili-

[1] Matth. II, 3. — [2] Isaï. IX, 6.

genter arcere, eumque qui adversus ista aciem instruet, igne ferventiorem esse. Quamobrem dicebat Christus : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur[1] ? » Ideoque Spiritus ignis specie apparuit.

V. Verum nos cinere frigidiores, et mortuis stupidiores facti sumus ; licet Paulum videamus super cœlum et cœlum cœli volantem, et vehementius quam ipsa flamma omnia vincentem et superantem, superna, inferna ; præsentia, futura, ea quæ sunt et ea quæ non sunt. Quod si hoc exemplum supra te est, jam temporis est iste obtentus. Quid enim plus quam tu habuit Paulus, ut dicas non posse te illum imitari ? Verum ne quid contentiosius dicere videamur, Paulo dimisso, primos fideles consideremus, qui et pecunias et possessiones, et curam et occupationes omnes sæculares repudiarunt, totosque se Deo consecrarunt, nocte dieque semper verbi doctrinæ attendentes. Hæc est enim spiritualis ignis natura, ut nullam rerum sæcularium cupiditatem relinquat, sed in alium transferat amorem. Quapropter talium rerum cupidus, etiamsi omnia profundere, etiamsi voluptatem et gloriam irridere, ipsamque animam tradere oporteat, cum magna facilitate hæc omnia perficit. Nam illius ignis ardor in animam ingressus, torporem omnem abjicit, et penna leviorem efficit eum quem invadit, ita ut omnia quæ sub aspectum cadunt, despiciat. Qui talis est, in perpetua compunctione deinde perseverat, fontes lacrymarum frequenter effundens, multamque inde voluptatem excerpens. Nihil quippe Deo ita conglutinat, et conjungit, ut lacrymæ hujusmodi. Vir talis etsi in mediis urbibus habitet, quasi in deserto, in montibus et speluncis versatur, rebus præsentibus non attendit, neque hujusmodi fletibus unquam satiatur, sive pro se, sive pro aliorum peccatis lacrymas effundat. Ideoque Christus hosce præ aliis

[1] Luc. xii, 49.

beatos prædicat dicens : « Beati qui lugent[1]. » Cur vero Paulus dicit : « Gaudete in Domino semper[2] ? » ut lacrymarum hujusmodi voluptatem declaret. Quemadmodum enim mundi gaudium mœrorem habet conjunctum, sic et lacrymæ illæ secundum Deum lætitiam pariunt perennem, et quæ nunquam deficiat. Sic meretrix illa virginibus clarior effecta est, hoc igne succensa. Quia enim pœnitentiæ fervore correpta est, Christi amore postea exarsit, cum solutis capillis, sacros illos pedes lacrymis rigavit, coma sua abstersit, atque unguentum effudit. Et hæc quidem extrinsecus gesta sunt : illa vero quæ in animo agebantur, his longe ardentiora erant, quæ unus cernebat Deus. Quapropter quisque nostrum hæc audiens, congratulatur ipsi, ac de ejus recte factis lætatur, omnique crimine liberam illam putat. Quod si nos, qui mali sumus, hunc calculum ferimus, cogita quantam acceperit gratiam, et quanta ex pœnitentia, etiam antequam munera illa acciperet, a Deo consecuta sit bona. Sicut enim post vehementes imbres aër purus efficitur, sic post fusas lacrymas sequitur tranquillitas et serenitas, peccatorumque tenebræ fugantur. Et sicut ex aqua et Spiritu, sic ex lacrymis et confessione purgamur, modo non ad ostentationem et laudem captandam id faciamus. Nam quæ hac de causa lacrymatur, magis culpanda est, quam ea, quæ fuco et pigmentis sese oblinit. Illas enim requiro lacrymas, quæ non ad ostentationem, sed ad compunctionem funduntur, quæ occulte in cubiculis, nullo teste, quæ quiete sine strepitu manant, quæ ex intimo cordis, ex afflictione et dolore, quæ propter Deum emittuntur, quales erant Annæ lacrymæ : « Ejus enim labia, inquit Scriptura, movebantur, et vox non audiebatur[3]. » Verum lacrymæ solæ tuba clariorem emittebant

[1] Matth. v, 4. — [2] Philip. iv, 4. — [3] 1 Reg. 1, 13.

vocem. Ideoque vulvam ejus aperuit Deus, et durum saxum in agrum fertilem vertit.

VI. Si tu quoque sic lacrymeris, Domini tui imitator effectus es. Nam et ipse lacrymatus est et de Lazaro [1], et de civitate, et circa Judam turbatus est [2]. Idipsum porro videre est sæpe facientem, ridentem vero nusquam, imo ne subridentem quidem : nullus certe hoc Evangelista narravit. Ideoque et Paulum flevisse, ac per triennium nocte et die idipsum fecisse, et ipse et alii de ipso narrant : quod autem riserit, nec ipse, nec alius Sanctorum de ipso dixit, imo nec de aliis ipsi similibus. De Sara tantum id narratur, quando correpta fuit, et de filio Noë, quando ex libero servus effectus est. Hæc autem dico, non ut risum prorsus eliminem, sed ut dissolutionem auferam. Cur, quæso, ita gaudes et diffluis tot reddendis obnoxius rationibus, qui tremendo illi tribunali sistendus es, de tuis omnibus in hac vita gestis rationem accurate redditurus ? Etenim de iis, quæ vel sponte, vel inviti fecimus, rationem reddemus : « Qui enim, inquit, negaverit me coram homi» nibus, et ego negabo eum coram Patre meo, qui in cœlis » est [3]. » Atqui illa negatio [aliquando] non voluntaria est, et tamen supplicium non effugit, ejusque dabimus pœnas, et tam eorum quæ scimus, quam eorum quæ nescimus ? « Nihil enim mihi conscius sum, inquit, sed non in hoc » justificatus sum [4]. » Sive ignorantes sive scientes peccemus : « Testimonium enim illis perhibeo, inquit, quia æmu» lationem Dei habent, sed non secundum scientiam [5]. » Verum id illis ad purgationem non sufficit. Corinthiis autem scribens aiebat : « Timeo ne sicut serpens Evam se» duxit astutia sua, sic corrumpantur sensus vestri, et » excidant a simplicitate quæ est in Christo [6]. » Tot tanto-

[1] Joan. xi, 35.— [2] Luc. xix, 41.— [3] Matth. x, 33, et Luc. xii, 9. — [4] 1 Cor. iv, 4. — [5] Rom. x, 2. — [6] 2 Cor. xi, 3.

rumque facinorum rationem redditurus, sedes ridens, urbanas facetias proferens, et voluptati indulgens? Sed si id non fecero, inquies, si luxero, quæ mihi hinc utilitas? Multa sane, et tanta quantam explicare non possim. In sæcularibus enim judiciis, quantumvis plores, non effugies supplicium post latam sententiam; hic vero, si ingemiscas tantum, sententiam solvisti, et veniam consequeris. Ideoque de luctu sæpe Christus nos admonet, et eos qui lugent beatos prædicat; illos vero qui rident, miseros declarat. Hoc quippe theatrum non risum admittit : neque ideo convenimus, ut cachinnos effundamus; sed ut gemamus, atque ex hujusmodi gemitu regni hæreditatem nanciscamur. Tu vero, si coram imperatore steteris, ne subridere quidem audebis; et ipsum Angelorum Dominum domi habens non stas tremens cum modestia decenti, sed rides illo etiam sæpe irato? Nec cogitas te illum magis ad iram concitare dum hæc agis, quam dum peccas? Non enim ita peccatores aversatur Deus, ut eos qui post peccatum non sese cohibent. Attamen ita sunt quidam omni sensu vacui, ut post hæc audita verba dicant : « Absit, ut unquam lacrymas fundam, mihi vero id concedat Deus, ut semper rideam et ludam. » Quid hujusmodi cogitatione infantius? Non enim Deus id dat ut ludamus, sed diabolus. Audi igitur quid passi sint ii qui ludebant : « Sedit, inquit, » populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere [1]. » Tales erant Sodomitæ, tales etiam illi tempore diluvii. Nam de illis dicitur : « In superbia, in prosperitate, et in » saturitate panum deliciis affluebant [2]. » Illi vero qui tempore Noë erant, cum per tot annos construi arcam viderent, sine ulla cura vel sensu lætabantur, nihil de futuris rebus prospicientes; ideoque universos diluvium submersit, et commune orbis naufragium tunc effecit?

[1] Exod. xxxii, 6. — [2] Ezech. xvi, 48.

VII. Ne itaque illa petas a Deo, quæ a diabolo accipis. Nam Dei est dare cor contritum et humiliatum, animum vigilem, temperantem, continentem, pœnitentem, compunctum. Hæc illius dona sunt, quia illis potissimum indigemus. Certamen enim imminet grave, et adversus invisibiles potestates lucta nobis est, adversus spiritualia nequitiæ pugna, adversus principatus et potestates bellum : atque utinam diligenter agentes, vigiles et concitati, possimus hoc ferum agmen sustinere ! Si vero rideamus et ludamus, ac semper socordes simus, etiam ante conflictum ex propria segnitie concidemus. Non nostrum itaque est perpetuo ridere, deliciari et convivari; sed eorum qui in scena ludunt, meretricum, virorum qui ad talia sunt adornati, parasitorum, adulatorum : non autem eorum qui ad cœlum vocati sunt, non eorum qui in superna civitate sunt descripti, non eorum qui armis spiritualibus sunt instructi; sed eorum qui diabolo sunt initiati. Ille namque est, ille qui hac arte, hoc opere conatur Christi milites attrahere, illorumque animi molliores nervos efficere. Ideo theatra in urbibus struxit, et mimos illos exercens, illorum opera contra totam civitatem hanc pestem excitat. Quam fugere Paulus jussit, stultiloquium nempe et scurrilitatem [1]; quæ autem horum omnium gravissima risus illius occasio est; quando quidpiam aut blasphemum aut turpe inter ridicula mimi dixerint, tunc ex insipientioribus quidam rident et lætantur; cum lapidibus ipsos impetere oporteret, plaudunt illi super his, et per hanc voluptatem caminum ignis contra caput suum attrahunt. Nam qui talia dicentes laudant, ii sunt qui maxime id dicere suadent : ideoque supplicio huic facinori debito justissime obnoxii erunt. Etenim si nullus esset spectator, nullus prodiret histrio : cum autem vos vident et officinas et artes, et quæstum hinc pro

[1] Ephes. v, 4.

venientem, atque uno verbo omnia relinquere, ut ad hæc spectacula accurratis, majori alacritate atque studio his operam adhibent. Hoc autem dico, non ut illos a crimine vindicem; sed ut discatis vos esse qui hujusmodi nequitiæ principium et radicem subministratis, qui totam diem his in rebus insumitis, honestum conjugii statum traducentes, et mysterium magnum dehonestantes. Neque enim histrio ille ita delinquit, ut tu, qui hæc fieri jubes; imo nec jubes modo: sed etiam curam adhibes, lætaris, rides, laudasque hujusmodi spectacula, omnique modo hanc foves dæmonum officinam. Quibusnam, quæso, oculis uxorem tuam domi postea videbis, quam ibi vidisti contumelia affectam? Quomodo non erubescis dum conjugis tuæ recordaris, cum ibi sexum ejus dehonestari videris?

VIII. Ne mihi dixeris rem mere simulatam et histrionicam hæc esse: hæc enim histrionica multos effecit adulteros, multasque familias evertit. Ideoque maxime gemo, quod illud ne malum quidem vobis esse videatur; sed plausus, clamor, risus multus adhibeatur, dum adulterii hujusmodi spectaculum offerre audent. Quid dicis ea esse histrionicam simulationem? Ideo illi sexcentis suppliciis digni sunt, quoniam ea quæ leges omnes vitare jubent, eadem ipsi imitari student. Nam si malum est illud, ejus est quoque repræsentatio mala. Nondum dico quot adulteros efficiant histrionica hujusmodi adulterii spectacula, quam petulantes impudentesque efficiant spectatores; nihil enim lascivius, nihil petulantius oculo, qui hujusmodi spectacula ferre possit. Tu vero in foro quidem nudam mulierem aspicere nolis; imo ne ue domi: rem enim hujusmodi contumeliam vocas. In theatrum tamen ascendis, ut commune genus virorum mulierumque contumelia afficias, oculosque tuos deturpes? Ne mihi dixeris mulierem illam nudam esse meretricem; utique idem ipse sexus, idem

corpus est meretricis et liberæ. Si enim obscœni nihil ea in re est, cur cum in foro eadem ipsa videris, statim resilis, et inverecundam depellis? An cum disjuncti sumus, id obscœnum est, cum autem congregati una sedemus, non perinde turpe est? Verum hoc ridiculum ac dedecus est, et hæc verba extremam præ se ferunt dementiam: meliusque esset cœno atque luto oculos oblinere, quam ita fœdam et iniquam rem spectare. Neque enim tantum damni oculo infert lutum, quantum lascivus aspectus et nudæ mulieris spectaculum. Audi igitur quid nuditatem ab initio fecerit, et tantæ turpitudinis rationem metue. Quid ergo nuditatem effecit? Inobedientia et diaboli insidiæ. Sic jam olim et ab initio hoc ejus fuit studium. Verum illos saltem pudebat quod nudi essent: vos autem id decori vobis esse putatis, secundum illud Apostoli: « Gloriam in » turpitudine habentes [1]. » Quibus ergo te oculis uxor aspiciet, a tam iniquo spectaculo redeuntem? quomodo te recipiet? quibus te verbis alloquetur, qui muliebrem sexum totum ita dehonestaveris, et ex tali spectaculo captivus et servus meretricis effectus sis? Si hæc audientes doletis, gratiam vobis habeo maximam. Quis enim est qui me lætificat, nisi is qui ob dicta mea tristatur? Ne cessetis igitur de his ingemere et morderi: nam dolor de rebus hujusmodi principium vobis erit conversionis ad meliora. Ideoque vehementiori sermone sum usus, ut per profundiorem incisionem a putredine illa temulentorum hominum vos liberarem, et ad puram animi sanitatem reducerem, qua utinam nos omnes per omnia fruamur, et præmia bonis actibus reposita consequamur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Philip. III, 19.

HOMILIA VII.

CAPUT II.

Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judææ [1].

I. Vidisti-ne [2] omnia ad Judæorum confutationem accidisse? quandiu enim non videbant eum, nec invidia corripiebantur, testimonia vere et ut erant proferebant : ubi autem viderunt gloriam ex miraculis partam, invidia demum correpti, veritatem prodiderunt. Sed veritas in omnibus eminebat, et ab inimicis magis magisque promulgabatur. Hic mihi vide quam mira, quam stupenda provideantur: mutuas sibi commodant notitias Barbari et Judæi; ita ut singuli ab aliis quidpiam novi ediscant. Judæi namque a Magis edidicerunt quod stella ipsum in Persarum regione prædicaverit : Magi a Judæis acceperunt eum ipsum, quem stella prædicaverat, jam a multis retro temporibus per Prophetas prænuntiatum fuisse : atque interrogationis occasio clarioris et accuratioris doctrinæ demonstratio utrisque fuit : certe veritatis inimici scripta veritatis testimonia vel inviti legere coguntur, et prophetiam interpretari, etiamsi non totam : cum enim Bethlehem dixissent, et inde exoriturum esse eum, qui regeret Israëlem, non addiderunt id quod sequebatur, ut regi adularentur. Quid autem est illud? « Et egressus ejus ab initio ex diebus sæ» culi [3]. » Et qua de causa, inquies, si inde oriturus erat, post partum in Nazareth mansit, et prophetiam obscuravit?

[1] Matth. II, 4, 5. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 30-35. — — [3] Mich. V, 2.

Imo non obscuravit, sed clariorem effecit. Nam quod mater ejus, quæ illic habitabat, hoc in loco peperierit, id certe ostendit rem per providentiam factam fuisse. Quapropter non statim atque natus est, hinc exiit ; sed ibi mansit per dies quadraginta, locum dans illis qui vellent curiosius inquirere, ut accurate examinarent omnia. Multa quippe erant quæ ad hanc perquisitionem moverent, siquidem attendere vellent. Etenim venientibus Magis, concitata est universa civitas, et cum civitate rex ipse. Propheta in medium adductus est, forum judiciale magnum collectum est, aliaque multa ibidem gesta sunt, quæ omnia narrat accurate Lucas; verbi gratia, quæ ad Annam spectant, quæ ad Simeonem, ad Zachariam, ad Angelos, ad pastores, quæ omnia poterant iis, qui animum adhibere vellent, occasionem dare, ut quod factum erat deprehenderent. Nam si Magis ex Perside venientes locum non ignoraverunt, multo magis ii, qui istic versabantur, hæc poterant ediscere. Sese igitur ostendit ab initio per multa miracula : quia autem videre noluerunt, per aliquantum temporis sese occultans, iterum se alio longe clariore ostendit modo. Non enim Magi deinceps, non stella, sed Pater superne prædicavit in Jordanis fluentis, et Spiritus supervenit, vocem illam in baptizati caput afferens : et Joannes cum libertate omni per totam Judæam clamabat, habitabilem, inhabitatam terram hujusmodi doctrina replens : miraculorum quoque testimonium terra, mare universaque creatura splendidam hac de re vocem emittebat. Ipso etiam partus tempore, tot accidere signa, quæ possent indicare ipsum advenisse. Ne dicerent enim Judæi : « Nescimus ubi vel quo loco natus sit, » illa quæ Magos spectant provisa fuere, itemque alia quæ diximus ; ita ut nullam excusationem afferre possint, quod id quod gestum erat non perquisiverint.

II. Perpende autem prophetiæ accurationem. Non enim dixit : « In Bethlehem manebit, » sed, « Exibit. » Itaque id tantum prophetia exprimebat, quod ibi nasciturus esset. Quidam autem eorum impudenter dicunt hæc de Zorobabele prænuntiata fuisse. Sed quomodo sic possunt intelligere? « Non enim egressus ejus ab initio ex diebus sæculi. » Quomodo autem illud quod initio dicitur: « Ex te exibit, » in illum convenire possit? Non enim in Judæa, sed in Babylone natus est : unde etiam Zorobabel appellatus fuit, quia ibi ortum duxit. Quotquot Syrorum linguam sciunt, id quod dicimus non ignorant. Præter ea vero quæ diximus, tempus totum subsequens hoc testimonium confirmare valet. Quid enim dicit? « Nequaquam minima es » in principibus Juda, » et celebritatis causam adjicit his verbis, « Quia ex te exibit [1]. » Nullus autem alius hunc locum clarum conspicuumque fecit, nisi ipse solus. Post partum quippe illum ex finibus orbis veniunt visitatum præsepe et tugurii locum : id quod jam olim Propheta prænunciavit dicens : « Nequaquam minima es in principibus Juda, » id est, inter tribuum principes. Quibus verbis etiam Jerosolymam complectitur. Sed ne sic quidem animum adhibuerunt, etiamsi utilitas ad ipsos dimanaret. Ideo enim nusquam Prophetæ de dignitate ejus in principio tantum loquuntur, quantum de beneficio quod ipsis præstitit. Etenim cum Virginis partus instaret, ait: « Vocabis nomen » ejus Jesum, » et adjicit, « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum [2]. » Magi vero non dicebant : « Ubi est Filius Dei, » sed, « Qui natus est rex Judæorum. » Hic quoque non dixit: « Ex te exibit Filius Dei; » sed, « Dux qui » regat populum meum Israël [3]. » Oportebat quippe initio humiliore loquendi modo uti, ne hæc ipsis offendiculo essent; et ea dicere quæ ad salutem ipsorum spectabant, ut

[1] Matth. II, 6. — [2] Id. I, 21. — [3] Id. II, 6.

sic facilius attraherentur. Quoquot itaque prima proferuntur, quorum tempus ortum ejus spectat, nihil magnum vel sublime de illo dicunt, nec perinde atque ea quæ ad signa et miracula edita spectant : illa quippe clarius de ipsius dignitate loquuntur. Quod itaque post multa miracula hymnos in illum pueri canerent, audi quomodo dicat Propheta : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem [1] ; » ac rursum : « Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum » tuorum [2], » id quod ipsum universi Creatorem declarat. Illud vero testimonium quod peractam assumptionem respicit, ejus cum Patre æqualitatem ostendit his verbis : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis [3]. » Esaïas vero ait : « Qui consurgit imperare gentibus, in ipso gentes » sperabunt [4]. » Cur autem ait Bethlehem in principibus Juda non esse minimam ? Neque enim in Palæstina tantum, sed etiam in toto orbe illustris vicus effectus est. Sed ad Judæos nunc sermo spectat, ideoque subjunxit, « Reget » populum meum Israël : » atqui orbem etiam regit. At, ut dixi, non vult offendiculo esse, ideoque de gentibus verba non facit. Et quomodo, inquies, non rexit populum judaïcum ? Imo illud quoque factum est; cum enim Israëlem dicit, Judæos qui in ipsum crediderunt subindicat. Et hoc interpretans Paulus ait : « Non enim omnes qui ex Israël, » sunt Israëlitæ; sed quicumque per fidem et repromissio- » nem nati sunt [5]. » Quod si non omnes rexit, id vocatorum crimen et culpa est. Cum debuissent enim adorare cum Magis, et Deo gloriam referre, quod tempus advenisset in quo omnia ipsorum peccata solverentur; nihil enim de tribunali et de repetendis pœnis audierant, sed de miti et mansueto pastore; illi contra turbantur et turbant, et innumeras postea struunt insidias. « Tunc Herodes, clam vo-

[1] Psal. VIII, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Id. CIX, 1. — [4] Isaï. XI, 10, et Rom. XV, 12. — [5] Id. IX, 6-8.

» catis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ » apparuit eis [1]. » Puerum interficere cupiens : quod non furoris tantum, sed etiam extremæ dementiæ fuit. Etenim ea quæ dicta et gesta fuerant, a tali conatu illum deterrere poterant. Neque enim humana erant ea quæ acciderant. Nam quod Magos stella superne vocasset, quodque Barbari tantam susciperent peregrinationem, ut in cunabulis et in præsepe jacentem adorarent, quod Prophetæ jam olim hæc omnia prædicerent, aliaque omnia majora erant, quam quæ hominem spectarent : attamen nihil eorum ipsum cohibuit.

III. Hujusmodi namque est malignitas, in sese ipsa impingit, et res quæ perfici nequeunt semper aggreditur. Perpende stultitiam : Si prophetiæ credebat, illamque immotam firmamque putabat, palam est eum impossibilia conatum esse. Quod si non credebat, nec putabat ea, quæ dicebantur, eventura esse, metuere vel timere non oportuit, nec ea de causa Puero insidiari. Ex utraque igitur parte superfluus erat dolus. Illud quoque extremæ dementiæ erat, quod putaverit Magos ipsum antelaturos esse Puero, pro quo tantam susceperant peregrinationem. Nam si vel antequam illum vidissent, ita ardebant desiderio, postquam viderant, et per prophetiam confirmati fuerant, quomodo sperabat se suadere illis posse ut Puerum sibi proderent? Attamen cum tot tantaque essent quæ ipsum a proposito abducerent, id conatus est; et « Clam vocatis Magis, scisci- » tabatur ab eis : » putabat enim Judæos de Pueri salute sollicitos esse : neque credebat illos in tantum insaniæ devenisse, ut ideo vellent patronum et Servatorem, qui ad libertatem genti procurandam venerat, inimicis prodere. Ideo clam vocat et tempus inquirit, non Pueri, sed stellæ, venatum illum magna cum diligentia captans. Nam videtur

[1] Matth. II, 7.

mihi stella diu ante apparuisse. Quia enim multum temporis in itinere insumpturi erant Magi, ut nato statim adessent; oportebat quippe in cunabulis ipsum adorare, ut mirabilior res appareret; stella multum antea sese ostendit. Nam si eo ipso tempore quo natus est in Palæstina, stella apparuisset illis in oriente, post multum insumptum in itinere tempus, non vidissent eum in cunabulis. Quod autem a bimatu et infra occiderit, ne miremur; furor enim et timor, ad majorem securitatem plus temporis adjecit, ut nullus effugeret. Vocatis igitur illis, ait: « Euntes interro» gate diligenter de puero, et cum inveneritis, renuntiate » mihi, ut et ego veniens adorem eum [1]. » Vidisti-ne insipientiam? Si enim ex veritatis affectu loqueris, cur clam interrogas? sin insidias paras, cur non cogitas Magos, cum te videant clam interrogare, dolum suspicaturos esse? Sed, ut dixi, anima semel malignitate correpta, omnium insipientissima evadit. Non dixit: « Euntes interrogate de rege, » sed « De puero: » non enim imperii nomen proferre sustinuit. Magi vero, qui præ multa pietate nihil horum noverant: neque enim putabant illum in tantum nequitiæ prorupisse, ut tam mirabili œconomiæ insidiari tentaret, nihil hujusmodi suspicantes abeunt, sed ex affectu suo alios æstimant. « Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat » eos [2]. » Ideo enim occultata fuerat, ut amisso duce, Judæos interrogare cogerentur, et sic res omnibus palam fieret. Postquam enim interrogaverant, et Judæos doctores habuerant, rursum illis apparet. Et consideres velim optimum rerum ordinem. Post stellam excipit eos judaïcus populus, rexque ipse, Prophetamque inducunt prænuntiantem id quod apparuerat. Post Prophetam rursum Angelus ipsos excipit, omniaque docet: interim vero Jerosolymis in Bethlehem a stella ducuntur: stella enim ab istinc viæ dux

[1] Matth. II, 8. — [2] Ibid. 9.

fuit; ut hinc quoque discas non fuisse illam ex numero cæterarum stellarum : nulla quippe stella hanc habet naturam. Neque solum ibat, sed etiam antecedebat ducens et quasi manu trahens illos in medio die.

IV. Et quid opus erat stella, inquies, cum jam notus locus esset? Ut Puer videri posset. Nihil quippe erat quod ipsum ostenderet. Nam neque domus erat conspicua, neque mater ejus illustrem quamdam speciem præ se ferebat. Opus itaque erat stella quæ eos in ipso loco sisteret. Quamobrem Jerosolyma egredientibus apparet, nec stat prius quam ad præsepe pervenerit, et miraculum miraculo addiderit : nam utrumque mirabile erat, et quod Magi adorarent, et quod stella ipsos sisteret : quæ sane possint vel lapideos animos attrahere. Si enim dixissent Magi se Prophetas audivisse hæc dicentes, vel hæc sibi privatim ab Angelis dicta fuisse, fides illis non fuisset habita. Jam vero stella superne lucente, vel impudentium ora obstruebantur. Deinde cum Puero immineret stella, stetit : id quod majoris erat potestatis, quam ut stellæ competat, quod scilicet modo occultetur, modo appareat, et cum apparet, cursum sistat. Hinc illi incrementum fidei ceperunt : ideo lætati sunt, quia quod quærebant invenerunt, quia nuntii veritatis effecti sunt, quia non frustra tantum susceperunt iter : sic ardenti Christi desiderio flagrabant. Nam accedens stella, super ipsum Pueri caput stetit, ostendens divinam esse prolem : cumque stetisset, ad adorandum adducit, non simpliciter barbaros, sed qui inter illos sapientissimi erant. Vides hanc stellam jure merito apparuisse? Siquidem et post prophetiam, et post sacerdotum scribarumque interpretationem, adhuc illa utebantur duce. Erubescat Marcion, erubescat Paulus Samosatenus, qui noluerunt ea videre, quæ Magi viderunt, Ecclesiæ progenitores (10) : neque enim pudet me sic illos vocare. Erubescat Marcion, Deum

videns in carne adoratum. Erubescat Paulus, videns illum non simpliciter ut hominem adorari. Nam quod in carne adoratus sit, id et panni ostendunt et præsepe : quod autem non quasi hominem purum adoraverint, declarant dum immaturæ ætati talia proferunt dona, quæ Deo offerri par erat. Erubescant cum illis et Judæi, dum barbaros et Magos vident, qui ipsos præveniunt, nec post illos accedere volunt. Nam quæ tum facta sunt, futurorum erant figura : atque in exordio ipso declaratum est gentes populum illum præventuras esse. Et cur, inquies, non ab initio, sed postea dicebat : « Euntes docete omnes gentes [1]. » Quia, ut jam dixi, quod tunc factum est, futurorum figura, et quasi prædictio erat. Consentaneum quippe erat, ut Judæi cæteros præcederent. Quia vero præstitum sibi beneficium sponte respuerunt, res præpostere versa est. Siquidem neque hic par erat ut Magi ante Judæos venirent; neque ut ii qui tanto spatio distabant, eos qui circa urbem ipsam habitabant antecederent, neque ut ii, qui nihildum audierant eos, qui inter tot prophetias innutriti fuerant, prævenirent. Verum quia in summa bonorum suorum ignorantia versabantur, qui in Perside, eos, qui Jerosolymis sunt, prævertunt; id quod etiam dicit Paulus : « Vobis oportebat annuntiare primum regnum Dei : sed quia vos indignos judicastis, ecce convertimur ad gentes [2]. » Etiamsi enim antea increduli erant, a Magis saltem audientes accurrere oportebat; sed noluerunt : ideoque illis dormientibus, hi præcurrunt.

V. Magos itaque sequamur, et a barbarorum tamen moribus multa intercapedine nos removeamus, ut Christum videamus : quandoquidem et ipsi nisi procul a sua regione recessissent, non illum visuri erant. Recedamus a terrenis negotiis. Etenim Magi, dum in Perside essent, stellam vide-

[1] Matth. xxviii, 19. — [2] Act. xiii, 46.

bant : cum autem a Perside recesserunt, Solem justitiæ conspexere; imo nec stellam ultra visuri erant, nisi prompto animo inde profecti essent. Surgamus igitur et nos; etiamsi omnes perturbentur, ad domum Pueri curramus : etsi reges, etsi populi, etsi tyranni hanc viam intercipere satagant, ne desiderium solvamus. Sic enim omnia ingruentia mala depellemus. Siquidem et hi quoque, nisi Puerum vidissent, periculum, quod a rege metuebant, non effugissent. Antequam Puerum viderent, timores, pericula, perturbationes undique instabant; post adorationem vero, tranquillitas atque securitas; neque ulterius stella, sed Angelus ipsos excipit, ab adoratione sacerdotes effectos : etenim munera obtulerunt. Dimissis itaque judaïco populo, perturbata civitate, sanguinario tyranno, sæculari pompa, in Bethlehem cito perge, ubi domus panis spiritualis. Etsi enim pastor fueris, eoque adveneris, Puerum in diversorio videbis. Etiamsi rex fueris, nec tamen adveneris, nihil tibi purpura proderit; etiamsi Magus fueris, nihil te hoc impediet, si modo honoraturus, adoraturusque accesseris, nec conculcaturus Filium Dei : si cum tremore simul et gaudio hoc egeris; hæc enim ambo possunt concurrere. Sed cave ne Herodi similis sis et dicas : « Ut veniens adorem eum, » veniensque occidere tentes. Illi enim similes sunt, qui indigne mysteriorum participes sunt. Nam qui hujusmodi est, « Reus erit, inquit, corporis et sanguinis Domini [1]. » Nam qui hujusmodi sunt, habent in se tyrannum invidentem regno Christi, mammonam nempe Herode iniquiorem. Hic quippe imperare vult, mittitque cultores suos, qui simulate quidem adorent, sed adorando jugulent. Timeamus itaque, ne speciem supplicum et adoratorum habeamus, opere autem contraria exhibeamus. Omnia e manibus projiciamus adoraturi. Si aurum habeamus, ipsum offeramus, nec de-

[1] 1 Cor. xi, 27.

fodiamus. Si enim barbari illi ad honorem munera tunc obtulerunt, quis tu eris nisi tribuas indigenti? Si illi tantam suscepere viam ut natum viderent, quam excusationem habebis tu, qui ne ad vicum quidem unum properas, ut infirmum, et in vinculis detentum visites? Atqui nos et infirmos, et vinctos, imo et inimicos miseramur; tu vero ne beneficum quidem et Dominum tuum? Illi aurum obtulerunt, tu panem vix dederis : illi stellam viderunt, et gavisi sunt; tu vero Christum videns hospitem et nudum, non flecteris? Quis enim vestrum ex iis, qui mille beneficia acceperunt, tantam pro Christo suscepit peregrinationem, quantam illi barbari, imo illi philosophis sapientiores? Et quid dico tantam viam? multæ apud nos mulieres ita molles sunt, ut ne vicum unum transmeare velint, ut in spirituali præsepio ipsum videant, nisi mulis vehantur. Alii quibus inest ambulandi facultas, vel sæcularium negotiorum turbam, vel theatrorum frequentationem huic cœtui anteponunt. Et barbari quidem illi antequam illum viderent, tantum itineris emensi sunt, tu vero nec postquam vidisti imitaris illos; sed postquam vidisti, illo dimisso, ad mimum videndum accurris; iisdem enim insistam quibus nuper. Christum in præsepio jacentem relinquis, ut mulieres in scena videas. Quibus hæc fulminibus digna non fuerint?

VI. Si quis, quæso, polliceretur te in regiam introducere, imperatoremque sedentemque tibi ostendere, an hujusmodi spectaculo theatrum anteferres, etiamsi nihil hinc lucri referre posses? Hic vero fons ignis spiritualis ex hac mensa scaturit : tu vero hac relicta ad theatrum accurris natantes mulieres spectaturus, ac sexum illum dehonestatum, Christumque relinquis fonti assidentem? Etenim nunc quoque juxta fontem sedet, non Samaritanam alloquens, sed totam civitatem : fortasse vero nunc quoque Samarita-

nam solam alloquitur. Nemo enim ipsi nunc adest, nisi quidam corpore tantum, alii autem ne corpore quidem. Attamen ipse non recedit; sed manet potum a nobis postulans, non aquam, sed sanctitatem: sancta quippe Sanctis tribuit. Neque enim aquam ex hoc fonte præbet, sed sanguinem viventem, qui symbolum est mortis, sed vitæ causa est. Tu autem, relicto fonte sanguinis, poculo illo tremendo, ad fontem pergis diabolicum, ut natantem meretricem conspicias, et naufragium animæ patiaris. Aqua enim illa pelagus est libidinis, non corpora submergens, sed animarum naufragia pariens. Sed illa natat nuda, tu vero videns demergeris in profundum libidinis. Talis quippe est diaboli sagena. Non eos qui in aquam descendunt; sed illos potius qui sursum sedent, quam eos qui in aqua volutantur, submergere solet; sæviusque suffocat eos, quam Pharaonem, qui cum equis et curribus tunc demersus est. Et siquidem animas videre possemus, plurimas vobis ostenderem his aquis supernatantes, sicut tunc Ægyptiorum corpora. Sed quod gravius est, talem perniciem voluptatem appellant, et perditionis pelagus delectationis Euripum vocant. Atqui facilius est Ægæum et Tyrrhenicum mare, quam hujusmodi spectaculum tuto trajicere. Nam primo per totam noctem diabolus rei expectatione animos præoccupat: deinde postquam id quod expectabatur ostendit, statim alligat et captivos efficit. Ne enim, quia cum meretrice non coïvisti, te putes a peccato immunem esse: ex concupiscentia quippe totum perfecisti. Nam si concupiscentia detineris, majorem flammam accendisti; sin autem hæc aspiciendo nihil moveris, majori culpæ obnoxius es, quod cæteris offendiculo sis, et quod spectaculis illectus, et oculos tuos et cum oculis ipsam animam deturpes. Verum ne simus increpatione sola contenti, age jam emendationis modum perquiramus. Quis ergo modus erit? Uxori-

bus vestris vos tradere volo, ut ipsæ vos erudiant. Oportebat quidem secundum Pauli legem vos doctores esse : quia vero per peccatum inversus ordo fuit, et corpus superius, caput vero inferius positum est, hanc saltem viam deligamus. Quod si magisterium mulieribus erubescis ; fuge peccatum, et cito poteris in solium a Deo tibi datum ascendere. Quandiu certe peccaveris non ad mulieres tantum, sed etiam ad brutorum animalium vilissima te mittit Scriptura : neque erubescit ratione præditum ad formicam discipulum mittere. Neque enim id Scripturæ culpa est, sed eorum, qui sic nobilitatem prodidere suam. Hoc certe nos quoque faciemus : ac nunc quidem te mulieri trademus : si autem hanc despexeris, ad irrationabilium te magisterium mittemus, et ostendemus quot aves, quot pisces, quot quadrupedes, quot reptilia animalia te honestiora et temperantiora videantur. Quod si de comparatione erubescas, ascende ad pristinam nobilitatem, ac gehennæ pelagus fluviumque igneum in mentem revocans, fuge piscinam illam theatralem. Hæc enim piscina pelagus illud tibi conciliat, et illam flammæ abyssum succendit.

VII. Nam si, « Qui respicit mulierem ad concupiscen-» dum, jam mœchatus est [1] : « qui nudam omnino respicere non dubitat, quomodo non sexcenties captivus efficietur? Non ita diluvium tempore Noë hominum genus perdidit, ut illæ natantes cum multa turpitudine spectatores omnes suffocant. Illa quippe pluvia etiamsi mortem corporum inferret, nequitiam tamen animæ auferebat : hæc contra, manente corpore, animam interimit. Vos certe cum de primo consessu agitur, vos totum orbem præcedere contenditis, quoniam civitas vestra prima Christianorum nomen adhibuit ; cum autem de castitate agitur, ne ab agrestioribus quidem civitatibus superari erubescitis. Certe, inquies : quid

[1] Matth. v, 28.

igitur nos jubes facere? an montes ascendere, et monachos esse? Idcirco ingemo, quod illis tantum modestiam et castitatem competere putetis, licet Christus communes leges posuerit. Nam cum dicit: « Si quis respexerit mulierem ad » concupiscendum eam [1], » id non monacho dicit, sed conjugato: nam mons ille tunc hujusmodi viris repletus erat. Cogita itaque theatrum illud, et hoc diabolicum theatrum aversare, ac noli quasi onerosum culpare sermonem. Neque enim prohibeo nuptias, nec voluptatem prorsus interdico; sed cum castitate id fieri peropto, non cum probro, culpa et sexcentis reatibus. Non præcipio montes et solitudines adire, sed benignum esse, modestum et castum eum qui media in urbe habitat. Omnes quippe leges communes sunt nobis cum monachis, uno excepto conjugio; imo etiam hac in re conjugatos illis similes esse jubet Paulus: « Præterit » enim figura hujus mundi, ut et qui habent uxores tanquam » non habentes sint [2]. » Itaque ait: « Non jubeo vos montium cacumina occupare: id vellem quidem, quia urbes Sodomitarum crimina imitantur; attamen ad id non cogo. Permane in domo tua cum liberis et uxore; sed ne contumelia uxorem afficias, neque filios traducas, neque theatri luem domum inducas. » Non audis Paulum dicentem, « Vir sui » corporis potestatem non habet, sed mulier [3], » ac communes utrique leges inducentem? Tu vero, si Ecclesiam uxor frequentet, gravis accusator es; tu si in theatris dies exigas, non te culpandum putas? Sed de uxoris castitate sollicitus, hac in re superfluam immoderatamque curam adhibes; ita ut ne quidem necessarios exitus ei permittas, tibi vero omnia licere putas. At tibi hoc non permittit Paulus, qui eamdem dat uxori potestatem his verbis: « Uxori vir » debitam benevolentiam reddat [4]. » Ecquis ille honor dum illam in re præcipua dehonestas, dum corpus ejus meretri-

[1] Matth. v, 28. — [2] 1 Cor. vii, 29. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 3.

cibus tradis? nam corpus tuum ipsius est; dum turbas et lites domum inducis, dum talia agis in foro, quæ cum domi narras, ad erubescendum cogis uxorem audientem, et pudore suffundis filiam præsentem, atque ante illas teipsum. Necesse enim est aut tacere, aut hoc modo dehonestari; pro quibus rebus vel domesticos verberibus excipi par est. Quam igitur, quæso, excusationem habebis, dum ea tanto studio conspicis, quæ ne narrare quidem fas est? Quæ ne memorare quidem licet, ea omnibus anteponis? Interim igitur, ne sim onerosior, hic finem loquendi faciam. Si autem in iisdem persistatis, acutiore ferro profundius vulnus infligam: neque cessabo donec, dissipato illo diabolico theatro, purum Ecclesiæ cœtum effecero. Ita enim a præsenti turpitudine liberabimur, et futuram consequemur vitam, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

CAPUT II.

Et intrantes domum viderunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum: et apertis thesauris, obtulerunt ei munera aurum, thus et myrrham [1].

I. Quomodo [2] ergo ait Lucas, quod in præsepio positus esset? Quia statim atque peperierat eum ibi reclinavit. Confluentibus enim ad censum Judæis, nulla poterat reperiri domus: quod etiam Lucas significat cum ait: « Quia non » erat locus reclinavit illum [3]. » Postea vero sustulit et su-

[1] Matth. II, 11. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 36-39. — [3] Luc. II, 7,

pra genua collocavit. Nam statim atque in Bethlehem pervenit, filium peperit. ut hinc totam ediscas œconomiam, et non casu et sine consilio gesta; sed per providentiam quamdam divinam ac secundum prophetiæ seriem impleta hæc omnia fuisse. Verum quid illos ad Puerum adorandum induxit? Neque enim Virgo insigne quidpiam præ se ferebat, neque domus magnifica erat, neque istic aliquid aliud erat, quod posset illos vel percellere, vel allicere. Illi vero non modo adorant, sed apertis thesauris suis, munera offerunt: munera inquam, non quasi homini, sed quasi Deo. Thus enim et myrrha Dei maxime symbolum erat. Quid igitur hoc illis suasit? Idipsum quod excitavit illos, ut, relicta domo, tantum iter susciperent: nimirum stella et illustratio mentis a Deo ipsis indita, quæ paulatim illos ad perfectiorem notitiam deduxit. Nisi enim res ita se haberet, cum omnia quæ istic videbantur vilia essent, non ei tantum exhibuissent honorem. Ideo autem nihil eorum, quæ sub sensum cadunt, ibi magnum erat, sed præsepe, tugurium, mater inops, ut nudam Magorum philosophiam perspicias, atque discas eos non ut hominem purum, sed ut Deum et beneficum ipsum adiisse. Quapropter nullo eorum, quæ extrinsecus videbantur, offensi sunt, sed adorarunt et dona obtulerunt, quæ dona multum a judaïca crassitie differebant. Neque enim oves et vitulos immolarunt, sed quæ ecclesiasticæ philosophiæ vicina erant. Siquidem scientiam, obedientiam et dilectionem ipsi offerebant. « Et »responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per »aliam viam reversi sunt in regionem suam[1]. » Hic mihi vide fidem ipsorum, quomodo non offendantur, sed sint quieti, et obtemperantes, neque turbentur, neque talia mutuo loquantur: « Sane si magnus hic puer est, et si quam habet potentiam, quid opus fuga et occulto discessu? Cur

[1] Matth. II, 12.

vero nos, qui palam et cum fiducia accessimus ad populum tantum, et coram furente rege stetimus, quasi fugitivos ex civitate dimittit Angelus? » At nihil tale vel dixerunt vel cogitarunt. Illud enim maxime ad fidem pertinet, ut nulla mandatorum ratio exquiratur, sed jussis tantum obediatur. « Qui cum abiissent, ecce Angelus Domini apparuit in som» nis Joseph, dicens: Surge et accipe puerum et matrem » ejus, et fuge in Ægyptum[1]. » Hic subit in mentem quædam dubitatio circa Magos et circa Puerum. Etsi enim illi turbati non sint, sed fideliter omnia susceperint, nobis tamen quærendum incumbit, cur non et illi et Puer præsentes servantur; sed illi in Persidem, hic in Ægyptum cum matre fugatur? Sed quid? An oportebat illum incidere in manus Herodis, et captum non interfici? At non putatum fuisset ipsum accepisse carnem, neque œconomiæ magnitudo credita fuisset. Nam si his ita gestis, postquam multa humano modo dispensata sunt, quidam dicere ausi sunt carnis assumptionem esse fabulam, quo impietatis non prorupissent, si omnia divino modo et secundum suam potentiam fecisset? Magos autem celeriter emittit, simul doctores mittens in Persarum regionem, et tyranni furorem prævertens, ut edisceret se res, quæ fieri non possent, aggredi, iramque ejus sedaret, et a vano labore retraheret. Ad ejus enim potentiam pertinet non modo inimicos palam profligare, sed etiam ipsos facile decipere. Si enim Ægyptios in Judæorum gratiam decepit, et cum posset illorum divitias in manus Hebræorum palam transferre, clam id et cum astutia fieri jubet: id quod illum non minus formidabilem hostibus reddebat, quam alia signa.

II. Ascalonitæ namque cæteriquc omnes, postquàm arcam ceperant, percussi deinde hortabantur suos ne pugnarent, neque adversum starent, ac cum cæteris miraculis

[1] Matth. II, 13.

hoc etiam in medium proferebant dicentes: « Quare ag-» gravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus et Pha-» rao? Nonne postquam illusit eis, tunc dimisit populum » suum, et abierunt [1]? » Hæc dicebant putantes hoc postremum signum non minus esse cæteris palam gestis, ad ejus demonstrandam potentiam atque magnitudinem. Id quod etiam hic factum est, poteratque tyrannum perterrefacere. Animadverte namque quanta passum, et quanto præfocatum mœrore Herodem fuisse verisimile sit, sic a Magis deceptum et illusum. Quid enim si non melior sit effectus? Id certe non ad eum, qui hæc dispensavit, referendum est, sed ad ingentem furorem illius qui non cessit iis, quæ ipsum consolari et a nequitia abducere debebant; sed ulterius processit, ut tantæ insaniæ graviores lueret pœnas. Et cur, inquies, in Ægyptum Puer mittitur? causam imprimis protulit Evangelista dicens: « Ut impleretur illud: Ex » Ægypto vocavi Filium meum [2]: » simulque bonæ spei proœmia toti orbi prænuntiabantur. Quia enim Babylon et Ægyptus plusquam reliquus orbis impietatis ardebant flamma; ab exordio declarans se ambas illas regiones emendaturum, et ad meliora deducturum, simulque per hæc indicans etiam toti terrarum orbi bona expectanda esse; et Magos misit, et ipse cum matre sua profectus est. Ad hæc vero aliud etiam inde docemur, quod non parum nos ad philosophiam incitet. Quodnam illud? quod ab ipso initio tentationes et pericula sint expectanda. Vide namque id ipsi ab incunabulis accidisse. Nam illo nato furit tyrannus; hinc fuga et transmigratio in exilii locum, et insons mater in barbarorum regionem se proripit: ut tu hæc audiens aliquo spirituali ministerio dignatus, si videris te dira patientem, et inter sexcenta versantem pericula, ne turberis, neve dicas: « Quidnam hoc est? oportebat utique me coronari, lau-

[1] 1 Reg. VI, 6. — [2] Matth. II, 15, et Osee XI, 1

dari, clarum et illustrem esse, qui mandatum Domini impleam? » Sed hoc exemplo fultus fortiter feras, gnarus hanc cum primis esse spiritualium virorum sortem, ut ubique tentationibus impetantur. Animadverte igitur id non solum Pueri matri accidere; sed etiam barbaris illis. Nam et illi clam discedunt quasi fugitivi, et hæc, quæ nunquam e domo egressa fuerat, tam longum et ærumnosum iter suscipere jubetur, ob mirabilem hunc editum Puerum et spiritualem partum. Rem iterum stupendum considera: Palæstina insidiatur, Ægyptus vero excipit et servat insidiis impetitum. Neque enim tantum in filiis Patriarchæ, sed etiam in Domino typi et figuræ contigerunt. Per ea enim, quæ ab ipso gesta sunt, multa prænuntiabantur eorum, quæ postea eventura erant: quod et in asina et in pullo factum est. Angelus igitur qui apparuit, non Mariam, sed Josephum alloquitur: et quid dicit? « Surgens accipe Puerum et ma» trem ejus. » Hic non ultra dicit: « Conjugem tuam; » sed « Matrem ejus. » Quia enim partus contigit, suspicio soluta est, et viro fides facta est, libere jam loquitur Angelus, neque filium neque conjugem ejus dicens; sed, « Puerum et » matrem ejus, et fuge in Ægyptum, » fugæque causam addit: « Futurum est enim, inquit, ut Herodes quærat ani» mam Pueri [1]. »

III. His auditis, Joseph non offensus est neque dixit: « Ænigma est hoc: tu nuper dicebas: « Salvum faciet po» pulum suum; » nunc autem nec seipsum potest servare; sed fuga nobis est opus et peregrinatione ac longinqua transmigratione? Contraria sunt hæc promissioni tuæ. » Sed nihil hujusmodi dixit; fidelis enim vir erat, neque reversionis tempus inquirit, etiamsi Angelus indefinite locutus esset; nam ait: « Esto ibi, usquedum dicam tibi. » Verum ille non ideo segnior factus est, sed paret et obtemperat,

[1] Matth. II, 13.

tentationesque omnes cum gaudio tolerat. Enimvero benignus Deus his laboribus dulcia miscuit : id quod etiam in sanctis omnibus observat : neque pericula, neque quietem continuam præstat ; sed et his et illis permixtim positis vitam Justorum ordinat : id quod etiam hic fecit : idque perpendas velim. Videt ille Virginem uterum gestantem : ea de re turbatur, et admodum anxius est : adulteram enim puellam esse suspicabatur ; sed statim astitit Angelus, qui suspicionem solveret ac metum eliminaret. Cum vidit natum puerum gaudio magno perfusus est : rursumque gaudium hujusmodi periculum non parvum excipit, civitate perturbata ac rege furente, puerumque perquirente. At perturbationem illam aliud gaudium excipit ; stella nempe, et Magorum adoratio. Rursus vero post hanc lætitiam, timor ac periculum : « Quærit enim, inquit, Herodes animam » Pueri : » iterum Angelus significat ipsi fugiendum et transmigrandum esse humano more, nondum enim miracula edere oportebat. Nam si a prima ætate miracula edidisset, homo non creditus fuisset. Idcirco non simpliciter templum formatur ; sed uteri tumor conspicitur, et novem mensium spatium, et partus, et lactis nutrimentum, quies per multum temporis, ætas virilis expectatur, ut per omnia credibile redderetur œconomiæ mysterium. Qua ergo de causa, inquies, hæc ab initio facta sunt signa? Propter matrem, propter Josephum, propter Simeonem jamjam moriturum, propter pastores, propter Magos, propter Judæos. Si enim iis, quæ gerebantur, accurate voluissent attendere, non parvum hinc ad futurum tempus fructum retulissent. Quod si Prophetæ de Magis nihil prædicant, ne ideo tuberis ; neque enim omnia prædixerunt, neque etiam omnia tacuerunt. Sicut enim nulla re ante audita, res hujusmodi gestas videre, magnum stuporem, magnamque perturbationem peperisset ; sic si omnia didicissent auditores

dormituri erant, nec quidquam Evangelistis fuisset relictum. Quod si de prophetia ambigant Judæi dicentes illud: « Ex Ægypto vocavi Filium meum, » de seipsis dictum esse; respondebimus illis hunc etiam esse prophetiæ morem, ut multa sæpe de aliis dicantur, et in aliis impleantur, quale illud de Simeon et Levi dictum: « Dividam eos in Jacob, et dispergam eos in Israël[1]: » id enim non in ipsis, sed in posteris eorum impletum est: et illud quod de Chanaan a Noë pronuntiatum est, Gabaonitis ex stirpe Chanaani contingit. Quod ipsum Jacobo etiam accidisse deprehenditur: benedictiones enim illæ: « Esto dominus fratris tui, et adorent te filii patris tui[2], » non in ipso finem accepit; quomodo enim ad ipsum pertineat, qui fratrem timebat tremebatque, ac sexcenties ipsum adoravit? Sed de prole ejus dictum est. Quod etiam hoc loco dici possit. Quis enim verius Dei Filius dicatur, an is qui vitulum adoravit, et Beelphegori initiatus est, quique filios suos dæmoniis immolavit; an is qui natura Filius erat, et Genitorem honoravit? Itaque nisi hic advenisset, prophetia dignum non habitura finem erat.

IV. Vide ergo quomodo hoc ipsum Evangelista subindicet dicens: « Ut implerctur. » Ostendens nisi, venisset, non implendum illud fuisse. Hoc vero Virginem ipsam non mediocriter claram efficit et illustrem: nam quod totus populus encomii loco habebat, hoc ipsum habere potuit et ipsa. Quod enim altum sapiebant et sese jactabant ob reditum ex Ægypto, id quod subindicans Propheta dicebat: « Nonne alienigenas adduxi de Cappadocia, » et Assyrios ex fovea[3]? » Illud ipsum prærogativam Virginis facit. Imo vero et populus et Patriarcha descendentes et ascendentes inde, istius ascensus seu reditus typum implebant: nam illi descenderunt, ut mortem ex fame im-

[1] Gen. XLIX, 7. — [2] Id. XXVII, 29. — [3] Amos IX, 7.

minentem effugerent; hic vero ut vitaret mortem insidiis paratam. At illi eo venientes ex fame tunc liberati sunt; ille vero ut eo descendit, regionem totam per adventum suum sanctificavit. Consideres itaque velim quomodo inter humilia, quæ ad Divinitatem pertinent, revelentur. Etenim cum dixit Angelus : « Fuge in Ægyptum, » non promisit se itineris comitem futurum vel descendentibus vel redeuntibus, subindicans illos magnum habere comitem, recens natum Puerum, qui statim atque apparuit, omnia mutavit, atque id effecit, ut inimici ad hanc œconomiam admodum inservirent. Etenim Magi et barbari, paterna superstitione relicta, adoraturi veniunt. Augustus bethlehemitico partui ministrat, dum censum fieri jubet; Ægyptus, dum fugientem et insidiis appetitum excipit, servat ipsum, hincque quamdam familiaritatis cum ipso occasionem accipit, ut cum illum postea audiret ab Apostolis prædicari, de his gloriaretur, quod ipsum prima excepisset. Atqui solius Palæstinæ erat hæc prærogativa : verum Ægyptus fervention illa fuit. Nunc certe si pergas in desertum Ægypti, quovis paradiso præstantiorem solitudinem invenies, sexcentos Angelorum choros humana forma, Martyrum populos, cœtus Virginum, solutam diaboli tyrannidem totam, Christi autem regnum coruscans. Illam vero quæ poëtarum, philosophorum et Magorum mater erat, quæ omne præstigiarum genus invenerat aliisque tradiderat, illam, inquam, videbis de piscatoribus gloriantem, et illa quidem vetera omnia despicientem, publicanum vero et tentoriorum artificem ubique circumferentem, ac crucem præmonstrantem. Hæc porro non in urbibus tantum, sed etiam in deserto magis quam in urbibus. Per totam enim regionem istam videre est Christi exercitum regiumque gregem, supernarumque Virtutum vitam; idque non apud viros tantum, sed et in muliebri sexu repe-

rias. Etenim illæ non minus quam viri philosophantur, non scutum accipientes, neque equum conscendentes, ut jubent clari illi Græcorum legislatores et philosophi; sed aliud longe gravius bellum suscipiunt. Commune enim et ipsis et viris bellum est contra diabolum et potestates tenebrarum : ad hujusmodi vero conflictus nunquam illis sexus debilitas impedimento est; non enim corporis natura, sed animi proposito hujusmodi prælia decernuntur. Ideoque sæpe mulieres fortius quam viri pugnaverunt, et insigniora tropæa erexerunt. Non ita cœlum splendidum est vario illo stellarum choro, ut Ægypti solitudo quæ undique nobis exhibet tabernacula monachorum.

V. Si quis veterem illam Ægyptum novit, Dei inimicam et furentem, felium cultricem, quæ cepas formidabat et tremebat; hic optime Christi virtutem sciet. Imo vero non opus est nobis vetustis narrationibus : nam hodieque insanæ illius gentis monumenta supersunt, quæ priscam ipsius amentiam testificantur. Attamen hi qui olim omnes in tantam proruperant amentiam, de cælo, deque cœlestibus rebus philosophantur, paternosque mores deridunt, avos suos miseros prædicant, et philosophos illos nihili pendunt. Ex ipsis enim rebus edidicerunt priscas illas aniles fabulas ebriorum esse inventa, veram autem sapientiam cœlis esse dignam. Hæc est quæ a piscatoribus annuntiata ipsis fuit. Ideoque cum accurata dogmatum veritate multam exhibent bene vivendi diligentiam. Siquidem exuti rebus cunctis præsentibus, mundoque crucifixi, ultra etiam procedunt, labore corporis utentes ad victum egenis comparandum. Neque enim quia jejunant et vigilant, se idcirco dedunt otio; sed noctes hymnis ac pervigiliis, dies precibus et operi manuum deputant, Apostoli studium imitantes. Si enim, inquiunt, ille toto orbe ad ipsum respiciente, ut inopes aleret, officinam habuit, et artem trac-

tavit, insomnes interim noctes ducens; multo magis nos, qui in deserto habitamus, nihilque commune habemus cum urbium tumultibus, vacationis otio ad spiritualia opera uti par est. Erubescamus itaque omnes et divites et pauperes; quando illi nihil prorsus habentes, nisi corpus tantum et manus, conantur et contendunt ut hinc victum parent egentibus. Nos vero dum innumera domi recondita sunt, ne superflua quidem his adhibemus. Quam igitur, quæso, excusationem proferemus? quam consequemur veniam? Atqui cogites velim quantum isti olim pecuniæ amatores erant, quantum gulæ dediti cum cæteris vitiis. Ibi enim erant ollæ carnium, quas memorant Judæi [a]. Ibi magna ventris tyrannis. Attamen quia voluerunt, mutati sunt, et igne Christi suscepto, in cœlum repente advolarunt: quique prius ardentiores aliis erant, atque ad iram et ad corporis voluptatem propensiores, incorporeas Potestates mansuetudine et reliqua philosophiæ suæ tolerantia imitantur. Quisquis in hæc regione fuit, quæ dico novit. Si quis vero tabernacula illa nunquam adiit, cogitet illum qui hactenus in omnium fertur ore, quem post Apostolos Ægyptus tulit beatum et magnum Antonium, et secum reputet illum in eadem regione fuisse, in qua Pharao. Attamen nihil hinc detrimenti accepit, sed etiam divina visione dignatus est, et talem vitam exhibuit, qualem Christi leges postulant. Et hoc sciet quisquis accurate librum legerit, in quo est historia vitæ ejus (11), ubi multam deprehendet prophetiam. Nam illa, quæ arianico morbo captos spectabant, necnon detrimentum inde emersurum prænuntiavit, Deo utique revelante, et omnia, quæ futura erant, præ oculis ipsi ponente. Id quod cum aliis etiam adjunctis maximum est veritatis argumentum, quod videlicet nulla hæresis talem habeat virum. Sed ne ultra hæc

[a] Exod. XVI.

a nobis audire pergatis, si librum in quo hæc scripta sunt legatis, accurate omnia ediscere poteritis, et multam inde haurire philosophiam. Hoc autem rogo non ut librum adeamus tantum, sed et ea, quæ ibi scripta sunt, imitemur; neque locum, vel educationem, vel majorum nostrorum nequitiam obtendamus. Si enim velimus attendere, nihil horum nobis impedimento erit. Nam Abraham impium patrem habuit, sed ejus nequitiam non excepit. Ezechias filius Achazi fuit, et tamen Dei amicus effectus est : Joseph vero in media Ægypto castitatis corona redimitus est : ac tres pueri in media Babylone, inque mediis ædibus, cum sybaritica mensa apparata esset, summam exhibuere philosophiam; ut et Moyses in Ægypto et Paulus in orbe : nihilque his omnibus ad virtutis cursum fuit impedimento. Hæc itaque omnia cogitantes, occasiones et obtentus hujusmodi de medio tollamus, sudoresque pro virtute sectanda adeamus. Sic enim Deum ad majorem erga nos benevolentiam attrahemus, impetrabimusque ut in certaminibus nobis opituletur, atque æternis fruemur coronis, quas utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

CAPUT II.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde : et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis [1].

I. Certe [2] non oportebat illum irasci, sed potius timere et comprimi, atque intelligere se rem tentare, quam non posset perficere. At ille non coërcetur. Quando enim improbus animus et insanabilis est, nulli cedit a Deo concessæ medicinæ. Vide igitur illum prioribus insistentem, et cædem cædi jungentem, atque per præcipitia undique ruentem. Nam quasi a quodam iræ invidiæque dæmone percitus, nulla ratione frenatur; sed contra ipsam furit naturam, iramque, quam contra Magos sibi illudentes conceperat, contra insontes pueros exonerat, simile facinus in Palæstina, aggressus, ei quod olim in Ægypto perpetratum fuerat. Nam ait: « Mittens occidit omnes pueros in Bethlehem, et » in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tem» pus quod exquisierat a Magis. » Hic mihi diligenter attendite : etenim multi plurima circa pueros istos nugantur, injustitiam facti criminantes; alii quidem modestius hac de re dubia proponunt; alii vero audacius et furiosius. Ut igitur hos ab amentia, alios a dubitatione liberemus, patienter nos audite de tali argumento breviter disputantes. Nam si ea de re criminantur, quod puerorum cædes neglecta fuerit, criminentur etiam ob militum Petrum

[1] Matth. II, 16. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 39-41.

custodientium necem (12). Quemadmodum enim hic, Puero fugiente, alii pueri pro eo, qui quærebatur, interficiuntur; ita tunc cum Petrus ex carcere et ex catenis ab Angelo liberatus esset, quidam tyranno nomine et moribus similis, cum eum quæsisset, nec invenisset, milites qui eum custodiebant pro illo interfecit. Et quid hoc? inquies; hæc non est solutio, sed additamentum ad quæstionem. Hoc bene novi ego: ideo hæc omnia in medium profero, ut omnibus unam addam solutionem. Quænam igitur est illa solutio? et quam probabilem solutionem afferre possumus? Christum scilicet non fuisse ipsis necis causam, sed regis crudelitatem; quemadmodum neque illis Petrum, sed Herodis amentiam. Nam si effossum murum vidisset, vel portas eversas, jure forte potuisset milites, qui Apostolum custodiebant, negligentiæ accusare. Verum ibi omnia in suo statu manebant, januæ clausæ erant, catenæ custodientium manibus alligatæ: erant enim illi simul cum Petro vincti; poteratque ex his secum reputare, siquidem recte judicasset, quod gestum fuerat, non humana virtute, neque fraude aliqua, sed divina quadam ac mirabili potentia factum fuisse, atque illum adorare, qui hæc fecisset, nec pœnas de custodibus expetere. Deus quippe ita omnia fecit, ut non modo custodes non proderet, sed etiam ut per illos regem ad veritatem adduceret. Si autem ille improbus ingratusque fuit, quid ad sapientem animarum Medicum, qui omnia agebat ad beneficium præstandum ei qui morbo inobsequentiæ laborabat? Idipsum hic quoque dicendum est. Cur, o Herodes, a Magis illusus iratus es? Non noveras divinum esse partum? Annon tu principes sacerdotum advocaveras? Annon Scribas congregaveras? Annon vocati illi Prophetam, qui hæc olim prænuntiaverat, ad tribunal tuum adduxerunt? Annon vidisti vetera novis consonare? Annon audisti stellam his minis-

travisse? Annon reveritus es barbarorum diligentiam? Annon miratus es eorum fiduciam ac loquendi libertatem? Annon horruisti ad veram Prophetæ vocem? Annon ex prioribus postrema sequi cogitasti? Cur non ex his omnibus tecum reputasti, non ex Magorum fraude hæc evenisse, sed divina virtute omnia, ut par erat, providente? Etiamsi vero illusus fuisti a Magis, quid illud ad pueros, qui nihil te læserant?

II. Recte, inquies; sed Herodem quidem omni defensione vacuum et sanguinarium probe ostendisti : neque tamen adhuc solvisti objectionem circa facti injustitiam. Nam si ille injuste egit, cur Deus id permisit? Quid ergo ad hæc dixerim? Idipsum quod et semper in Ecclesia, et in foro et ubique dicere non desino, quod velim vos diligenter observare : nam regula est ad omnem hujuscemodi quæstionem adhibenda. Quæ regula, quæve ratio est? Qui lædant multos, qui lædatur nullum esse. Et ne hoc ænigma vos conturbet, cito solutionem adhibebo. Nam eas, quas a quovis homine injuste patimur, injurias Deus nobis computat aut in peccatorum remissionem, aut in mercedis retributionem. Atque ut id quod dictum est clarius evadat, ad exemplum veniamus. Ponamus enim esse servum aliquem multas pecunias domino suo debentem : qui servus ab iniquis hominibus impetatur; ita ut bonorum parte aliqua mulctetur; si ergo dominus qui raptorem cohibere potuit, raptas quidem pecunias non restituat, sed raptas tamen inter eas, quæ sibi debebantur computet, an læsus fuit servus? nequaquam. Quid vero si plura ipsi dominus dederit? Annon plus lucratus est, quam perdiderit? Id omnibus palam est. Idipsum et nos putemus cum aliquid patimur. Quod enim per ærumnas illas, aut peccata diluamus, aut si non admodum peccatis obnoxii simus, splendidiores accipiamus coronas, audi Paulum di-

centem de fornicario : « Tradite hujusmodi Satanæ in inte-
» ritum carnis, ut spiritus salvus sit [1]. » Et quid hoc ? nam de iis, qui læduntur ab aliis, sermo est, non de iis, qui a doctoribus corriguntur? Certe nullum est inter illa medium : nam de dicto hujusmodi quærebatur : « In ærumnis » nullum patientis damnum est. » Sed ut sermonem transferam ad id quod magis accedit ad quæstionem, recordare Davidis, qui Semeï videns instantem et calamitati suæ insultantem, sexcentisque probris aspergentem, cum vellent eum duces exercitus interficere, cohibuit his verbis : « Dimittite illum maledicere, ut videat Dominus humili-
» tatem meam, et retribuat mihi bona pro hoc maledicto
» in hac die [2]. » Et in Psalmis canens dicebat : « Respice
» inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo
» oderunt me : et dimitte omnia peccata mea [3]. » Et Lazarus quietem consecutus est, quia innumera mala per hanc vitam perpessus est [4]. Non ergo læduntur qui lædi videntur, si mala omnia fortiter ferant; imo majus lucrum reportant, sive a Deo percutiantur, sive a diabolo verberentur. Ecquod peccatum habuere pueri, inquies, quod eluerent? De iis enim, qui ætatem assecuti, peccata plurima perpetrarunt, jure quis hæc dixerit; qui vero tam immatura morte prærepti sunt, quæ peccata iis affecti malis deleverunt? Non audisti me dicentem, etiamsi nulla sint peccata, mercedis retributionem ibi manere eos, qui hic malis sunt affecti? Quid ergo detrimenti accepere pueri pro tali causa occisi, qui statim ad tranquillum portum appulerunt? At multa, inquies, forte bona edituri erant, si vixissent. Sed ideo non parva ipsis merces reposita est, quod pro tali causa obierint. Alioquin vero non permisisset pueros præmatura morte abripi, si magni futuri erant.

[1] 1 Cor. v, 5. — [2] 2 Reg. xvi, 11. — [3] Psal. xxiv, 18, 19. — [4] Luc. xvi.

Nam si eos, qui in nequitia victuri sunt, cum tanta fert patientia, multo magis hos non sineret ita auferri, si magna quædam edituros prævideret?

III. Et hi quidem nostri sunt sermones; nec tamen hi soli possunt afferri; sed sunt etiam alii his longe abstrusiores, quos bene novit is qui hæc dispensavit. Ipsi itaque accuratiore harumce rerum comprehensione concessa, iis quæ sequuntur hæreamus, et ex aliorum calamitatibus ad omnia fortiter ferenda instituamur. Non parva enim tragœdia tunc Bethlehem occupavit, pueris ex ipsis matrum uberibus abreptis, et ad hanc iniquam cædem abductis. Quod si adhuc pusilli es animi, nec tantam potes philosophiam attingere, disce finem illius qui hæc ausus est, spiritumque resume. Celerrima quippe illum facinoris vindicta corripuit, tantique sceleris dignas dedit pœnas, dira morte et ea quam intulit miserabiliore vitam claudens, innumeraque alia passus mala. Quæ discere poteritis si Josephi historiam evolvatis, quam, ne longiore utamur sermone, neu seriem nostram intercipiamus, præsentibus non inserendam esse putavimus. « Tunc impletum est quod » dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Vox in » Rama audita est, ploratus, et fletus et ululatus multus, » Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non » sunt [1]. » Quoniam enim auditorem replevit horrore, hac violenta, crudelissima et iniqua cæde narrata, ipsum consolatur, docens hæc non ideo accidisse, quod Deus nec posset impedire, nec prævidisset; sed cum hæc et futura novisse et prænuntiasse per Prophetam. Ne itaque turberis et concidas in providentiam ejus ineffabilem respiciens, quam tum ex iis, quæ operatur, tum ex iis quæ permittit, videre est : id quod etiam alibi Discipulos alloquens subindicavit. Quia enim tribunalia, abductiones ad mor-

[1] Matth. II, 17, 18.

tem, orbis bella internecinaque prælia ipsis prænuntiaverat, eorum animos erigens, et ut consoletur illos ait : « Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non » cadet super terram sine Patre vestro, qui in cœlis est [1]. » Hoc autem dicebat, ostendens illo ignorante nihil fieri; sed scire illum omnia, nec tamen cuncta facere. Ne igitur, inquit, turbemini, nec commoveamini. Nam qui scit ea quæ sustinetis, et ea potest impedire, sine dubio non impedit, quia vestrum curam et providentiam gerit : quod etiam in tentationibus cogitare oportet, hincque non parvam consolationem accipiemus. Et quid commune habet Rachel cum Bethlehem? dixerit fortasse quispiam; « Rachel, » inquit, plorans filios suos. » Quid item Rama cum Rachele? Rachel mater erat Benjamini; ipsamque mortuam sepelierunt in hippodromo prope hunc locum. Quia igitur sepulcrum prope erat, et hæc sors erat Benjamini filii ejus : nam Rama ad tribum Benjamin pertinebat; et a principe tribus, et a sepulcri loco, mactatos pueros jure Rachelis filios vocat. Deinde ostendens insanabile esse tam crudele vulnus, ait : « Noluit consolari, quia non sunt. » His rursum hoc ipsum docemur, quod prius dicebam, non oportere turbari, cum ea, quæ accidunt, Dei promissioni contraria videntur. Ecce enim cum advenit ipse ad salutem populi, imo ad salutem orbis, quæ exordia fuere? Mater fugit; patria ejus intolerabilibus calamitatibus affligitur; cædes perpetratur omnium acerbissima; ploratus et ululatus multus atque ejulatus ubique. Verum ne turberis : solet enim per contraria œconomiam suam implere, maximam inde virtutis suæ nobis præbens demonstrationem. Sic Discipulos suos induxit atque instituit, ut ita omnia peragerent, contraria contrariis dispensans, quo majus miraculum eluceret. Flagellati itaque illi, et pulsi, et in-

[1] Matth. x, 29.

numeras patientes ærumnas, sic flagellantibus atque pellentibus superiores evaserunt. « Defuncto autem Herode, » ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : » Surgens accipe puerum et matrem ejus, et vade in ter- » ram Israël [1]. » Non jam dicit : « Fuge, » sed, « Vade. »

IV. Vides-ne rursum quietem post tentationem; deinde post quietem, rursus periculum? nam post exilium dimissus, et in suam regionem reversus est, viditque puerorum interfectorem extinctum. Ubi vero in patriam pervenit, reliquias iterum pristinorum periculorum reperit, filium tyranni viventem et regnantem. Et quomodo Archelaüs regnabat in Judæa, cum Pontius Pilatus præses esset? Recens adhuc erat mors Herodis, necdum regnum in multas partes divisum fuerat. Sed quia nuper Herodes obierat, interim filius Herodis imperium tenebat, frater quippe Archelaï Herodes et ipse appellabatur : ideo addidit Evangelista « Pro Herode patre suo [2]. » Sed si Judæam adire formidabat propter Archelaüm, oportebat et Galilæam metuere propter Herodem. Sed ubi locum mutavit, res postea in obscuro mansit. Totus quippe impetus contra Bethlehem erat, et fines ejus. Cæde itaque patrata, Archelaüs filius rem peractam putabat, atque eum, qui quærebatur, inter multos occisum fuisse. Alioquin cum vidisset patrem tali morte consumptum, moderatior fuit, quam ut ulterius procederet, et de iniquitate contenderet. Venit itaque Joseph Nazareth, ut una et periculum fugeret, et dilectam patriam incoleret. Ut majori instrueretur fiducia, oraculum ab Angelo hac de re accepit : quanquam Lucas non dicat ipsum per oraculum illo venisse; sed completa purificatione in Nazareth reversos illos esse. Quid igitur dicendum est? quod scilicet Lucas hoc dicat tempus describens illud, quod præcessit descensum in Ægyptum. Neque

[1] Matth. II, 19, 20. — [2] Ibid. 22.

enim ante purificationem eos illuc deduxit, ne quid contra legem admitteretur, sed expectavit donec purificatio fieret, ac redirent Nazareth, tuncque descenderent in Ægyptum. Deinde ex Ægypto profectos jubet Nazareth redire. Antea vero non moniti oraculo fuerant, ut illo redirent; sed ex voluntate propria in dilectam patriam se contulerant. Quia enim non nisi pro descriptione et censu illo venerant, nec locus ibi manendi erat, re perfecta, pro qua venerant, reversi sunt Nazareth. Ideo Angelus illos domum reducit, ut ibi manerent, neque illud sine causa, sed quod ita prophetia ferret : nam ait : « Ut impleretur quod dictum est » per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur [1]. » Ecquis Propheta hoc dixit? Ne curiosius inquiras vel scruteris. Multi enim prophetici libri perierunt (13) : id quod ex historia Paralipomenon videre est. Nam segnes cum essent Judæi, et frequenter deciderent in impietatem, alios incuria perdiderunt, alios et ipsi combusserunt vel lacerarunt. Horum alterum Jeremias narrat; alterum is, qui quartum Regnorum librum edidit, dum ait post multum temporis vix tandem Deuteronomium effossum fuisse antea perditum [2]. Si porro, nullo instante barbaro, sic libros prodiderunt, multo magis postquam barbari irruperant. Cæterum quia id Prophetæ prædixerant, Apostoli sæpe illum Nazarenum vocant. Hoc ergo est, inquies, quod prophetiam de Bethlehem obscuram reddidit? Nequaquam : sed illud ipsum maxime movebat, et ad exploranda ea quæ de illo dicta fuerant excitabat. Sic et Nathanaël ad perquisitionem de illo faciendam venit dicens : « Ex Nazareth potest aliquid » boni esse [3]? » Nam viculus erat vilis; imo non viculus ille tantum; sed tota Galilææ regio. Ideo dicebant Pharisæi : « Interroga et vide, quoniam ex Galilæa Propheta non » surrexit [4]. » Attamen ille ex tali patria vocatus non eru-

[1] Matth. II, 23.— [2] 4 Reg. XXII, 8.— [3] Joan. I, 46.— [4] Id. VII, 52.

bescit, ostendens se nulla re humana egere : Discipulosque suos ex Galilæa eligit, undique occasiones et obtentus succidens iis qui torpere vellent, ostendensque nos externa nulla re egere, si virtutem exerceamus. Ideoque ne domum quidem sibi delegit : nam ait : « Filius hominis non habet »ubi caput reclinet [1]; » atque Herode insidiante fugit, in præsepio collocatur, et in diversorio manet, matremque eligit inopem, ut nos doceat, ne quidpiam hujusmodi turpe esse putemus; dum in primordiis ipse humanum calcat fastum, et uni virtuti addictos esse jubet.

V. Cur enim de patria altum sapis, quando ego, inquit, in toto orbe te peregrinum esse jubeo? quando licet tibi talem esse, ut totus mundus te non sit dignus? Hæc enim ita contemnenda sunt, ut ne a philosophis quidem Græcorum aliquo in pretio habeantur, sed extranea vocentur, extremumque locum occupent. Atqui Paulus hæc amplectitur, inquies, sic loquens : « Secundum electionem, cha»rissimi, propter patres [2]. » Sed dic quando, de quibus, et quos alloquens. Agit enim cum iis qui, ex gentibus conversi, de fide altum sapiebant et tumebant, contra Judæos insurgebant, et hac de causa magis illos a se sequestrabant. Reprimens igitur illorum tumorem, hos allicit, et ad idipsum studium excitat. Nam cum de magnis illis ac strenuis viris loquitur, audi quid dicat : « Qui autem hæc di»cunt, significant se patriam inquirere : et siquidem il»lius meminissent, de qua exierant, habuissent tempus re»vertendi : nunc autem alteram meliorem appetunt [3]. » Et rursum : « Secundum fidem mortui sunt hi omnes, non »reportantes promissiones, sed procul ipsas videntes et »salutantes [4]. » Joannes vero ad se venientibus dicebat : « Ne velitis dicere : Patrem habemus Abraham [5]. » Iterum-

[1] Luc. IX, 58. — [2] Rom. XI, 28. — [3] Hebr. XI, 14. — [4] Ibid. 13. — [5] Luc. III, 8.

que Paulus : « Non enim omnes qui ex Israël, hi sunt »Israëlitæ, neque qui filii carnis, hi filii Dei [1]. » Quid enim, quæso, profuit filiis Samuëlis, patris nobilitas, cujus non fuerunt virtutis hæredes? Quod etiam lucrum filiis Mosis fuit, cujus diligentiam et virtutem non sunt imitati? Neque imperium post illum exceperunt : sed dum patrem ipsum inscriberent, populi præfectura ad alium transivit, qui virtute filius illius erat. Quid autem nocuit Timotheo, quod patre gentili natus esset? Quid contra Noë filius de virtute patris lucratus est, qui servus de libero factus est? Vidisti-ne quomodo patris nobilitas non satis idoneum sit filiorum patrocinium? nam propositi nequitia naturæ leges vicit; nec modo illum ex nobilitate paterna, sed etiam ex libertate dejecit. Nonne et Esaü quoque filius erat Isaaci, qui sibi patrocinabatur? Etenim pater ejus id curabat, id cupiebat, ut benedictionum particeps esset, et pro hac re ipse quæ jubebantur omnia exequebatur. Attamen quia pravus erat, nullum ex iis fructum percepit; sed etsi natu prior, etsi patrem haberet sibi in omnibus faventem, quia Deum non habuit opitulantem, omnibus excidit. Sed quid homines commemoro? Filii Dei fuere Judæi, et nihil ex tali nobilitate lucrati sunt. Si igitur quis filius Dei effectus, nisi nobilitate illa dignam virtutem exhibuerit, majore afficitur supplicio, quid mihi majorum et avorum nobilitatem profers in medium? Hoc autem non in Veteri tantum, sed etiam in Novo Testamento contigisse deprehendas : nam ait : « Quotquot autem recepe»runt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri [2]. » Attamen multis hujusmodi filiis, patrem nihil profuisse dicit Paulus : « Si enim circumcidamini, inquit, Christus vobis »nihil proderit [3]. » Si vero Christus nihil prodest iis, qui sibi nolunt attendere, quo pacto ipsis patrocinabitur ho-

[1] Rom. IX, 6. — [2] Joan. I, 12. — [3] Galat. V, 2.

mo? Ne igitur de nobilitate, vel de divitiis altum sapiamus; imo eos qui ita sunt affecti despiciamus: neque ob paupertatem dejiciamur; sed illas quæramus divitias, quæ bonis operibus constant: illam fugiamus paupertatem, quæ nos in nequitiam conjicit, qua dives ille pauper erat, qui ne stillam quidem aquæ impetravit, etsi multis adhibitis precibus. Quanquam quis inter nos ita pauper est, ut ne aquam quidem habeat? nemo sane. Nam illi etiam, qui extrema fame tabescunt, stillis aquæ frui possunt, nec stillis aquæ solum, sed etiam majore solatio. Secus autem dives ille, qui ad eam usque paupertatem devenit, ut nullum posset invenire paupertatis solatium. Cur itaque divitiis inhiamus, quæ nos in cœlum inducere nequeunt? Dic mihi, si quis rex terrenus diceret nullum divitem posse in regia fulgere, aut honore frui, annon cuncti divitias despiceretis et abjiceretis? Atqui, si ex terrenæ illius regiæ honore nos dejiciant, contemptui erunt; rege autem cœlorum quotidie clamante ac dicente difficile esse cum divitiis in sacra illa atria ingredi, annon omnia projiciemus? annon opes amovebimus, ut in regiam illam libere ingrediamur?

VI. Ecqua sumus venia digni, qui ea quæ nobis aditum illum præcludunt, tanto studio complectimur, et non solum in arcis, sed etiam in terra occultamus, dum licet ea in cœlis custodienda recondere? Idipsum certe nunc facis, ac si quis agricola acceptum frumentum in fertili agro seminandum, dimisso agro, in lacum frumentum omne demergat, ut neque illo fruatur ipse, et frumentum corruptum pereat. Sed quam rationem proferunt, cum illos hac de re culpamus? Non parvam consolationem id affert, quod sciamus hæc nobis tuto recondita esse. Quinimo nescire hæc recondita esse, id consolationem afferret. Etiamsi enim famem non timeas, multa alia graviora ob depositum

tale timenda, mors, bellum, insidiæ. Si fames ingruat, populus a ventre compulsus, armata dextera domum tuam invadet. Imo dum sic agis, famem in urbes invehis, et hoc fame gravius periculum in domum tuam inducis. Etenim famis calamitate nullos novi statim consumptos : multa quippe undique excogitari possunt ad tanti mali solatium; ob pecunias autem, divitias, resque hujuscemodi, plurimos indicare possim, seu clam, seu publice interemptos. Multis porro hujusmodi exemplis plenæ sunt viæ, plena judiciaria tribunalia et fora. Ecquid dico vias, judiciaria tribunalia et fora? Ipsum mare videbis sanguine plenum. Hæc quippe tyrannis non terram solum occupavit, sed etiam in pelago cum multo furore bacchata est. Et alius quidem navigat propter aurum, alius ob hoc ipsum jugulatur : eademque ipsa tyrannis hunc mercatorem, illum homicidam fecit. Quid magis infidum fuerit quam mammona, cum propter ipsum plurimi peregrinentur, periclitentur et occidantur? Sed « Quis miserebitur, inquit, incantatoris, quem serpens » momordit [1]? » Oportebat enim diræ tyrannidis gnaros servitutem fugere, noxiumque amorem comprimere. Et quomodo, inquies, id fieri possit? Si alterum amorem in-duxeris, nempe cœlorum. Nam qui concupiscit regnum, irridebit avaritiam : qui Christi servus effectus sit, non erit mammonæ servus, sed et ejus erit dominus : nam fugientem insequi solet, et persequentem fugere : neque ita persequentem honorat, ut se despicientem; nullum ita deridet, ut sui cupidum; neque irridet modo, sed innumeris constringit vinculis. Solvamus igitur vel sero tandem hasce noxias catenas. Quid rationabilem animam irrationali materiæ innumerorum malorum matri servire cogis? Sed o risu dignam rem! nos illam impugnamus verbis, illa nos impugnat reipsa, et undique agit et circumfert quasi pre-

[1] Eccli. XII, 15.

tio emptos et mastigias, quo quid turpius, quid indignius? Si enim insensilem materiam non superamus, quomodo incorporeas potestates profligabimus? Si vilem materiam et abjectos lapides non despicimus, quomodo principatus et potestates subjiciemus? quomodo temperantiam exercebimus? Si argentum fulgens nos percellit, quomodo pulchram faciem prætercurrere poterimus? Etenim quidam huic tyrannidi usque adeo dediti sunt, ut ipsos vel auri aspectus afficiat, et facete hilariterque dicant: « Oculos juvat numisma aureum oblatum. » Verum ne ita ludas, mi homo; nihil enim sic lædit oculos, sive corporis, sive animæ, ut horum concupiscentia. Hic certe noxius amor virginum illarum lampades extinxit, illasque a sponsi thalamo exclusit. Hic aspectus, quem dicis oculos juvare, miserum Judam non permisit audire dominicam vocem, sed in laqueum duxit, atque id efficit ut medius crepuerit, ac post hæc omnia in gehennam misit. Quid ergo hac peste iniquius fuerit, quid horribilius? Non de materia pecuniarum loquor, sed de earum intempestiva et furiosa cupiditate. Nam humano distillat sanguine, cruento aspectu, et quavis fera immanior est, atque obvios quosque discerpit: quodque multo pejus est, ne sentire quidem laniatum sinit. Cum oporteret enim eos, qui talia patiuntur, ad prætereuntes manum extendere, et ad auxilium vocare; illi contra de talibus ulceribus gratias habent: quo quid miserabilius? Hæc itaque omnia cogitantes, insanabilem illum morbum fugiamus, ejus morsus curemus, et a tali peste procul fugiamus, ut et in præsenti tutam et perturbatione vacuam vitam ducamus, et futuros nanciscamur thesauros, quos utinam nos omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et simul Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA X.

CAPUT III.

In diebus illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum [1].

I. De quibusnam [2] diebus agit? Non enim quo tempore puer ille erat, et Nazareth venit, sed post annos triginta venit Joannes, ut Lucas testificatur. Cur ergo dicit : « In » diebus illis? Mos est Scripturæ hoc uti modo; non solum cum ea narrat, quæ insequenti tempore mox gesta sunt, sed etiam cum illa dicit, quæ multis postea annis contigerint. Sic etiam cum ad illum in monte Olivarum sedentem Discipuli accesserunt, et de adventu ejus, deque excidio Jerosolymorum sciscitati sunt; scitis autem quantum sit inter utraque tempora intervallum. Cum locutus esset de excidio, et hac de re dicendi finem fecisset, de consummatione postea locuturus, subjunxit : « Tunc ista erunt. » Dicendo autem « Tunc » non conjunxit tempora, sed illud solum tempus indicavit, quo hæc eventura erant. Idipsum nunc facit cum ait : « In diebus illis. » Non enim insequentes statim dies significavit, sed illos, in quibus contigere ea ad quæ narranda progreditur. Et cur, inquies, post triginta annos ad baptismum venit Jesus? Post hunc baptismum legem soluturus erat : ideo ad illam usque ætatem, quæ potest peccata admittere omnia, in legis totius observatione mansit, ne quis diceret ipsum legem solvisse, quod

[1] Matth. III, 1, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 41-45.

non posset eam implere. Non enim omnes pravi affectus, omnia vitia semper instant nobis. Sed in primæva ætate imprudentia viget et imbecillitas animi; in sequenti vehementius instat libido; in ea quæ hanc excipit, opum cupiditas. Propterea hanc totam ætatem emensus, et legem hoc toto tempore executus, sic ad baptismum venit, quem postremum addidit, postquam alia præcepta impleverat. Quod enim hoc postremum ipsi fuerit ex operibus legalibus, audi eum dicentem : « Sic enim decet nos implere » omnem justitiam [1]. » Quod autem dicit, hujusmodi est : « Omnia legalia implevimus : nullum transgressi sumus mandatum. Quia igitur hoc unum superest, oportet illud quoque addere, sicque omnem justitiam implebimus. » Justitiam enim hic vocat omnium mandatorum observationem. Christum igitur hac de causa ad baptismum venisse hinc conspicuum est. Qua de causa vero hoc baptisma ab ipso excogitatum est? Quod enim Zachariæ filius non a semetipso, sed Deo movente ad hoc venerit, id Lucas declarat dicens : « Verbum Domini factum est ad eum [2], » id est, mandatum. Ipse quoque ait : « Qui me misit baptizare » in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum des- » cendentem quasi columbam, et manentem super eum, » hic est qui baptizat in Spiritu sancto [3]. » Cur autem ad baptizandum missus est? Hoc item nobis declarat Baptista: « Ego nesciebam eum; sed ut manifestaretur in Israël, ideo » veni in aqua baptizans [4]. » Et si hæc sola causa erat, quomodo ait Lucas : « Venit in regionem Jordanis, prædicans » baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum [5]? » Quanquam remissionem non habebat; sed hoc donum erat baptismi, qui postea datus est; in hoc enim consepulti sumus, et vetus homo noster tunc una crucifixus est, et ante

[1] Matth. III, 15. — [2] Luc. III, 22. — [3] Joan. I, 33. — [4] Ibid. 31. — [5] Luc. III, 3.

crucem nusquam remissio facta comperitur : ubique enim hoc sanguini ejus deputatur. Paulus vero ait : « Sed abluti » estis, sed sanctificati estis, » non per baptisma Joannis, « Sed in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu » Dei nostri [1]. » Et alibi ait : « Joannes quidem prædicavit » baptismum pœnitentiæ [2], » et non dicit « Remissionis, » ut crederent in venientem post eum. Cum enim nondum oblatum sacrificium esset, nec Spiritus descendisset, nec peccatum solutum esset, nec inimicitia sublata, nec maledictio deleta, quomodo remissio peccatorum facta esset?

II. Quid est igitur illud, « In remissionem peccatorum? » Improbi admodum erant Judæi, nec unquam in peccatorum suorum sensum venerant, sed extremis obnoxii malis, se ubique justos prædicabant : id quod præsertim ipsos perdidit, et a fide abduxit. Hac de re illos Paulus accusans dicebat : « Ignorantes Dei justitiam et suam quærentes sta- » tuere, justitiæ Dei non sunt subjecti [3]. » Et rursus : « Quid » ergo dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur justi- » tiam, apprehenderunt justitiam : Israël autem sectando » legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? » Quia non ex fide, sed quasi ex operibus [4]. » Quia igitur hæc causa malorum erat, advenit Joannes, nihil aliud agens, quam ut illos ad peccatorum suorum cognitionem deduceret : id quod etiam illius habitus ostendebat, qui utique ad pœnitentiam et confessionem compositus erat. Hoc ipsa quoque prædicatio demonstravit. Nihil enim aliud dicebat, quam : « Facite fructus dignos pœnitentiæ [5]. » Quia igitur quod peccata sua non improbarent, ut Paulus declaravit, ideo a Christo resilierunt : peccata autem in mentem revocare, id efficit ut Redemptor quæratur, et remissio desideretur. Id præparaturus venit Joannes, et hortaturus

[1] 1 Cor. vi, 11. — [2] Act. xix, 4. — [3] Rom. x, 3. — [4] Id. ix, 30-32. — [5] Luc. iii, 8.

illos ut pœnitentiam agerent : non ut punirentur, sed ut per pœnitentiam humiliores effecti, ac sese ipsos damnantes, ad remissionem impetrandam accurrerent. Vide igitur quam hæc diligenter expresserit; cum dixisset enim : « Venit prædicans baptismum pœnitentiæ in deserto Judææ, » addidit, « In remissionem ; » ac si diceret : « Ideo illos hortatus sum ut confiterentur et pœnitentiam agerent, non ut punirentur, sed ut facilius postea remissionem acciperent. » Nisi enim seipsos damnassent, gratiam non petiissent, non quærentes vero gratiam, neque remissionem assecuti essent. Itaque hoc baptisma ad illud viam parat, ideo dicebat : « Ut credant in eum qui venit post ipsum; » præter eam quam diximus, hanc quoque aliam baptismatis causam adjiciens. Neque enim perinde fuisset, si domos circumiisset, et Christum manu prehensum circumduxisset, dixissetque : « In hunc credite ; » atque omnibus præsentibus ac videntibus, beatam illam efferri vocem, atque alia omnia perfici. Ideo venit ad baptisma : nam et baptizantis existimatio et rei ipsius conditio, civitatem totam attrahebat, et ad Jordanem evocabat, magnumque fuit theatrum. Ideoque eos, qui advenerant, reprimit, suadetque ne magnum quidpiam de se comminiscantur, ostendens eos extremorum reos malorum, nisi pœnitentiam egerint, missisque majoribus suis, depulsaque illa, quam inde conceperant, jactantia, eum, qui advenerat, receperint. Etenim obscurata fuerant interim ea, quæ ad Christum spectabant, et apud multos extincta videbantur esse ob cædem in Bethlehem perpetratam. Etiamsi enim, cum duodecim annorum esset, sese exhibuerit, at cito in priorem sese obscuritatem deduxit : ideoque splendidis exordiis et sublimiore principio opus habebat. Propterea tunc primum ea, quæ nunquam audierant Judæi vel a Prophetis vel ab aliis quibuslibet, illa, inquam, conspicua voce prædicat, cœlos et

regnum cœlorum commemorans, nihilque de terra loquens. Regnum autem hic dicit adventum ejus, et priorem, et posteriorem. Et quid hoc ad Judæos, inquies, qui nesciebant quid diceret? « Ideo sic loquor, inquiet ille, ut dictorum obscuritate excitati, veniant ad perquirendum illum qui prædicatur; » ita ut et publicani et milites interrogent, quid faciendum, et quomodo instituenda vita sit: quod signum erat ipsos, missis sæcularibus rebus, alia majora respicere, et futura quasi per somnium imaginari. Etenim cuncta quæ videbant et audiebant, ad sublimium rerum sensum erigebant illos.

III. Cogita igitur quantum id esset hominem videre post annos triginta ex deserto venientem, principis sacerdotum filium, qui nulla unquam rerum terrenarum egnerat, et omni ex parte venerandum, qui Esaïam secum habebat: aderat quippe ipsi prædicans et dicens: « Hic est quem adventurum esse prædixi clamantem, et in deserto clara voce omnia prædicantem. » Tantum enim erat Prophetarum circa res istas studium, ut non modo Dominum suum, sed etiam eum qui ipsi ministraturus erat, ante multum temporis prænuntiarent; nec illum modo, sed etiam locum prædicerent in quo versaturus erat, nec non prædicationis modum quo ad docendum usurus erat, et quam præclarum hinc opus emersurum esset. Vide ergo quomodo ad eumdem sensum ambo prodeant, licet non iisdem verbis utantur, Propheta nempe atque Baptista. Propheta namque ipsum affuturum esse prædicit his verbis: « Parate viam » Domini, rectas facite semitas ejus[1]. » Ille vero postquam advenit, dicebat: « Facite fructus dignos pœnitentiæ; » quod idem significat atque illud, « Parate viam Domini. » Vides-ne et per ea, quæ Propheta dixit, et per ea, quæ ipse prædicavit, unum significari; ipsum scilicet et ut præiret,

[1] Isaï. XL, 3. et Matth. III, 3.

et ut viam pararet advenisse? Non ut donum largiretur, scilicet remissionem, sed ut præpararet animas eorum, qui universorum Deum recepturi erant. Lucas vero amplius quid adjecit; nec satis habuit principium duntaxat afferre, sed totam affert prophetiam; nam ait : « Omnis vallis im-» plebitur, et omnis mons et collis humiliabitur : et erunt » prava in directa, et aspera in vias planas : et videbit om-» nis caro salutare Dei [1]. » Vides-ne quomodo jam olim Prophetæ omnia dixit, et populi concursum, et rerum in melius mutationem, et prædicationis facilitatem et rerum gerendarum omnium causam, etsi tropis hæc resperserit? Erat quippe prophetia futurorum. Cum enim ait : « Omnis » vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur : » et erunt aspera in vias planas, » humiles exaltandos, et arrogantes humiliandos esse prænuntiat; atque legis difficultatem in fidei facilitatem esse mutandam. Non ultra, inquit, sudores et labores; sed gratia et venia delictorum, quæ facillimam ad salutem viam paret. Deinde horum causam apponit dicens : « Videbit omnis caro salutare Dei. » Non ut olim, Judæi et proselyti tantum, sed et omnis caro et mare, universaque hominum natura. Per prava enim et tortuosa, vitam quamlibet corruptam subindicavit; publicanos, fornicatores, latrones, magos, qui cum perversi prius essent, recta deinde via processerunt : quod etiam ipse dicebat : « Publicani et peccatores præcedent vos in » regno Dei [2], » quia crediderunt. Idipsum aliis verbis sic indicavit Propheta : « Tunc lupi et agni simul pascentur [3]. » Sicut enim ibi per colles et valles, inæqualitatem morum in unam philosophiæ æqualitatem commisceri dixit; ita et hic quoque, per brutorum diversam naturam, varios hominum mores indicans, rursum eos in unum pietatis concentum jungi declaravit : et hic rursum causam adjiciens

[1] Isaï. XL, 4, 5. — [2] Matth. XXI, 31. — [3] Isaï. LXV, 25.

ait : « Erit qui consurget imperare gentibus, et in ipsum » gentes sperabunt [1]. » Quod ipsum ibi quoque dixit : « Vide- » bit omnis caro salutare Dei. » Ubique otendens Evangeliorum virtutem ac notitiam ad usque fines terræ diffundendam esse, quæ a ferinis moribus animisque asperis, in mansuetam et mitem indolem genus hominum transmutabit. « Hic autem Joannes habebat vestimentum suum de » pilis cameli, et zonam pelliccam circa lumbos suos [2]. » Vides-ne alia Prophetas prædixisse, alia Evangelistis reliquisse narranda? Quapropter Matthæus et prophetias affert, et sua adjicit : neque extra rem putavit de Justi vestibus loqui.

IV. Erat quippe res mira et stupenda in humano corpore tantam videre tolerantiam : quod certe Judæos magis attrahebat, qui magnum Eliam in ipso respiciebant, et ex iis, quæ tunc videbantur, beati illius viri memoriam revocabant; imo in majorem rapiebantur admirationem. Ille namque in urbibus et in domibus alebatur, hic autem ab incunabulis toto tempore in deserto versatus est. Oportebat enim præcursorem illius, qui vetera omnia soluturus erat, nempe laborem, maledictionem, dolorem atque sudorem, quædam habere symbola hujuscemodi doni, et damnatione illa superiorem esse. Itaque nec terram aravit, neque sulcos dissecuit, non in sudore vultus panem comedit, sed facile parabilis erat mensa ejus, et mensa facilior amictus, et habitaculum facilius amictu. Neque enim tecto, vel lecto, vel mensa, vel aliquo simili opus habuit; sed angelicam quamdam vitam in hac carne exhibuit. Ideo vestimentum ipsius ex pilis camelorum concinnatum erat, ut ex habitu nos institueret, ut ab humanis absisteremus, ac nihil cum terra commune haberemus; sed ad pristinam nobilitatem reverteremur, in qua degebat Adam, antequam

[1] Isaï. xi, 10. — [2] Matth. iii, 4.

vestimentis et amictu egeret. Sic et regni et pœnitentiæ vestis hujusmodi symbolum præ se ferebat. Nec mihi dicas : « Unde illi cilicina vestis et zona, in deserto habitanti? » Nam si ea de re quæstionem moveas, alia quoque multa quærere poteris : quomodo in hieme, quomodo in æstu in solitudine versabatur, maxime in tenero corpore et immatura ætate. Quomodo potuit puerilis carnis natura versari in tanta aëris inæqualitate, cum tam singulari mensa, et cæteris vastæ solitudinis miseriis? Ubi nunc sunt Græcorum philosophi, qui frustra cynicam impudentiam sectati sunt? Quid opus erat sese in dolio includere, et tali deinde lascivia uti? Qui annulis, phialis, famulis, ancillis, et reliqua pompa instructi erant, et in utrumque excessum prolapsi sunt. At hic talis non erat, sed desertum quasi cœlum habitavit, accurate philosophiam omnem exhibens : indeque ceu quis Angelus de cœlo in urbes descendit, athleta pietatis, coronatus in orbe, et philosophus illa philosophia quæ cœlis digna esset. Hæc porro erant, cum nondum solutum peccatum esset, cum nondum lex cessaret, morte nondum vincta, portis æreis nondum confractis; sed vigente adhuc veteri vivendi genere. Talis utique est fortis vigilque animus : nam ubique prosilit, positasque metas transcurrit, quemadmodum et Paulus in Novi Testamenti observatione faciebat. Sed cur, inquies, cum vestimento, etiam zona utebatur? Id in more erat apud veteres, priusquam molle hoc et diffluens vestimenti genus induceretur. Sic itaque et Petrus et Paulus cincti inveniuntur. Nam, « Virum, inquit, cujus hæc zona est [1]. » Elias quoque sic vestitus erat; sic Sanctorum singuli, quod sive in jugi opere versarentur, sive iter agerent, sive aliam quamvis rem necessariam cum labore curarent. Nec ea de causa tantum, sed quod etiam ornatum omnem calcarent, et austeræ vitæ

[1] Act. XXI, 11.

rationi studerent : quod ipsum magnum virtutis encomium esse Christus dicit his verbis : « Quid existis videre? homi- » nem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in » domibus regum sunt [1]. »

V. Si porro ille ita purus, et cœlo ipso splendidior, Prophetis omnibus dignior, quo major fuit nemo, qui tantam habuit fiduciam, tam aspere vixit, diffluentem voluptatem tantopere despiciens, tam duram agens vitam, quam excusationem habebimus, qui post tanta beneficia, sexcentis peccatorum sarcinis onusti, ne minimam quidem partem pœnitentiæ illius exhibeamus, sed ebrietati et ventri dediti simus, unguentis fragrantes, nec meliores theatralibus illis meretricibus, undique mollitiei nos dedentes, diabolo captu faciles nos præbeamus? « Tunc exibat ad eum » omnis Judæa et Jerosolyma, et omnis regio Jordanis, et » baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua [2]. » Vides-ne quantum Prophetæ præsentia valuit? quomodo totum populum excitavit? quomodo effecit ut peccata in memoriam revocarent? Nam admiratione dignum erat, videre illum in humano habitu talia exhibentem, et tanta utentem dicendi libertate, atque adversus omnes quasi contra pueros insurgentem, multaque in vultu gratia fulgentem. Ad stuporem conferebat quod post multum temporis Propheta appareret; nam hæc gratia apud illos defecerat, et post diuturnum tempus reversa est. Prædicationis autem modus, novus et singularis erat. Nihil quippe consuetorum audiebant; futura nempe bella et prælia victoriasque terrenas, fames et pestes, Babylonios, Persas, urbis excidium, et alia quæ solebant; sed cœlos et cœleste regnum, gehennæque supplicium. Propterea quanquam rebelles illi, qui cum Juda et Theuda in deserto fuerant, non multo ante tempore trucidati fuissent; non ideo seg-

[1] Luc. VII, 25. — [2] Matth. III, 5, 6.

nius eo se contulerunt. Non enim ad easdem res perpetrandas ipsos convocabat; ad tyrannidem scilicet, ad defectionem, ad res novandas, sed ut ad supernum regnum deduceret. Ideoque non detinuit secum in deserto, neque circumduxit, sed baptizatos et philosophiæ sermonibus instructos dimisit : per omnia docens terrena despicere, et ad futura tendere, ac quotidie sese concitare. Hunc et nos imitemur, ac cibis ebrietateque dimissis, ad arctam vitam nos transferamus. Nam confessionis tempus est et non initiatis et baptizatis; his quidem, ut post pœnitentiam peractam ad sacra veniant mysteria, illis vero, ut ablutis in baptismo maculis, pura conscientia ad mensam accedant. Abscedamus igitur ab hac molli dissolutaque vita. Non possunt enim, non possunt utique una subsistere confessio et deliciæ : et hæc vos doceat Joannes a vestimento, a cibo, a domo. Quid igitur, inquies? ita-ne arctam jubes nos ducere vitam? Non jubeo, sed suadeo et hortor. Quod si id facere non potestis, saltem in civitatibus degentes pœnitentiam exhibeamus; nam judicium est in januis : etiamsi vero remotius esset, ne sic quidem securius agere oporteret. Nam finis vitæ singulorum, eamdem vim erga quemque habet, quam consummatio sæculi. Quod autem in januis sit audi Paulum dicentem : « Nox præcessit, » dies autem appropinquavit [1] : » ac rursus, « Qui venturus » est veniet et non tardabit [2]. » Etenim signa jam impleta sunt ea, quæ diem illam evocant. Nam ait : « Prædicabitur » hoc Evangelium regni in universo mundo in testimonium » omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio [3]. »

VI. Dictis diligenter attendite : non dixit : « Cum creditum fuerit ab omnibus, sed cum fuerit apud omnes prædicatum. » Propterea dicebat : « In testimonium gentibus, » declarans se non expectaturum donec omnes credant, ut

[1] Rom. XIII, 12. — [2] Hebr. X, 37. — [3] Matth. XXIV, 14.

postea veniat. Illud enim, « In testimonium, » hoc est, in accusationem, in convictionem, in condemnationem eorum, qui non crediderint. At nos, qui hæc audimus et videmus, dormitamus, somniamusque, et quasi in profundissima nocte ebrietate gravamur. Etenim res præsentes nihilo sunt somniis meliores, sive illæ bonæ, sive molestæ sint. Propterea obsecro jam expergiscamini, et ad Solem justitiæ respiciatis. Nemo quippe dormiens solem potest videre, neque pulchritudine radiorum ejus oculos delectare; sed si qua videt, quasi in somnio omnia videt. Ideo multa nobis opus est confessione, multis lacrymis; tum quia sine ullo sensu jacemus mala perpetrantes; tum quia magna sunt peccata et venia indigna. Quod vero non mentiar, testes sunt plurimi ex præsentibus. Attamen licet venia indigna sint, pœnitentiam agamus, et coronis fruemur. Pœnitentiam autem voco, non a prioribus abstinere malis tantum, sed etiam, quod melius est, bona operari; nam ait : « Facite fructus dignos pœnitentiæ [1]. » Quomodo faciemus? Si contraria faciamus : exempli causa; rapuisti aliena? jam tua largire. Longo tempore fornicatus es? ab uxore abstine statis diebus, continentiam exerce. Contumeliam intulisti, vel prætereuntes percussisti? contumeliam inferentibus deinceps benedic- et percutientibus te beneficia confer. Neque enim satis est ad sanitatem, si telum extrahamus; sed vulneri etiam remedia adhibenda. Conviviis et ebrietati operam dedisti antehac? jejunia et aquæ potum adhibe. Attende ut inde ortam perniciem amoveas. Vidisti impudicis oculis alienam formam? ne mulierem quidem ullam in posterum respicias, ut magis tuto verseris. « Declina, inquit, a malo, et fac bonum [2]; » ac rursum : « Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua » ne loquantur dolum [3]; » sed bonum quoque dicito mihi;

[1] Luc. III, 8. — [2] Psal. XXXVI, 27. — [3] Id. XXXIII, 14.

« Inquire pacem, et persequere eam [1]; » non eam quæ cum hominibus tantum, sed eam etiam quæ cum Deo habetur. Pulchre autem dixit : « Persequere : » nam expulsa illa et profligata est, ac relicta terra, in cœlum abiit. Sed possumus illam reducere, si velimus arrogantiam, superbiam et omnia impedimenta removere, ac puram temperantemque sectari vitam. Nihil enim ira ferociaque deterius. Hæc enim inflatos simul et serviles animos efficit, hinc ridiculos, inde odiosos reddens, et sibi contraria inducens mala, arrogantiam nempe et adulationem. Sed si affectus immoderationem excindamus, et modeste humiles, et tuto sublimes erimus. Nam in corporibus etiam nostris ex redundantia malæ humorum commixtiones oriuntur : elementa quoque cum proprios sibi terminos transiliunt, et innumeros morbos, et funera gravia pariunt; id quod etiam in anima accidere videmus.

VII. Immoderationem itaque abscindamus, et salutare moderationis pharmacum potantes, in temperantia congruenti maneamus, precibusque diligenter incumbamus. Si postulatum non accipiamus, perseveremus ut accipiamus; si accipiamus, ne ideo, quia accepimus, precari desistamus. Neque enim vult ille postulatum donum differri; sed cunctatione assiduitatem sagaciter parit. Ideo differt postulata concedere, ac sæpe tentationem incidere permittit, ut frequenter ad eum confugiamus, et sic perseveremus. Sic quoque faciunt patres et matres prolis amantes : cum parvulos suos viderint ab se discedere, ut cum æqualibus suis ludant, id curant ut domestici terricula multa simulent, ut præ timore cogantur pueruli ad maternum sinum confugere. Sic et Deus sæpe minas intentat, non ut mala infligat, sed ut ad se pertrahat. Cum autem ad illum confugimus, statim metum solvit. Quod si tales essemus in

[1] Psal. xxxiii, 15.

tentationibus, quales in tranquillitate, non egeremus tentatione. Ecquid de nobis loquor? Nam Sanctis quoque illis magna hinc proveniebat temperantiæ occasio. Ideo dicit Propheta : « Bonum mihi quia humiliasti me [1]. » Ipseque Apostolis dicebat : « In mundo tribulationem habebitis [2]. » Hoc porro Paulus subindicat, cum ait : « Datus est mihi » stimulus carnis, angelus Satanæ, qui me colaphizet [3]. » Ideo precatus ut a tentatione liberaretur, id non impetravit, quia inde magnam carpebat utilitatem. Si vero totam Davidis vitam exploremus, inveniemus illum inter pericula clariorem, neque illum tantum, sed etiam alios omnes ipsi similes. Etenim Job hoc pacto magis refulsit ; Joseph sic magis magisque claruit : Jacob item et pater ipsius, et avus, et quotquot conspicui fuerunt, splendidioribusque coronis sunt ornati, ex ærumnis atque tentationibus et coronati et proclamati sunt. Hæc cum sciamus omnia, secundum sapientem illum sermonem, « Ne festinemus in die invasio- » nis [4], » sed ad unum tantum nos instituamus, ut omnia fortiter feramus, nec curiose inquiramus vel scrutemur ea quæ accidunt. Nam scire quo tempore desituræ sint ærumnæ, Dei est, qui permisit illas accidere ; illatas vero cum gratiarum actione ferre, id probitatis nostræ est opus. Quod si fiat, omnia sequentur bona ; ut vero sequantur, utque hic probatiores, illic vero splendidiores efficiamur, quodcumque illatum fuerit excipiamus, gratias de omnibus habentes ei, qui melius novit quam nos ipsi quid nobis expediat, quique parentum erga nos vincit amorem : et hoc utrumque ratiocinium in quibuslibet ærumnis nobis ipsis recantantes, comprimamus mœrorem, et gloriam referamus Deo, qui in omnibus omnia ad nostram utilitatem dispensat. Sic enim et insidias facile depellemus, et immar-

[1] Psal. cxviii, 71. — [2] Joan. xvi, 33. — [3] 2 Cor. xii, 7. — [4] Eccli. ii, 2.

cessibiles coronas consequemur, quas nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, imperium, honor, cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

CAPUT III.

Videns autem multos Sadducæorum et Pharisæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis : Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira [1]?

I. Cur ergo ait Christus eos non credidisse Joanni? Quia non erat illud credere, cum eum, qui ab ipso prædicabatur, non acciperent. Nam et Prophetis et Legislatori attendere videbantur : et tamen dixit ille non attendisse, quia eum, qui ab illis prædicabatur, non receperunt : « Si » enim crederetis Moysi, inquit, crederetis utique et mihi [2]. » Et postea interrogati a Christo : « Baptisma Joannis unde » est? » dicebant : « Si dixerimus : De terra, timemus turbam; si vero dixerimus : De cœlo, dicet nobis : Quare ergo » non credidistis ei [3]? » Et his ergo omnibus palam est ipsos venisse et baptizatos fuisse, sed in fide prædicationis non mansisse. Etenim Joannes illorum nequitiam ostendit, quando illi ad Baptistam miserunt dicentes : « Si tu es Elias, » si tu es Christus [4]; » quamobrem intulit : « Qui autem missi » fuerant, erant ex Pharisæis [5]. » Quid igitur? annon turbæ populi idipsum putabant? Etiam : verum plebs simplici

[1] Matth. III, 7.— [2] Joan. V, 46.— [3] Matth. XXI, 25, 26.— [4] Joan. I, 21. — [5] Ibid. 24.

mente hæc suspicabatur; Pharisæi vero ipsum in sermone capere volebant. Quia enim in confesso erat Christum esse venturum ex vico Davidis; hic vero ex levitica tribu erat; interrogando insidias ipsi parabant; ut si quid secus responderet, in illum insurgerent: hoc enim etiam ex sequentibus declarat: nam cum nihil eorum quæ ipsi expectabant respondisset, tamen ipsum culpantes dicunt: « Quid ergo » baptizas, si tu non es Christus [1]? » Ut vero discas alia mente Pharisæos, alia plebem venisse, audi quomodo Evangelista hoc etiam declaret; cum nempe de populo ait ipsos venisse et ab illo baptizatos esse confitentes peccata sua; de Pharisæis vero non similiter, sed his verbis: « Videns » multos Sadducæorum et Pharisæorum venientes dicebat: » Genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere a » ventura ira? » Papæ, quantam animi magnitudinem! quomodo alloquitur homines sanguinem propheticum semper sitientes, quique non erant serpentibus mitiores? cum quanta et illos et parentes illorum libertate criminatur? Etiam, inquies, loquendi libertas maxima est: sed quærendum an libertas hujusmodi aliqua ratione nitatur. Neque enim peccantes vidit, sed resipiscentes. Quapropter non culpare oportebat, sed laudare atque suscipere, quia relicta urbe et domo, accurrerant prædicationem audituri. Quid ergo dicamus? Ipsum videlicet, non præsentibus, neque rebus quæ palam gerebantur, attendisse, sed arcana mentis eorum novisse, id revelante Deo. Quoniam igitur de majoribus suis altum sapiebant, idque ipsis perniciei causa fuerat, ipsosque in desidiam confecerat, arrogantiæ radicem succidit. Propterea Esaïas illos principes Sodomorum, et populum Gomorrhæ vocat [2]: et alter Propheta dicit: « Nonne » sicut filii Æthiopum vos estis [3]? » Omnesque ab hac opinione deducunt illos, tumorem illorum evacuantes, qui

[1] Joan. I, 25. — [2] Isaï. I, 10. — [3] Amos. IX, 7.

innumerabilium ipsis malorum causa fuerat. At, inquies, id jure Prophetæ faciebant, qui illos peccantes videbant : hic vero cur et qua de causa, cum illos videat obtemperantes, idipsum facit? Ut illos moderatiores reddat. Si quis autem accurate dictis attendat, laude increpationem temperavit. Admirans quippe illos, quod sero tandem ea facere potuissent, quæ nunquam posse fieri videbantur, hæc dixit. Increpatio igitur allicientis illos potius esse videtur, et curantis ut resipiscant. Cum enim illos objurgare videtur, et magnam prius illorum nequitiam fuisse ostendit, et mutationem ipsorum mirabilem atque stupendam. Quomodo factum est, inquit, ut cum illorum filii sint, et tam male educati, pœnitentiam agant? Unde hæc tanta facta est mutatio? Quis asperitatem animi eorum sic emollivit? Quis immedicabilia vulnera curavit? Et vide quomodo illos a principio statim increpavit, gehennæ sermones cæteris præmittens. Neque enim dixit ea, quæ dici consueverant. « Quis ostendit vobis fugere bella, barbarorum incursus, captivitates, fames, pestilentias? » Sed aliud quoddam supplicium obtendit, quod nunquam ipsis manifestum fuerat, ita dicens : « Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? »

II. Jure autem illos genimina viperarum vocavit. Siquidem hoc serpentum genus parturientem se interficit, et viscera matris corrodens dicitur in lucem prodire : id quod et illi faciebant, patrum et matrum interfectores, qui doctores suos propriis manibus occidebant. Sed in correptione gradum non sistit, sed consilium adjicit : « Facite, inquit, » dignos fructus pœnitentiæ [1]. » Non enim satis est fugere malum; sed et virtutem magnam exhibere oportet. Ne mihi enim contraria illa et consueta exhibeatis, nec modico vos tempore reprimentes, ad eamdem nequitiam referamini. Non enim ad eadem ipsa venimus ad quæ priores Prophetæ.

[1] Matth. III, 8.

Diversa sunt præsentia et sublimiora, quia ipse Judex et ipse regni Dominus advenit ad majorem deducens philosophiam, in cœlum vocans, et ad illa trahens habitacula. Ideo de gehenna sermonem aperio : nam et bona et mala æterna sunt. Ne itaque in iisdem malis perseveretis, nec solitos obtentus proferatis, Abrahami, Isaaci, Jacobi, proavorum vestrorum nobilitatem. Hæc autem dicebat, non quo impediret illos ne se dicerent ex Sanctis illis progenitos, sed cohibens illos ne huic generi confiderent, neu animæ virtutem negligerent; simul et quæ in mente versabant proferens, et futura prædicens. Nam et postea prodeunt dicentes : « Nos patrem habemus Abraham, et nulli servivimus » unquam [1]. » Quoniam igitur hoc erat, quod illos maxime in arrogantiam extulit et perdidit; hoc primum ipse reprimit. Vide autem quomodo post servatum Patriarchæ debitum honorem, hos postea emendare nitatur. Cum dixisset enim, « Nolite dicere : Patrem habemus Abraham [2], » non addidit : « Nihil enim vos poterit Patriarcha juvare, » sed mitius et honestius hoc ipsum subindicavit dicens : « Potest » enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ [3]. » Quidam dicunt id de gentibus dici, quas lapides metaphorice vocat. Ego vero et aliam dicti sententiam esse puto. Qualem illam? Ne putetis, inquit, si vos pereatis, Patriarcham sine filiis fore. Non ita, non ita utique res se habet. Deus enim potest ex lapidibus filios ipsi dare, et ad ejus genus cognationemque illos deducere, siquidem hoc ipsum a principio factum est. Nam ex lapidibus homines fieri tale est, quale ex vulva sterili puellum prodire. Quod et Propheta subindicans dicebat : « Respicite in solidam petram, » ex qua excisi estis, et ad foveam lacus, ex qua effossi es- » tis. Respicite in Abraham patrem vestrum, et in Saram » quæ vos parturivit [4]. » Hanc ergo prophetiam illis revocat

[1] Joan. VIII, 33. — [2] Matth. III, 9. — [3] Ibid. — [4] Isaï. LI, 1. 2.

in memoriam, ostenditque, sicut a principio illum sic mirabiliter patrem effecit, quasi ex lapidibus, sic et nunc quoque id posse fieri. Sed vide quomodo et terreat et excindat. Non enim dixit: « Jam excitavit, » ne ipsi animum desponderent; sed, « Suscitare potest. » Neque dixit: « Homines facere potest ex lapidibus; » sed quod multo majus erat, « Et cognatos et filios Abrahæ. » Vides-ne quomodo illos abduxit a carnali illa imaginatione et a præsidio proavorum, ut in propria pœnitentia temperantiaque spem salutis haberent? Vides-ne quomodo cognationem carnis excludens, fidei cognationem inducit?

III. Perpende itaque quomodo in sequentibus horum timorem augeat, et sollicitudinem intendat; cum dixisset enim: « Potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abra» hæ, » subjunxit: « Jam securis ad radicem arborum posita » est [1]: » per omnia terribilem sermonem reddens. Nam ex vitæ genere magnam dicendi libertatem nactus erat; illi vero vehementi egebant increpatione, quia a multo jam tempore obdurnerant. Quid enim dico, inquit, fore ut excidatis a Patriarchæ cognatione, et alios videatis ex lapidibus in vestram succedere dignitatem? nam ulterius adhuc procedet vindicta: « Jam enim, inquit, securis ad radicem » arborum posita est. » Nihil terribilius hac loquendi figura. Jam quippe non ultra falcem volantem, non sepem destructam, non conculcatam vineam, cernere est; sed securim admodum exacutam, quodque gravius, jam ad januas positam. Quia enim Prophetis non credentes, sæpe dicebant: « Ubi est dies Domini? » et « Veniat consilium sancti Israël, » ut sciamus: » eo quod ea quæ prædicebantur, post multos annos sæpe acciderent, ut hac illos consolatione privaret, vicinam ipsis calamitatem constituit. Illud porro declaravit hæc vox, « Jam; » indicat item, quod jam securis

[1] Matth. III, 10.

radici admota sit. Nihil enim intermedium est, inquit, sed jam radici instat. Non dixit: « Ramis, non fructibus, » sed « Radici; » ostendens ipsos, si segniter agant, immedicabilia mala passuros esse, sine ulla spe curationis. Neque enim servus est is qui advenit, ut antea; sed ipse universorum Dominus, qui vehementem et gravissimam infligit vindictam. Attamen postquam illos exterruit, non sinit in desperationem incidere; sed quemadmodum supra non dixit: « Suscitavit; » sed, « Potest suscitare filios Abrahæ, » terrorem simul et consolationem immittens; sic et hoc loco non dixit: « Radicem attigit, » sed, « Ad radicem posita est, » seu radici admota est, et nullam fore dilationem ostendit. Cæterum etsi illam ita prope admoverit, sectionem in vestro ponit arbitrio. Nam si convertamini, et in melius mutemini, nihil operata securis removebitur; si autem in iisdem studiis maneatis, radicitus arborem avellet. Ideo securis nec a radice amovetur, neque secat admota; tum ne decidatis, tum ut discatis posse vos brevi tempore mutatos salutem consequi. Ideo undique timorem auget, ut excitet ipsos impellatque ad pœnitentiam. Nam et ab avorum dignitate excidere, et alios in sui locum inductos cernere, et mala in januis esse, et intolerabilia mala instare, quæ utraque per radicem et per securim indicavit; hæc, inquam, poterant, vel admodum in socordiam lapsos excitare, et sollicitos reddere. Hoc itaque declarans Paulus, dicebat: « Verbum abbreviatum faciet Dominus super universum orbem [1]. » Sed ne timeas; imo potius time quidem, sed ne desperes. Nam adhuc spem mutationis habes; neque enim sententia in opus prodit, neque securis ad secandum venit. Quid enim ne secaret impediebat illam radici admotam? Sed ut te timore meliorem redderet, et ad ferendum fructum aptaret, admota fuit. Ideo intulit: « Omnis arbor quæ non facit

[1] Rom. IX, 28.

» fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur [1]. Cum porro dicit: « Omnis, » amovet omnem nobilitatis prærogativam. « Etiamsi enim ipsius Abrahæ nepos sis, inquit, etiamsi inter avos multos enumerare possis Patriarchas, duplex supplicium lues, si sine fructu maneas. » His verbis publicanos terruit, militum animum commovit, non in desperationem conjiciens, sed ab omni segnitie detrudens. Nam id quod dictum erat cum timore magnam adjunctam habebat consolationem. Cum dixit enim : « Quæ non facit fruc» tum bonum, » ostendit illam quæ fructum bonum profert, nulli supplicio esse obnoxiam.

IV. Et quomodo, inquies, fructum ferre poterimus, instante sectione, et in tam angusto tempore, cum statutus terminus sit ita proximus? Poteris, inquit; non enim talis est ille, qualis arborum fructus, qui multum postulat tempus, et est anni tempestatibus subditus, ac multa eget operatione; sed sufficit velle, et statim floret arbor. Neque enim radicis natura tantum, sed etiam ars agricolæ ad fructum ferendum maxime juvat. Idcirco ne dicerent: « Nos turbas, urges, cogis, admota securi sectionem comminando, et in ipso supplicii tempore fructus proventum exigis; » subjunxit, ostendens afferendi fructus facilitatem : « Ego vos baptizo in aqua : qui autem post me venit, fortior » me est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti sol» vere. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et in igne [2]. » His declarans voluntate simul et fide opus esse, non laboribus sudoribusque ; atque ut facile est baptizari, ita facile esse converti et meliores evadere. Postquam igitur illorum animos commoverat, timore judicii et expectatione supplicii, securis nomine, majorum amissione, aliorum inductione filiorum, duplici supplicio, sectionis et incendii; et postea horum omnium duritiem asperitatemque mitiga-

[1] Matth. III, 10. — [2] Ibid. 11.

verat, ac malorum depulsionis desiderium induxerat; tunc demum de Christo verba facit, non simpliciter, sed excellentiam ejus extollens; deinde quantum intervalli esset inter se et illum declarans, ne videretur id ad gratiam dicere, ex comparatione donorum quæ ab utroque manarent, id peragit. Non enim statim dixit : « Cujus non sum dignus » corrigiam calceamenti solvere ; » sed postquam baptismi sui simplicitatem posuit, et ostendit illum nihil plus habere, quam quod ad pœnitentiam ipsos deduceret : neque enim dixit: « In aqua remissionis, » sed, « Pœnitentiæ; » Christi baptismum ponit ineffabili dono refertum. Ne, inquit, cum audis ipsum post me venire, illum despicias, quod postremus venerit, disce vim doni ipsius, et clare scies me nec dignius quidpiam vel magnum protulisse, cum dixi : « Cujus » non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. » Itaque cum audieris ipsum fortiorem me esse, ne putes id me per comparationem dixisse. Neque enim dignus sum inter servos ejus computari, imo ne inter ultimos servos, neque ministerii vel vilissimam partem obire. Quamobrem non simpliciter dixit : « Calceamenta, » sed, « Neque corrigiam, » quod extremum omnium videtur esse. Deinde ne putes hæc per humilitatem fuisse dicta, ex rebus ipsis demonstrationem adjicit : nam ait : « Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et » in igne. » Vides-ne quanta sit Baptistæ sapientia? Quando ipse prædicat, terribilia omnia præfert quæ in anxietatem conjiciant; quando autem ad Christum mittit, bona annuntiat, quæ animos possint recreare. Neque enim securim, neque excisam arborem, vel combustam et in ignem conjectam, neque futuram iram in medium adducit, sed peccatorum remissionem, supplicii veniam, justitiam, sanctificationem, redemptionem, adoptionem, fraternitatem, hæreditatis consortium, et Spiritus sancti copiosam largitionem. Hæc omnia subindicavit dicens : « Baptizabit vos

» in Spiritu sancto, » ipsa metaphora gratiæ copiam declarans. Non enim dixit : « Dabit vobis Spiritum sanctum ; » sed, « Baptizabit vos in Spiritu sancto ; » et ignis additione vehementiam et efficaciam gratiæ demonstrans.

V. Perpende igitur quo animo verisimile est tunc fuisse auditores, cogitantes se similes Prophetis magnisque illis viris mox futuros esse. Ideo enim ignis mentionem fecit, ut illis ipsorum memoriam revocaret. Nam maxima pars earum, quas habuere, visionum, per ignem apparuere : Sic Moysi in rubo locutus est Deus ; sic omni populo in monte Sina ; sic Ezechieli cum Cherubinis. Animadverte porro quomodo auditorem excitet, primum statuens id quod post alia omnia futurum erat. Oportebat enim immolari Agnum, et peccatum deleri, inimicitiam solvi, sepulturam succedere et resurrectionem, et postea Spiritum sanctum advenire. At eorum nihil dicit ; sed quod postremum erat, primum posuit, propter quod cætera omnia facta sunt, quodque maxime idoneum erat ad ejus prædicandam dignitatem : ut cum didicerit auditor se tantum Spiritum accepturum esse, quærat apud semetipsum quomodo id futurum esset, peccato late regnante ; ut illum postea reperiens sollicitum, et ad audiendum paratum, sic de passione sermonem induceret, nemine postea in offendiculum labente ob diuturnam doni hujusmodi expectationem. Ideo rursum clamabat : « Ecce Agnus Dei, qui tollit » peccatum mundi [1]. » Non dixit : « Qui remittit, » sed quod majoris erat curæ ac providentiæ : « Qui tollit, » Non enim idipsum est simpliciter remittere, et postea resumere. Nam illud sine periculo fiebat, hoc autem per mortem (14). Rursus vero dicebat quod Filius Dei esset. Verum neque illud clare dignitatem illius audientibus exprimebat. Nondum enim sciebant ipsum esse genuinum Filium : ex dono

[1] Joan. 1, 29.

autem Spiritus sancti id jam constabat. Ideoque Pater Joannem mittens, dignitatis ejus, qui adveniebat, hoc argumentum dedit, dicens : « Super quem videris Spiritum » descendentem et manentem, hic est qui baptizat in Spi» ritu sancto[1]. » Quapropter et ipse dicit : « Ego vidi et » testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei[2], » quasi ex hoc et illud quoque jam clarum evaderet. Deinde, quia bona dixit, auditoremque remisit atque laxavit, rursus illum restringit, ne in desidiam cadat. Tale quippe erat Judæorum genus, ex prosperis cito emolliebantur, deterioresque fiebant. Ideoque rursus terribilia inducit his verbis : « Cujus ventilabrum in manu sua[3], » Superius jam supplicium memoraverat, hic vero Judicem inducit, immortaleque supplicium : nam ait ; « Comburet paleas igne inextin» guibili[4]. » Vides ipsum rerum omnium Dominum agricolam esse : quanquam Patrem hoc ipsum esse alibi dixerit : « Pater meus, inquit, agricola est[5]. » Quia enim dixit : « Securis, » ne putares rem labore opus habere, nec facile discerni posse ; alio exemplo facilitatem inducit, ostendens mundum totum illius esse : non enim puniret alienos. Nunc vero omnia permixta sunt. Etiamsi enim frumentum luceat, attamen cum palea positum est, utpote in area, non in horreo. Tunc autem omnia discernentur. Ubi nunc sunt illi qui gehennam esse non credunt ? Etenim duo posuit, et baptizaturum esse in Spiritu sancto, et combusturum non credentes. Si igitur illud credendum, et hoc etiam prorsus. Propter hoc enim utrumque prædixit, ut ab unius prædictionis eventu, alteri fides non negaretur. Nam et Christus id non raro facit : sæpe in iis ipsis rebus, sæpe etiam in contrariis, duas apponens prophetias, quarum unam exhibet impletam, alteram implendam promittit, ut ab ea

[1] Joan. I, 33. — [2] Ibid. 34. — [3] Matth. III, 12. — [4] Ibid. — [5] Joan. XV, 1.

quæ jam evenit, alteram quæ nondum evenit, vel contentiosiores credant. Etenim iis, qui propter ipsum omnia reliquerint, centuplum in præsenti sæculo se daturum pollicitus est, et vitam æternam in futuro, ex iis quæ hic dantur, futura fide digna reddens. Id quod etiam fecit Joannes, utrumque ponens, et quod baptizet in Spiritu sancto, et quod comburat igne inextinguibili.

VI. Si itaque non baptizavit in Spiritu Apostolos, neque illos qui quotidie baptizari vellent, de illis etiam dubitandi locum haberes; si vero id quod majus et difficilius esse videbatur, et quod sermonem omnem superat, et factum est, et quotidie efficitur, quid causæ est cur id quod facile et secundum rationem est, verum non esse dicas? Quia enim dixit : « Baptizabit in Spiritu sancto et in igne [1], » et magna hic promisit bona ; ne animo concideres, prioribus omnibus neglectis, ventilabrum induxit, et judicium sive delectum per hoc fieri solitum. Ne putetis enim, inquit, baptismum sufficere, si improbi postea fueritis; opus quippe nobis est et virtute et multa philosophia. Propterea lavacrum in gratiam ipsos a securi illa depellit et transfert : post gratiam autem, a ventilabro et igne inextinguibili terret, et nullam facit distinctionem eorum, qui nondum baptizati sunt; sed generaliter ait : « Omnis arbor, quæ »non facit fructum bonum, excidetur [2], » infideles omnes puniens. Post baptisma autem distinctionem quamdam efficit; quia multi eorum qui credidere, fide indignam vitam ducturi erant. Nemo itaque palea fiat, nemo sit fluctuans, neque pravis cupiditatibus sit addictus, ita ut ab illis facile undique jactetur. Si enim frumentum maneas, etiamsi tentatio ingruat, nihil mali passurus es. Nam in area rotæ currus sulcandi facultatem habentes, frumentum non scindunt; si vero in paleæ fragilitatem incideris, et hic intole-

[1] Matth. III, 11. — [2] Luc. III, 9.

randa patieris, ab omnibus concisus, et illic supplicium lues æternum. Qui enim tales sunt, antequam fornacem illam futuram adeant, irrationabilium affectuum hic esca efficiuntur, ut paleæ sunt brutorum cibus : et illic rursus materia et cibus ignis erunt. Si statim dixisset : « Ipse judicabit de actibus ; » sermonem non ita probabilem reddidisset; cum autem parabolam admiscuit, et per eam omnia dispensavit, id ad persuadendum magis aptum erat ; et cum majori consolatione auditorem trahebat. Idcirco illos sæpe hac ratione alloquitur, aream, messem, vineam, torcular, agrum, sagenam, piscium capturam, et omnia quæ in usu erant, et in quibus versabantur, verbis suis admiscens. Id quod etiam Baptista hic fecit, dictorumque maximam demonstrationem protulit, Spiritus sancti donum. Qui enim tantum posset, ut etiam peccata dimitteret, et Spiritum daret, hæc multo magis facere poterit, aiebat. Vides-ne quomodo jam præmitteretur mysterium resurrectionis et judicii. Et qua de causa, inquies, non prædixit ea, quæ mox ab illo edenda erant, signa et miracula ? Quia hoc iis omnibus majus erat, et propter hoc illa omnia edita sunt. Nam cum caput poneret, omnia complectebatur, mortis solutionem, peccatorum destructionem, maledictionis amotionem, a diuturnis bellis liberationem, ingressum in paradisum, ascensum in cœlum, vitam cum Angelis ducendam, futurorum bonorum consortium. Nam hoc illorum pignus est. Cum ergo illud dixisset, dixit etiam corporum resurrectionem, signa hic edita, regni consortium, et bona « Quæ » oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non » ascenderunt[1]. » Hæc quippe omnia per donum illud nobis præbebat. Superfluum itaque erat de signis loqui mox futuris, et oculorum judicio probandis. Sed de illis erat loquendum, de quibus dubitabant illi; nempe, quod Filius

[1] 1 Cor. II, 9.

Dei esset, quod Joannem sine ulla comparatione præcederet, quod tolleret peccatum mundi, quod de operibus rationem exacturus esset, quod nostra non essent præsentibus rebus circumscripta; sed illic singuli dignum supplicium luituri essent. Hæc enim oculis subjicere tunc non licebat.

VII. Hæc itaque cum sciamus, magnum adhibeamus studium, dum in area sumus: licet enim hic versantibus ex palea in triticum converti, quemadmodum ex tritico multi palea sunt facti. Ne itaque concidamus, neque omni vento circumferamur, neque scindamur a fratribus nostris, licet exigui et viles esse videantur. Nam et frumentum palea minus est, quantum ad mensuram, quantum ad naturam autem melius. Ne sæculi pompas respicias: nam illæ igni sunt paratæ; sed eam, quæ secundum Deum est, humilitatem, solidam illam, indissolubilem, quæ scindi nequeat, neque ab igne comburi. Propter hos enim paleas patienter fert, ut ex illorum consortio meliores fiant. Ideo nondum judicium est, ut omnes pariter coronemur; ut a nequitia multi ad virtutem convertantur. Inhorrescamus igitur hanc parabolam audientes. Etenim inextinguibilis est ille ignis: et quomodo inextinguibilis, inquies? Annon vides hunc solem semper ardentem, et nunquam extinctum? Annon vidisti rubum ardentem, et non combustum? Si itaque et ipse vis flammam effugere, immisericordem esse prius desiste; sicque nullum sumes ignis illius experimentum. Nam si hic ea, quæ dicuntur, credideris, cum illuc transmigrabis, fornacem non videbis. Si hic non credideris, illic expertus certo scies, quando effugere ultra non poteris. Inevitabile namque supplicium est iis, qui recte vitam non instituerunt. Neque enim sufficit tantum credere; nam dæmones Deum horrentes timent, sed nihilominus cruciabuntur. Quamobrem multa nobis diligentia est opus ad vitam instituen-

dam. Ideo namque hic vos frequenter congregamus; non ut huc ingrediamini tantum, sed ut ex hac statione aliquem fructum percipiatis. Si vero semper accedatis, ac sine ullo fructu recedatis, nihil ex ingressu et consessu vobis lucri accedet. Etenim si cum pueros ad ludimagistros mittimus, si nihil eos inde fructus referre videamus, ludimagistros vehementer incusamus, et ad alios sæpe mittimus: quam excusationem proferemus si non eamdem in virtute, quam in terrenis rebus adhibeamus, diligentiam, sed vacuas semper tabulas domum reportemus? Quanquam plures et majores hic magistri sunt. Nam Prophetas et Apostolos et Patriarchas, et Justos omnes in singulis conventibus adhibemus. At ne sic quidem aliquis profectus deprehenditur. Sed postquam duos tresve Psalmos succinueritis, et consuetas orationes perfunctorie emiseritis, egressi deinde, putatis id vobis ad salutem esse satis. Non audistis Prophetam, imo Deum per Prophetam dicentem: « Populus hic » labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me [1]. » Ne igitur illud etiam nobis accidat, dele litteras, sive potius characteres, quos diabolus impressit in anima tua, et affer mihi cor sæcularibus tumultibus vacuum, ut pro lubito quæ mihi placeant inscribam. Nunc quippe nihil ibi aliud agnosci potest, nisi illius litteræ, rapinæ videlicet, avaritia, invidia, livor. Idcirco cum tabulas vestras accipio, ne legere quidem possum. Neque enim illas ibi invenio litteras, quas nos diebus dominicis inscribentes ibi relinquimus; sed alias pro aliis, informes et distortas. Deinde cum illis deletis, litteras ex Spiritu profectas inscripsimus, abeuntes vos, et diaboli operationibus corda vestra tradentes, facultatem ipsi præbetis ut nostris contrarias litteras rursum inscribat. Qui futurus sit horum finis etiamsi ego non dixerim, singulorum conscientia novit. Ego certe nunquam cessabo

[1] Isaï. XXIX, 13.

quæ mei sunt officii præstare, rectasque litteras inscribere. Si autem vos diligentiam nostram labefactetis; nobis quidem merces nostra manet immobilis; vobis autem non parvum periculum; verum nihil volo gravius proferre.

VIII. Sed vos obsecro et oro, ut parvulorum saltem diligentiam hac in re imitemini. Nam illi primo quidem litterarum formam ediscunt; deinde distortas illas ignoscere student: postea ad lectionem viam parant. Sic et nos faciamus: virtute in partes divisa, primo discamus non jurare, nec pejerare, neque maledicere. Deinde ad aliud elementum progressi, non invidere aliis, non corpora amare, non ventri indulgere, non inebriari, non inhumanos, non socordes esse; ut hinc rursus ad spiritualia transeuntes, operam demus temperantiæ, ventris neglectui, castitati, gloriæ contemptui, modestiæ, cordis contritioni, et hæc simul omnia copulemus, et in anima nostra inscribamus. Atque hæc omnia domi, cum amicis, cum uxore, cum filiis exerceamus. A prioribus autem et facilioribus incipiamus; exempli causa, a juramentorum abstinentia. Hoc elementum frequenter domi meditemur. Huic porro meditationi multa domi officiunt: nam famulus ad iracundiam provocat; uxor molesta iram excitat; filius immorigerus et inordinatus ad minas et juramentum deducit. Si itaque domi sæpius ab his concitatus, abstineas tamen a juramentis, facile poteris etiam in foro invictus perseverare: imo etiam id consequeris, ut nemini contumeliam inferas, non uxori, non famulo, non domesticorum cuipiam. Etenim uxor sæpe alium quempiam laudans, et sese miseram prædicans, virum incendit, ut illi maledicat. Tu vero ne iratus eo procedas, ut laudatum vituperes, sed omnia fortiter feras; etiamsi famulos tuos videas laudibus heros alios efferre; ne turberis, sed viriliter sustine. Sit tibi domus palæstra et certaminis locus: ut ibi probe exercitatus, cum multa

peritia in foro cum aliis congrediaris. Idipsum circa vanam gloriam facito. Si enim studueris a vana gloria abstinere cum uxore et liberis, et famulis, apud neminem alium tali morbo facile capieris. Ubique enim hic morbus gravis tyrannicusque est, maxime vero cum adest uxor. Si ergo tunc illum superemus, nullo negotio alibi profligabimus. Circa alios etiam animi morbos idipsum præstemus : domique adversus illos nos exerceamus, quotidie palæstram illam adeuntes. Utque facilior exercitatio illa evadat, nobis ipsis castigationem assignemus, si in quopiam propositum transgrediamur. Sit porro castigatio illa non damnum, sed mercedem et lucrum multum afferens ; exempli causa, si jejuniis asperis nos ipsos damnemus, si humi decumbamus, vel macerationem aliam adhibeamus. Sic enim multa undique nobis accedent lucra, et sic in virtute vitam suaviter agemus, futura consequemur bona, ac perpetuo Dei amici erimus. Sed ne eadem ipsa rursus eveniant, neu postquam ea, quæ hic dicta sunt, admirati fueritis, egressi, negligenter, oscitanterque, abjecta mentis vestræ tabula, hæc delendi ansam diabolo præbeatis ; unusquisque domum regressus, vocet uxorem, hæc illi denuntiet, ipsamque assumat adjutricem ; ab hac autem die in pulchram illam palæstram descendat, oleo usus Spiritus sancti auxilio. Etsi vero semel, aut bis, aut pluries in tali exercitio concidas, ne desperes : sed sta rursum et decerta, donec splendidam contra diabolum victoriam reportaveris, et in tutissimo virtutis thesauro depositum recondas. Nam si huic pulchræ philosophiæ assuescas, non ultra poteris ex segnitie mandata quælibet transgredi, consuetudine naturæ firmitatem imitante. Quemadmodum enim facile est dormire, comedere, bibere, respirare, ita nobis facilia erunt ea, quæ ad virtutem spectant, puramque illam assequemur voluptatem, in tuto portu constituti, et perpetua fruentes tranquillitate,

navimque magnis opibus onustam in civitatem illam appellentes in die illa, coronas consequemur non fluxas, quas utinam nobis nancisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

CAPUT III.

Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo [1].

Cum famulis [2] Dominus, cum reis Judex baptizandus venit. Sed ne turberis : nam in humilibus hujusmodi rebus ejus celsitudo maxime resplendet. Qui enim in virginali vulva tanto tempore gestari passus est, et inde cum natura nostra prodire, alapis cædi et crucifigi, et alia perpeti quæ passus est, quid miraris si baptizari dignatus sit, et cum aliis ad servum accedere? Illud enim stupendum erat, quod Deus cum esset, vellet homo fieri : cætera vero deinceps, secundum rectam rationem consequuntur. Ideo enim Joannes statim dixit se non esse dignum corrigiam calceamenti ejus solvere, cæteraque omnia, nempe quod Judex sit, quod pro merito singulis reddat, quodque Spiritum affatim daturus sit omnibus; ut cum videris eum ab baptismum venientem, nihil vile suspiceris. Idcirco præsentem illum cohibet dicens : « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad » me [3] ? » Quia enim baptismus pœnitentiæ erat, et in accu-

[1] Matth. III, 13. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 45-47. — [3] Matth. III, 14.

salionem peccatorum inducebat; ne quis putaret ipsum eodem animo ad Jordanem venire, hanc cogitationem corrigit, dum Agnum vocat, et peccatorum per orbem omnium Redemptorem. Qui enim totius humani generis peccata tollere potest, multo magis ipse impeccabilis erat. Ideoque non dixit: «Ecce impeccabilis;» sed, quod multo majus erat: « Qui tollit peccatum mundi; » ut cum hoc et illud omnino certum habeas, videasque illum alia quædam administrantem ad baptismum venire. Idcirco venienti illi dicebat: « Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? » Neque dixit: « Et tu baptizaris a me: » nam illud metuit dicere: sed quid? « Et tu venis ad me? » Quid igitur Christus? Quod erga Petrum postea, id tunc etiam fecit. Nam et ipse cohibebat illum ne pedes suos lavaret; sed cum audisset: « Quod ego facio tu nescis, scies autem postea [1], » et, « Non » habebis partem mecum [2], » statim a contentione destitit, et in contrarium mutatus est. Hic quoque similiter ut audivit: « Sine modo: sic enim decet nos implere omnem jus- » titiam [3], » statim obsecutus est. Neque enim pertinaciter erant contentiosi; sed amorem simul et obedientiam exhibebant, in omnibusque Domino obtemperare studebant. Considera autem quomodo illum ab eo inducat, a quo maxime putabat non par esse ita fieri: non enim dixit: « Sic justum est; » sed: « Sic decet. » Quia enim indignum omnino esse putabat, si ille a servo baptizaretur, hoc maxime ipsi contra opposuit, ac si dixisset: « Nonne id refugis et cohibes quasi indecorum? Propterea ergo « Sine, » quia admodum decorum est. » Neque simpliciter dixit: « Sine; » sed addidit: « Nunc. » Non enim perpetuo ita erit, inquit: sed in eo statu me videbis, quo desideras, at nunc hoc expecta. » Deinde ostendit quomodo illud deceat. Quomodo igitur decet? quia legem totam implemus; id quippe significa-

[1] Joan. XIII, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Matth. III, 15.

vit dicendo : « Omnem justitiam. » Justitia enim est mandatorum observatio. Quia igitur, inquit, alia omnia mandata implevimus, hoc autem unum superest, et illud quoque adjungi oportet. Veni quippe solvere maledictum, ex transgressione legis impositum. Oportet igitur me ipsum, cum totam legem implevero, et vos a damnatione liberavero, sic illam abrogare. Decet ergo me totam implere legem : quia decet etiam maledictum solvere contra vos in lege inscriptum. Ideo carnem assumpsi et adveni. « Tunc » dimisit eum. Et baptizatus Jesus, confestim ascendit de » aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli. Et vidit Spiritum Dei » descendentem sicut columbam, et venientem super eum [1]. »

II. Quia enim multo majorem illo Joannem esse putabant, eo quod in deserto semper vixisset, filius sacerdotis esset, talique indutus vestimento, atque omnes ad baptismum vocaret, exque sterili natus esset; Jesus vero ex obscura puella natus : partus enim ex Virgine nondum omnibus erat notus : quodque domi nutritus, cum omnibus versatus et vulgari veste esset indutus; minorem ipsum esse putabant, quia nihil adhuc ex arcanis illis viderant. Contigit autem et ipsum a Joanne baptizari : id quod illam maxime firmabat opinionem, etiamsi nihil aliud ex dictis præcessisset. Cogitabant enim eum esse quempiam a vulgo : alioquin enim, nisi de vulgo esset, non cum turba ad baptismum venturus erat : Joannes vero major et longe mirabilior esse putabatur. Ne igitur illa apud multos sententia prævaleret, cum ipse baptizatus fuisset, cœli aperti sunt, Spiritus descendit, et vox cum Spiritu prædicans hujusce Unigeniti dignitatem. Quia enim hæc vox quæ dicebat : « Hic est Filius meus dilectus [2], » multo magis Joanni competere apud plurimos visa fuisset; neque enim addiderat : « Hic qui baptizatur, » sed « Hic » simpliciter et auditorum

[1] Matth. III, 16. — [2] Ibid. 17.

singuli id potius de baptizante, quam de baptizato dici suspicati fuissent, tum ob ipsam Baptistæ dignitatem, tum ob ea omnia, quæ jam dicta sunt; venit Spiritus columbæ specie, qui vocem traheret ad Jesum, omnibusque declararet vocem illam « Hic, » non de Joanne baptizante, sed de Jesu baptizato proferri. Et quare, inquies, his ita gestis, non crediderunt? Quia etiam sub Moyse multa patrata sunt miracula, etiamsi non talia : et tamen post illa omnia, post voces et tubas, et fulgura, vitulum conflarunt, et Beelphegori initiati sunt. Ipsique etiam, qui tum præsentes erant, cum Lazarum suscitatum vidissent, tantum abfuit ut crederent talia patranti, ut etiam illum occidere sæpe tentarent. Si igitur præ oculis habentes mortuorum resurrectionem, ita erant increduli et pravi, quid miraris si vocem illam supernam non exceperunt? Cum enim improba et perversa est anima, livorisque morbo affecta, nulli cedit miraculo; contra vero cum proba est, omnia cum fide accipit, imo neque his admodum opus habet. Ne igitur quæras cur non crediderunt : illud tibi quærendum esset si non facta fuissent omnia, quæ ad credendum inducere debebant. Etenim per Prophetam Deus super hæc omnia, quæ ab se præstari debuerunt, hunc defensionis modum affert. Quia enim futurum erat ut Judæi perirent, et extremo supplicio traderentur, ne quis ex ipsorum nequitia ejus providentiam culparet, ait : « Quid me oportuit facere » vineæ huic, et non feci[1]? » Idipsum hic consideres oportet, quid oportebat fieri, et non factum est. Et si quando de providentia Dei sermones moveantur, hoc defensionis modo utere adversus eos, qui de multorum improbitate ipsam criminari conantur. Perpende igitur quam mirabilia perpetrentur, et futurorum initia : non enim paradisus, sed cœlum aperitur. Verum hæc contra Judæos oratio in aliud

[1] Isaï. v, 4.

tempus differatur. Nunc autem, Deo juvante, ad ea quæ jam tractamus sermo referatur : « Et baptizatus Jesus, ascendit » confestim ex aqua, et ecce aperti sunt ei cœli. » Cur aperti sunt cœli? Ut discas, cum tu baptizaris, idipsum fieri, Deo te ad cœlestem patriam vocante, et suadente ut nihil cum terra commune habeas. Quod si id non vides, ne tamen fidem neges. Nam in principiis semper admirandarum spiritualiumque rerum visiones apparent sensum moventes et signa hujusmodi, idque stupidorum hominum causa, qui sensili visione opus habent, neque possunt aliquam incorporeæ naturæ ideam admittere, sed ad visibilia tantum obstupescunt; ut etiamsi postea talia non eveniant, et quæ semel et in principio facta sunt similia, ad fidem iis habendam deducant. Nam et super Apostolos sonus factus est Spiritus vehementis, et linguarum ignearum species apparuere; non propter Apostolos, sed propter eos, qui tunc præsentes erant, Judæos. Attamen licet sensilia signa non fiant, quæ per illa semel demonstrata sunt admittimus. Nam et columba ideo tunc visa est, ut quasi digito quodam præsentibus et Joanni Filium Dei monstraret. Neque ideo tantum, sed etiam ut tu disceres etiam super te baptizatum, Spiritum descendere.

III. Demum non opus nobis est sensili visione, cum fides vice omnium satis sit. Signa quippe non credentibus, sed incredulis dantur. Cur autem in columbæ specie? Mansuetum est animal et mundum. Quia igitur Spiritus, mansuetudinis est Spiritus, ideo illa forma apparuit. Alioquin autem veterem historiam nobis in memoriam revocat. Nam cum olim communi naufragio totum orbem invadente, totum prorsus hominum genus periclitaretur, hoc animal apparuit, et tempestatis finem ostendit, ac ramum olivæ rostro tenens, communem orbis tranquillitatem nuntiavit. Quæ omnia figura futurorum erant. Tunc enim multo deteriore

conditione res hominum erant, ac multo majore illi erant supplicio digni. Ne desperes igitur, hanc tibi historiam in memoriam revocat. Nam tunc desperatis rebus, exitus tamen quidam et emendatio fuit. Sed tunc per supplicium, nunc vero per gratiam et donum ineffabile. Ideoque columba apparet, non ramum olivæ ferens, sed omnium malorum liberationem nobis ostendens, bonamque spem exhibens. Neque enim ex arca unum educit hominem; sed cum apparet, totum orbem attollit in cœlum, et pro olivæ ramo adoptionem filiorum communi orbis generi affert. Magnitudinem ergo doni tecum reputans, ne minorem ejus dignitatem existimes, quod in tali specie appareat. Nam quosdam audio dicentes tantum esse hominem inter et columbam discrimen, quantum inter Christum et Spiritum; quia ille in natura nostra, hic in specie columbæ ap paruit. Quid ad hæc dicendum est? Scilicet Filium Dei naturam hominis assumpsisse; Spiritum vero non naturam accepisse columbæ. Ideo Evangelista non in natura, sed in specie columbæ dixit; neque postea unquam hac figura visus est, sed tunc tantum. Si porro ejus ideo dignitatem minorem dicas, hoc ratiocinandi modo Cherubini illo majores reperientur, et quantum aquila major est columba: nam illi hanc suscepere speciem, et Angeli quoque præstantiores, qui hominum specie sæpe apparuerunt. At non ita, non ita utique res se habet. Nam aliud est veritas œconomiæ, aliud temporaneæ visionis concessio. Ne itaque ingratus sis erga benefactorem, neque contrariam repende vicem ei, qui tibi beatitudinis fontem donavit. Ubi enim est adoptionis dignitas, ibi et malorum depulsio, et bonorum omnium munus. Ideo judaïcum quidem baptisma abrogatur, nostrum autem exordium habet; atque idipsum quod in paschate, in baptismate quoque contigit. Nam cum utrumque pascha celebraverit, alterum abrogavit, alteri vero principium

dedit. Et hic rursum, cum judaïcum baptisma implevit, tunc et Ecclesiæ baptismatis januas aperit; sicut tunc in una mensa, sic nunc in uno flumine, et umbram delineans, et veritatem addens. Spiritus quippe gratiam hoc solum baptisma habet; Joannis vero baptisma hoc dono vacuum erat. Ideoque dum alii omnes baptizarentur, nihil tale contigit; sed in illo tantum qui illud traditurus erat; ut cum supradictis hoc quoque discas, non puritatem baptizantis, sed baptizati virtutem id fecisse. Tunc itaque et cœli aperti sunt, et Spiritus supervenit. Nam a veteri vivendi genere nos jam traducit ad novum, januas supernas aperiens, et Spiritum inde mittens ad illam patriam vocantem; nec tantum vocantem, sed et cum dignitate maxima. Non enim Angelos et Archangelos fecit, sed filios Dei et dilectos; sic nos ad illam sortem attrahit.

IV. Hæc cogitans omnia, et dilectione vocantis, et consortio illo cœlesti et collato honore dignam ducas vitam oportet; mundo crucifixus, et mundum in te crucifigens, cum omni diligentia cœleste institutum exibe. Neque quia corpus tuum nondum translatum est in cœlum, putes te aliquid cum terra commune habere. Caput enim tuum habes in cœlo sedens. Ideoque Dominus, cum prius huc venisset, Angelosque secum adduxisset, tunc, te assumpto, illuc abiit; ut tu antequam illuc ascendas, ediscas posse te terram ut cœlum incolere. Perseveremus itaque nobilitatem servare, quam ab initio suscepimus, regiamque illam cœlestem quotidie quæramus, ac præsentia omnia umbram et somnium esse putemus. Neque enim si quispiam rex terrenus te mendicum et pauperem repente in filium adoptaret, tugurium tuum ejusque vilitatem ultra respiceres, etiamsi hæc non grandi intervallo separantur. Ne itaque hic quidpiam ex prioribus in mente verses: nam ad longe meliora vocatus es. Cum enim is, qui vocat, Angelorum Dominus sit, bona tibi collata

rationem omnem et mentem superant. Non enim a terra in terram te transfert ut ille rex; sed a terra in cœlum, et a mortali natura in gloriam immortalem et ineffabilem, quæ tunc tantum clare poterit perspici, cum illa fruemur. Talia tamen consecuturus bona, pecunias mihi commemoras, terrenamque pompam retines? nec putas hæc omnia, quæ sub aspectum cadunt, mendicorum pannis esse viliora? Et quomodo tanto honore dignus habearis? Quam defensionem proferre possis? Imo potius quas pœnas non lues, cum post tantum donum ad priorem vomitum curras? Non enim ultra ut homo, sed ut filius Dei peccatorum pœnas dabis, tibique honoris magnitudo ad majus supplicium viam parabit. Siquidem nos, peccantes servos, et filios delinquentes non pari supplicio plectimus, cum maxime illi magna sunt a nobis beneficia consecuti. Nam si is, qui paradisum in sortem acceperat, quod semel transgressus esset, tanta post honorem pertulit mala; nos qui cœlum accepimus, atque Unigeniti cohæredes facti sumus, quam impetrabimus veniam, si ad serpentem, relicta columba, curramus? Non enim ultra audiemus, « Terra es, et in terram reverteris, » neque, « Operare terram[1], » vel alia olim dicta; sed longe his graviora, tenebras exteriores, vincula insolubilia, vermem venenosum, stridorem dentium, et jure quidem. Qui enim nec post tantum beneficium melior evadit, jure extremas et gravissimas pœnas dabit. Aperuit olim et clausit cœlum Elias; sed ita ut pluviam aut demitteret aut retineret: tibi vero non ita cœlum aperitur, sed ut illuc ascendas; quodque majus est, ut alios tecum ducas si velis: tantam tibi in suis omnibus fiduciam et potestatem dedit. Quoniam igitur ibi domus nostra est, illic omnia deponamus, et nihil hic relinquamus, ne illa perdamus. Hic enim etiamsi clavem adhibeas, et portas, et vectes, si mille ser-

[1] Gen. III, 19.

vos sistas, et insidiatores omnes declines, etiamsi invidorum oculos effugias, etsi tineas, etiamsi perniciem quam vetustas affert, quod tamen fieri nequit; mortem certe non effugies: unoque temporis momento hæc omnia auferentur: nec modo auferentur, sed etiam sæpe in manus inimicorum tradentur. Si vero in domum illam transmittas, omnibus his superior eris. Neque enim claves, vel portas, vel vectes adhibere oportet, usque adeo munita est illa civitas, tam inexpugnabilis locus, tam inaccessus corruptioni et malignitati.

V. Annon extremæ dementiæ est, ibi omnia accumulare ubi deposita pereunt et corrumpuntur; ubi vero intacta manent et augentur, ibi ne minimam eorum partem deponere, cum maxime ibi sine fine victuri simus? Ideo gentiles fidem negant iis quæ dicimus; nam ex factis, non ex dictis demonstrationem a nobis exigunt. At cum vident nos ædes extruere splendidas, hortos et balnea parare, agros emere, nolunt credere nos profectum in aliam civitatem parare. Nam si ita esset, aiunt, omnia quæ hic habent in argentum commutata, illic deponere præverterent. Conjecturamque ducunt ex iis quæ hic fieri solent. Opulentiores quippe videmus in illis maxime urbibus domos, agros, aliaque omnia comparare, in quibus sedes posituri sunt: sed nos contra facimus, terram, quam paulo post relicturi sumus, magno cum studio possidemus, nec pecunias modo; sed sanguinem etiam pro paucis terræ jugeribus et domibus fundimus; ad cœlum vero comparandum, ne superflua quidem erogare volumus, etiamsi illud parvo pretio ematur, et in sempiternum possideatur, si emamus. Propterea extremas dabimus pœnas, cum nudi et pauperes eo migrabimus; imo potius non ob paupertatem nostram, sed quod alios in hanc miseriam conjecerimus, intolerabili calamitati subjiciemur. Nam cum gentiles videant his studiis deditos tantis frui

mysteriis, multo magis et ipsi præsentibus rebus addicentur, ingentem ignem supra caput nostrum accumulantes. Cum enim nos qui præsentium rerum contemptum illos docere debemus, maxime omnium illarum in eis cupiditatem excitemus, quomodo salutem consequi poterimus, qui aliorum perniciei pœnas subire debeamus? Non audis Christum dicentem se pro sale et lampadibus nos reliquisse in hoc mundo, ut voluptate diffluentes constringamus, et pecuniæ studiis obtenebratos illuminemus? Si ergo illos magis in tenebras conjiciamus, et molliores reddamus, quæ nobis spes salutis erit? Nulla: sed ejulantes et dentibus stridentes, ligatis pedibus manibusque, in gehennæ ignem conjiciemur, postquam divitiarum sollicitudo nos plane confecerit. Hæc itaque cogitantes, omnia talis fallaciæ vincula solvamus, ne in illa incidamus, quæ igni inextinguibili nos traditura sunt. Nam qui divitiis servit, et catenis hic et catenis illic perpetuo astrictus erit; qui autem ab hac cupiditate liber est, utraque libertate potietur. Quam ut nos quoque assequamur, contrito gravi illo avaritiæ jugo, ad cœlum advolare contendamus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

CAPUT IV.

Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo [1].

Tunc[2], quandonam? post descensum illum Spiritus sancti, post vocem illam superne delatam et dicentem : « Hic est » Filius meus dilectus, in quo mihi complacui [3], » Quodque mirum est, « A Spiritu sancto : » hic enim ipsum adduxit illuc. Quia enim omnia ad docendum nos fecit et passus est, illuc adduci, et cum diabolo pugnam committere voluit : ut unusquisque baptizatorum, si post baptismum majores sustineat tentationes, ne turbetur, quasi insperatam rem expertus ; sed maneat fortiter omnia ferens, utpote re secundum rectam seriem accidente. Etenim ideo arma accepisti, non ut otieris, sed ut pugnes. Ideo ingruentes tentationes non impedit Deus : primo quidem ut discas te multo fortiorem factum ; deinde ut moderate sapias, neque donorum magnitudine extollaris, cum te tentationes reprimant : ad hæc vero, ut malignus ille dæmon, an ab se discesseris dubitans, tentationum experimento certior fiat, te ipso prorsus relicto, abscessisse; quarto ut fortior et ipso ferro solidior sic evadas ; quinto ut thesauri tibi crediti certum habeas argumentum. Neque enim te invasisset diabolus, nisi te in majore positum honore vidisset. Hac de causa enim ab initio insurrexit in Adamum, quia multa illum frui vide-

[1] Matth. IV, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 48-62. — [3] Matth. IV, 17.

bat dignitate. Ideo et contra Jobum aciem instruxit, quia illum coronatum et ab universorum Deo celebratum videbat. Et cur dicit : « Orate ne intretis in tentationem [1] ? » Propterea Jesum non ultro euntem exhibet ; sed adductum secundum œconomiæ rationem, subindicans non insiliendum esse, sed si adducamur, fortiter esse standum. Et considera quo illum Spiritus duxerit, non in urbem, nec in forum, sed in desertum. Quia enim diabolum ipsum volebat allicere, non ex fame tantum, sed etiam ex loco occasionem illi præbuit. Tunc enim maxime diabolus ingruit, cum solos videt ac seorsim agentes. Sic mulierem initio aggressus est, solam adiens, absente viro. Cum enim aliquos simul et congregatos videt, non audet invadere. Ideo oportet hac maxime de causa frequenter congregari, ne diabolo captu faciles simus. Invenit ergo illum diabolus in deserto, et in solitudine invia. Quod enim talis esset solitudo, Marcus significat his verbis : « Erat cum bestiis [2]. » Perpende cum quanta vafritie et nequitia accedat, et quod tempus observet. Non enim jejunantem adit, sed esurientem, ut discas quantum bonum sit jejunium, quantumque sit contra diabolum telum, et quod post baptismum non deliciis, non ebrietati, non mensæ, sed jejunio opera sit danda. Propterea enim ille jejunavit, non quod jejunio opus haberet, sed ut nos erudiret ; quia peccata ante lavacrum ventris crapula intulerat. Quemadmodum si quis ægrotum ad sanitatem ab se reductum jubeat non illa facere unde morbus illatus est ; sic et ille post lavacrum induxit jejunium. Nam et Adamum intemperantia ventris ex paradiso ejecit, et diluvium tempore Noë illa induxit, atque in Sodomitas fulmina immisit. Etiamsi enim utrobique fornicationis crimen erat, attamen utriusque supplicii radix inde prodiit : quod et Ezechiel indicans dicebat : « Verumtamen

[1] Matth. xxvi, 41. — [2] Marc. i, 13.

» hoc erat peccatum Sodomorum, quoniam in superbia et » in saturitate panum, et in abundantia lasciviebant [1]. » Sic et Judæi maxima perpetrarunt mala, ab ebrietate et ciborum deliciis in iniquitatem impingentes.

II. Ideo et ipse jejunat quadraginta diebus, salutis nobis remedia ostendens, neque ulterius procedit, ne ob excessum miraculi, œconomiæ veritas non crederetur. Nunc enim minime illud timendum: quoniam Moyses et Elias Dei potentia fulti, ad illam jejunii diuturnitatem pertingere potuerunt. Si autem ulterius progressus fuisset, hinc plurimis incredibilis visa fuisset carnis assumptio. « Cum jejunasset ergo quadraginta diebus et quadraginta noctibus, » postea esuriit [2]: » occasionem accedendi diabolo præbens, ut congressus ostenderet quomodo oporteret superare ac vincere. Sic et athletæ faciunt: nam ut discipulos suos doceant quomodo vincere oporteat, ultro cum aliis in palæstra se complicant, in adversariorum corporibus spectaculum ipsis exhibentes, ut vincendi modum ediscant. Quod tunc etiam factum est. Quia enim diabolum volebat ad certamen attrahere, famem notam ipsi fecit, accedentem excepit, exceptumque semel, bis et ter, ipsum cum facilitate sibi competente prostravit. Sed ne has victorias prætercurrentes, utilitati vestræ aliquid detrahamus, a primo congressu orsi, singulos deinde accurate exploremus. Quoniam esuriit, ait: « Accedens tentator dixit ei: Si filius » Dei es, dic ut lapides isti panes fiant [3]. » Quia enim audierat vocem de cœlo dicentem: « Hic est Filius meus di- » lectus; » audierat item Joannem tanta de ipso testificantem; deindeque vidit illum esurientem, incertus demum erat; neque enim ipsum hominem esse purum credere poterat, ob ea quæ de illo dicta fuerant, neque eum Filium Dei admittere, quod videret illum esurire. Quapropter du-

[1] Ezech. xvi, 48. — [2] Matth. iv, 2. — [3] Ibid. 3.

bius animi, dubias emittit voces. Ac quemadmodum Adamo in principio obviam veniens, quæ non erant fingit, ut quæ erant ediscerct; ita et nunc, cum non clare cognosceret arcanum œconomiæ mysterium, nec quis esset ille tunc præsens, alia nectere retia molitur, quibus putabat id, quod absconditum obscurumque erat, se discere posse. Ecquid ait? « Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. » Non dixit: « Quoniam esuris; » sed, « Si Filius Dei es, » putans se posse illum pellicere. Ideo famem tacuit, ne videretur illud ipsi proferre ut exprobraret. Cum non nosset enim rerum, quæ dispensabantur, magnitudinem, id illi probro fore putabat : quapropter adulantis more subdole dignitatem ejus solam memorat. Quid igitur Christus? Fastum ejus deprimens, ostendensque nec probrosum id esse quod acciderat, nec sapientia sua indignum quod ille adulando tacuerat, hoc in medium profert ac dicit : « Non in solo pane » vivet homo [1]. » Sic a necessitate ventris incipit. Tu vero mihi maligni dæmonis versutiam perpende, et unde certamen incipiat, et quomodo suæ non obliviscatur artis. Ab iis enim quibus primum hominem dejecerat, ac sexcentis malis circumdederat, ab iisdem dolum nectit, de ventris intemperantia loquor. Multos etiam nunc stultos audire est, qui dicunt sexcenta per ventrem mala illata esse. At Christus ostendens virtute præditum non posse hac tyrannide compelli ad quædam contra decorem admittenda, et esurit, et jussui non paret, docens in nullo obsequi diabolo nos oportere. Quia enim primus homo hoc pacto Deum offenderat legem transgressus, ex abundanti te docet, etiamsi id, quod ille jubet, transgressio non sit, ne sic etiam obtemperandum esse. Ecquid transgressionem dico? Etsi quid utile dicant dæmones, inquit, ne sic quoque illis attendas. Sic enim ille dæmonas loqui voluit, prædicantes ipsum esse Dei

[1] Matth. IV, 4.

Filium. Paulus item idipsum clamantes increpavit, etiamsi id, quod dicebant, utile esset; sed illos magis magisque deprimens, eorumque contra nos insidias obstruens, etiam cum salutaria dogmata prædicarent, propulsabat, eorum obstruens ora, ipsisque silentium imperans. Idcirco neque hic Christus dictis annuit. Sed quid ait? « Non in solo pane vivet homo. » Quod vero dicit hujusmodi est: « Potest Deus etiam verbo esurientem alere, » ex veteri Scriptura testimonium afferens, ac docens, quamvis esuriamus, quamvis aliud quidpiam patiamur, nunquam a Domino absistendum esse.

III. Quod si quis dixerit: « Certe oportebat id exhibere; » respondebo ipsi: « Cur et qua de causa? » Non enim, ut crederet, id ille dicebat, sed ut quantum opinabatur, de incredulitate ipsum convinceret. Quandoquidem primos homines sic decepit, et demonstravit ipsos non multum Deo credere. Nam contraria iis, quæ Deus dixerat, ipse pollicitus, inani eos spe inflans, atque in incredulitatem conjiciens, sic etiam ex iis, quæ possidebant, bonis dejecit. Verum Christus sese monstrat, neque diabolo, neque Judæis eadem quæ diabolus sentientibus, obtemperantem, nos ubique docens, etiamsi possimus aliquid operari, nihil tamen temere et sine causa faciendum esse, imo nec si necessitas instet, diabolo esse obtemperandum. Quid igitur execrandus ille victus fecit? Postquam suadere non potuerat ut jussum exequeretur, etiam tanta instante fame, ad aliud procedit dicens: « Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: » Quoniam Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te[1]. » Cur singulis tentationibus hoc præmittit, « Si » Filius Dei es? » Quod jam prius fecerat, id et nunc facit. Sicut enim tunc Deo detrahebat his verbis: « « Quacumque die comederitis, aperientur oculi vestri[2]: » his osten-

[1] Matth. IV, 6, et Psal. XC, 11. — [2] Gen. III, 5.

dere volens ipsos deceptos ac delusos fuisse, nihilque beneficii accepisse; ita et hic idipsum subindicans ait: « Te frustra filium vocavit, ac dono te fefellit: certe si non ita se res habeat, ostendas nobis oportet te talem habere potestatem. » Deinde quoniam ex Scripturis ipsum alloquutus erat, ipse quoque Prophetæ testimonium affert. Cur ergo Christus non indignatus, non exasperatus est; sed cum mansuetudine multa rursus ex Scripturis ipsum alloquitur, dicens: « Non tentabis Dominum Deum tuum [1]? » Ut nos doceat, non per signa, sed per patientiam superandum diabolum esse, nihilque omnino ad ostentationem esse faciendum. Ejus porro stultitiam vel ab eo quod attulit testimonio perpende. Nam testimonia a Domino allata, ambo admodum opportune adhibita sunt; quæ autem ab illo usurpantur, temere et inepte proferuntur, nec ad rem propositam accommodata sunt. Neque enim illud, « Scriptum » est: Angelis suis mandavit de te, » suadet sese præcipitem dare: alioquin vero, non de Domino hoc dicitur. Attamen hoc ille non refellit, etsi contumeliose diabolus dicto usus fuisset, valdeque contrario sensu. Nemo enim a Filio Dei hoc petit, sed diaboli et dæmonum consilium est se deorsum mittere: Dei vero, jacentes erigere. Nam si potentiam ostendere oporteret, non seipsum mittendo, vel præcipitando, sed alios servando, id fecisset. Seipsum enim in prærupta et præcipitia mittere, ad diaboli phalangem pertinet. Sic igitur ille seductor ubique agere solet. Sed his dictis Christus, non se tamen revelabat; sed quasi homo ei interim loquitur. Nam quod dixit: « Non in solo pane » vivit homo, » neque illud; « Non tentabis Dominum Deum » tuum, » non sese admodum manifestantis erat, sed sese ex cæterorum hominum numero declarantis. Ne mireris porro si Christum alloquens, se circum sæpe vertat. Quem

[1] Matth. IV, 7, et Deut. VI, 16.

admodum enim pugiles, cum letalia accipiunt vulnera, sanguinem circumemittentes, et vertigine capti circumferuntur; sic et ille a prima et secunda plaga obtenebratus, quæ in mentem veniunt simpliciter profert, et ad tertium congressum procedit. « Et assumpto eo in montem excel-» sum, ostendit ei omnia regna; et dixit: Hæc omnia tibi » dabo si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei: « Vade re-» tro me, Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum » adorabis, et illi soli servies [1]. » Quia enim jam in Patrem ipsum peccaverat, omnia quæ illius erant sua esse dicens, et se Deum profiteri studebat, ut creatorem universi; tunc increpavit, neque cum vehementia, sed simpliciter: « Vade » retro me, Satana. » Quod jussum magis erat, quam increpatio. Simul quippe dixit: « Vade, » et fugavit illum: neque enim alias ipsi tentationes obtulit.

IV. Et quomodo, inquies, Lucas ait ipsum omnem tentationem consummavisse? Videtur mihi, ut capita tentationum diceret, omnes dixisse, quasi aliis hoc numero comprehensis. Nam hæc mala, innumera alia complectuntur, ventri servire, ad vanam gloriam quid agere, furioso pecuniarum amore teneri. Quod cum sciret sceleratus ille, omnibus valentiorem insanabilem habendi cupiditatem ultimam posuit; id jam ante et a principio parturiens; sed postremum servans, utpote validius cæteris. Hæc quippe ipsius certaminis lex est, ut quæ videntur ad supplantandum aptiora, postrema afferat. Quod etiam circa Jobum fecit. Idcirco hic orsus ab iis quæ videbantur infirmiora esse, ad valentius procedit. Quomodo autem hoc malum vincere oportet? Ut Christus docuit, ad Deum confugiendo: ita ut nec fame concidamus, credentes ei qui potest etiam verbo pascere, nec in bonis quæ accepimus, datorem tentemus; sed superna gloria contenti, humanæ

[1] Matth. IV, 8, 10, et Deut. VI, 13.

nullam habeamus rationem, et ubique quod superfluum est, despiciamus. Nihil enim ita diabolo subditum reddit, ut insatiabilis habendi cupiditas, et avaritia. Idque ex iis quæ nunc eveniunt cernere est. Sunt enim qui dicant : « Hæc omnia tibi dabimus, si cadens adoraveris : » homines quidem natura, sed instrumenta diaboli effecti. Nam et tunc non per se solum, sed per alia quædam ipsum aggressus est : quod declarans Lucas dicebat : « Ad tempus » discessit ab illo [1], » declarans ipsum postea cum propriis sibi instrumentis accessisse. « Et ecce Angeli accesserunt, » et ministrabant ei [2]. » Cum enim conflictus erat, non sivit illos apparere, ne mox capiendum perterrefaceret. Postquam illum confutavit et fugavit, tunc apparent illi. Ut discas te quoque, postquam illos viceris, ab Angelis excipiendum esse plaudentibus, ac per omnia stipantibus. Sic enim et Lazarum post fornacem paupertatis, famis et angustiæ, Angeli excipientes abierunt. Siquidem, ut jam dixi, multa Christus nunc ostendit, quibus nos fruemur. Quia igitur hæc omnia propter te facta sunt, hanc imitare et æmulare victoriam. Et si quis ex illius dæmonis ministris te adeat, qui talia sapiat, exprobrans tibi ac dicens : « Mirabilis magnusque es, montem transfer ; » ne turberis, ne movearis ; sed cum mansuetudine responde, ut Dominum audisti dicentem : « Non ten- » tabis Dominum Deum tuum. » Sin ille gloriam potentiamque offerens atque immensam vim divitiarum, adorare te jŭbeat, sta fortiter. Non enim contra communem Dominum nostrum omnium tantum hoc fecit diabolus; sed etiam quotidie in singulos ejus servos has admovet machinas, non tantum in montibus, in desertis, sed etiam in urbibus, in foris, in tribunalibus; neque per se solum, sed et per homines cognatos nostros. Quid igitur faciendum?

[1] Luc. IV, 13. — [2] Matth. IV, 11.

Non credendum ei, auresque sunt obstruendæ, adulatorque odio habendus : et cum majora promittit, tum magis aversari eum oportet. Siquidem et Evam cum spe majore extulit, tunc dejecit, maximaque ipsi intulit mala. Hostis quippe est inexorabilis, bellumque contra nos suscepit implacabile. Nec ita nos saluti nostræ studemus, ut ille nostræ pernicici. Aversemur itaque illum, non verbis tantum, sed etiam operibus : non mente solum, sed actibus; nihilque quod ipsi placitum sit faciamus, sic omnia quæ Deo placita sunt faciemus. Nam multa ille pollicetur, non ut det, sed ut accipiat. Ex rapina pollicetur, ut auferat regnum et justitiam; thesauros in terra ceu laqueos tendens atque casses, ut et his et cœlestibus privet thesauris : vult nos hic ditescere, ne illic ditescamus. Sin non possit nos per divitias ab illa sorte ejicere, alteram, per paupertatem nempe, viam init : quod in Job fecit. Cum videret enim nihil ei nocuisse divitias, per paupertatem retia nectit, hac via sperans se victoriam reportaturum esse : quo quid stultius esse possit? Qui enim divitias temperanter ferre potuit, multo magis paupertatem fortiter feret : et qui præsentes divitias non concupivit, absentes non quæret, quemadmodum neque Beatus ille; sed ex paupertate rursum splendidior effectus est. Nam divitias quidem auferre potuit malignus ille dæmon; charitatem vero erga Deum non modo auferre non potuit, sed etiam ferventiorem reddidit, ipsumque nudatum omnibus, pluribus curavit splendere bonis; ideoque quid consilii caperet nesciebat. Quo plures enim infligebat plagas, eo valentiorem cernebat. Ideoque omnibus tentatis et adhibitis, quia nihil magis proficiebat, ad vetus illud telum currit, uxorem nempe, et assumpta providentiæ larva, calamitates ejus miserabiliter et tragice describit; et simulat se perniciosum illud dare consilium, ut ille a malis prorsus liberetur. Sed neque ita prævaluit :

vir enim ille admirandus ejus escam animadvertit, ac cum multa prudentia uxori, ejus suasu loquenti, os obstruxit.

V. Id quod etiam nos facere convenit; etiamsi fratris, etiamsi amici, etsi uxoris vel alterius cujusque personam induens, non congruentia loquatur, non ex persona loquentis consilium excipere; sed ratione perniciosi consilii hæc dicentem aversari debemus. Siquidem nunc etiam similia multa facit, et miserationis larvam assumit; ac dum benevolus videtur, perniciosa et quovis veneno deteriora fundit verba. Nam ad nocumentum adulari, diaboli; ad bonum præstandum corripere, Dei est. Ne itaque decipiamur, neque per omnem modum tranquillam sectemur vitam. « Quem enim diligit Deus, castigat [1], » inquit. Cum itaque improbe viventes rebus prosperis fruimur; tunc maxime doleamus : peccantes enim semper timere oportet; tum vero maxime cum triste nihil patimur. Quando enim per partes Deus pœnas exigit, leviorem parat vindictam; quando autem scelera singula fert patienter, in magnam nos in iis perseverantes reservat ultionem. Nam si probis necessaria est afflictio, multo magis peccantibus. Vide namque quantam Dei patientiam expertus Pharao, extremum denique pro omnibus luit supplicium; quot criminum reus Nabuchodonosor, omnium tandem pœnas luit; dives item, quia nihil hic ærumnarum passus erat, ideo maxime miser fuit, quia in hac vita deliciatus, illuc abiit omnium pœnas daturus, ubi nullam in malis consolationem reperire erat. Attamen quidam sunt ita frigidi et stulti, ut præsentia tantum semper quærant, et hæc ridicula verba proferant : « Interim præsentibus fruar omnibus, tunc de incertis prospiciam, ventri indulgebo, voluptatibus serviam, abutar præsenti vita : da mihi hodiernum diem, et accipe crastinum. » O ingentem sultitiam! In quo

[1] Prov. III, 12.

ab hircis et porcis differunt qui talia loquuntur? Nam si eos, qui ad uxorem proximi sui hinniunt [1], non sinit Propheta homines reputari, quis nos culpabit si hos hircos, porcos et asinis insipientiores esse existimemus, qui clariora iis quæ oculis videntur, incerta esse putant? Si enim nulli alii credis, dæmonibus saltem asta dum verberantur; iis scilicet, qui in perniciem nostram nihil non dicunt et agunt. Neque enim hoc negaturus es, ipsos nempe nihil non agere ut desidiam nostram augeant, gehennæ metum auferant, efficiantque ut futuro judicio fidem negemus. Attamen qui hæc cupiunt, clamantes et ululantes sæpe, tormenta illic adhibita prædicant. Unde igitur hæc dicunt, et contra quam volunt loquuntur? Non alia de causa, quam quod majori cruciatu cogantur. Neque enim vellent sponte confiteri, vel se a mortuis hominibus torqueri, vel se omnino grave quidpiam pati. Qua ergo de causa hæc a me dicta sunt? Quia dæmones, qui nolunt credi gehennam, tamen gehennam confitentur : tu vero qui tanto dignaris honore, quique ineffabilium consors es mysteriorum, nec illos imitaris, sed etiam illis deterior factus es. Ecquis, inquies, ab inferno venit, et hæc nuntiavit? Sed et de cœlis quis venit, dixitque Deum esse qui omnia creavit? Quod autem animam habeamus unde palam est? Si enim illa solum quæ sub aspectum cadunt crediturus es, ac de Deo, de Angelis, de mente et de anima dubitas, sic tibi omnia veritatis dogmata pessum ibunt. Atqui si sub sensum cadentibus tantum vis credere, invisibilibus magis quam visibilibus credas oportet. Quod si stupendum videatur id quod dixi, attamen verum, et apud mente præditos in confesso est. Oculi enim sæpe falluntur, non in invisibilibus tantum; hæc quippe non norunt; sed in illis etiam quæ cernere sibi videntur : obstante scilicet aut distantia, aut aëre, aut mente alio in-

[1] Jer. v, 8, et Ezech. xxii, 11.

tenta, aut ira, aut sollicitudine, aut sexcentis aliis obicibus accurationem tollentibus. Animæ autem cogitatio, si divinarum Scripturarum luce perfundatur, accuratius ac certius rerum judicium feret. Ne itaque nos ipsos frustra decipiamus, neve præter vitæ segnitiem hujusmodi dogmatibus partam, etiam pro ipsis dogmatibus graviorem nobis vim ignis accumulemus. Certe si judicium non est, neque pœnas dabimus scelerum, neque laborum præmia consequemur. Perpendite, quæso, quo tendant blasphemiæ vestræ, cum dicitis Deum justum, mitem, tot labores sudoresque despicere : et quomodo hæc rationi consona fuerint?

VI. Etsi enim non aliunde, saltem ex iis, quæ in domo tua geruntur, hæc explora, et tunc quam absurda hæc sint deprehendes. Etiamsi enim admodum inhumanus sis ac crudelis, imo ipsis feris immanior, nolles certe servum tuum benevolum tibi moriens sine præmio relinquere, sed et libertate donas, et pecuniæ munere; et quia tu decedens nihil potes ultra ipsi conferre boni, id apud hæredes tuos curas, rogans nihilque non agens, ut ne ille sine mercede maneat. Atqui si tu nequam homo, ita humanus benignusque es erga famulum, an immensa Dei bonitas, ineffabilis benignitas, tanta illa mansuetudo, famulos suos, Petrum, Paulum, Jacobum et Joannem, quotidie propter illum esurientes, vinctos, flagellatos, fluctibus demersos, feris objectos, morti traditos, aliaque innumera passos, incoronatos relinquet? Agonotheta sane victorem in olympicis prædicat et coronat, herus servum, rex militem honorat, et quisque demum illum qui sibi ministraverit quibus potest bonis remunerat; Deusque solus tantos post sudores et labores, nec parvum nec magnum ipsis bonum confert? sed justi illi ac pii viri, qui omne virtutis genus adierunt, eadem erunt conditione, qua mœchi, par-

ricidæ, homicidæ, murorumque effossores? Ecqua insit in his ratio? Si enim nihil ultra est post discessum ex hac vita, et si nostra sint præsentis vitæ limitibus circumscripta, in eodem sunt statu et hi et illi; imo non eodem in statu. Si enim secundum te posthac eodem in statu sint, at hic, illi in tranquillitate, hi in supplicio toto tempore versati sunt. Ecquis tyrannus immanis, quis homo crudelis et inhumanus servos subditosque suos sic excepit? Vides-ne ingentem absurditatem, et qui finis sit talis ratiocinii? Itaque si nullo alio, hoc saltem ratiocinio eruditus, hanc pessimam opinionem repudia, fuge malitiam, et labores pro virtute suscipe, et tunc scies nostra non esse præsentis vitæ limitibus circumscripta. Si quis autem quærat a te : « Ecquis inde veniens illa nuntiavit? » Responde illi : « Homo quidem nullus : nam si homo esset, non illi creditum sæpe fuisset, utpote qui res exaggeraret amplificaretque. Angelorum vero Dominus illa omnia accurate nuntiavit. » Quid ergo opus homine, cum is qui pœnas a nobis exacturus est, quotidie clamet se gehennam paravisse, et regnum concessurum esse, horumque nobis argumenta clara præbeat. Nam si non judicaturus esset, ne hic quidem unquam pœnas exegisset. Etenim id quoque quomodo cum ratione consonet, ex facinorosis alios puniri, alios minime? Nam si Deus personas non accipit, quod verum certe est, cur hunc ultus est, hunc impune abire sivit? Hoc enim majorem quam supra dicta difficultatem movet. Sed si bono me animo audire volueritis, hanc quoque solvemus quæstionem. Quænam ergo solutio est? Nec ab omnibus hic pœnas exigit, ne de resurrectione desperes et de futuro judicio, quasi omnes hic pœnas dederint : neque omnes impune sinit abire, ne putes omnia sine ulla providentia geri. Sed et punit, et non punit. Cum punit autem, ostendit se etiam ab illis, qui hic plexi sunt,

pœnas illic exacturum esse; cum vero non punit, te ad credendum inducit esse post excessum ex hac vita tribunal horrendum. Si porro priora omnino negligeret, nullos hic puniret, nullos beneficiis afficeret : nunc autem vides illum propter te et cœlum extendisse, et solem accendisse, et terram fundasse, et mare fudisse, et aërem pandisse, et lunæ cursus disposuisse, et anni tempestatibus immotas statuisse leges, cæteraque omnia ipsius nutu accurate cursum suum perficere. At enim natura nostra, natura quoque irrationabilium, serpentium, gradientium, volantium, natantium, eorum quæ in stagnis, in fontibus, in fluminibus, in montibus, in saltibus, in domibus, in aëre, in campis, plantæ, semina, arbores seu sylvestres, seu sativæ, fructuosæ, vel infructuosæ, omnia demum ab indefessa illa manu mota, vitam nostram fovent, non ad usum tantum, sed etiam ad liberalitatem exercendam et ad famulatum ministerium suum nobis præbentia. Tantum itaque videns rerum ordinem, etsi exiguam solum ejus partem referamus, dicere audes eum, qui tot tantaque propter te operatus est, in extremis te neglecturum esse, et cum asinis et porcis mortuum dimissurum jacentem; ac postquam te tanto religionis dono honoravit, quo te Angelis æqualem fecit, te post sexcentos labores et sudores despecturum? Ecquid rationi minus consonum? Hæc quippe, etsi nos taceamus, lapides clamabunt, ita sunt clara et manifesta, magis quam ipsi solares radii. Hæc igitur omnia cogitantes, et in animis nostris certa statuentes, nempe post decessum ex hac vita, nos horrendo tribunali sistendos esse, rationem reddituros de gestis omnibus, pœnas daturos, et ultionem experturos, si in peccatis maneamus; contra vero coronis et ineffabilibus bonis donandos, si parvo tempore nobis ipsis attendere voluerimus; eorum qui his contraria dicere audent ora obstruamus, et

ipsi veritatis viam eligamus, ut cum fiducia competenti ad tribunal illud accedentes, bona nobis promissa consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

CAPUT VI.

Cum audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam [1], etc.

I. Cur [2] rursum secessit? ut nos doceret ne ultro tentationes adeamus, sed cedamus potius ac declinemus. Neque enim crimen est non sese in periculum conjicere, sed in periculo non fortiter stare. Hoc igitur docens, et judaïcæ invidiæ paulum concedens, secedit in Capharnaum, simul prophetiam implens, et doctores orbis quasi piscatu capere festinans: quia ibi sedes habebant sua utentes arte. Tu vero mihi perpendas velim, quomodo gentes aditurus, a Judæis semper occasiones accipiat. Nam hic prodromo insidias struentes, captumque carceri mancipantes, ipsum in Galilæam gentium compellunt. Quod autem nec judaïcam gentem ex parte commemoret, nec omnes subindicet tribus, vide quomodo locum illum distinguat Propheta his verbis: « Terra Zabulon et terra Nephthalim, via maris » trans Jordanem, Galilæa gentium. Populus qui sedebat » in tenebris, vidit lucem magnam [3]. » Tenebras hic non sensiles illas vocans, sed errorem impietatemque: quamobrem intulit: « Habitantibus in regione et umbra mortis,

[1] Matth. IV, 12. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 67-70. — [3] Matth. IV, 15, 16, et Isaï, IX, 1.

» lux orta est eis [1]. » Ut enim disceres eum neque de luce, neque de tenebris sensilibus loqui, lucem memorans, non simpliciter lucem vocavit, sed lucem magnam, quam alibi veram appellat; de tenebris autem verba faciens, umbram mortis vocavit. Deinde ostendens non ipsos quærentes invenisse, sed Deum ipsis superne apparuisse, ait : « Lux orta » est eis, » hoc est, ipsa lux orta est et refulsit : non ipsi priores ad lucem accurrerunt. Etenim ante Christi adventum in extremis sitæ res hominum erant. Neque enim ambulabant in tenebris, sed sedebant in tenebris : quod signum erat ipsos nec sperasse quidem se liberandos esse : quasi enim nescirent quo procedendum esset, sic a tenebris comprehensi sedebant, cum ne stare quidem possent. « Exinde cœpit Jesus prædicare et dicere : Pœnitentiam » agite, appropinquavit enim regnum cœlorum [2]. » Exinde, quandonam? ex quo Joannes in carcerem trusus est. Cur autem non a principio prædicavit illis? et quid opus erat Joanne, cum operum testimonia ipsum prædicarent? Ut inde etiam discas ejus dignitatem, quoniam quemadmodum Pater, ipse quoque Prophetas habet : quod et Zacharias dicebat : « Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis [3]; » et ut nullam impudentibus Judæis ansam relinqueret : quod ipse quoque indicavit dicens : « Venit Joannes neque » manducans neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet. » Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : » Ecce homo vorax et vini potator, publicanorum et pec» catorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis [4]. » Alioquin necessarium erat ut ea, quæ ipsum spectabant, ab alio prius dicerentur, quam ab ipso. Si enim post tot tantaque testimonia et argumenta dicebant : « Tu testimo» nium perhibes de teipso, testimonium tuum non est ve-

[1] Isaï. IX, 2. — [2] Matth. IV, 17. — [3] Luc. I, 76. — [4] Matth. XI, 18, 19.

» rum [1]. » Si nihil prius dixisset Joannes, et ipse in medium progressus, primus de se testimonium perhibuisset, quid non dicturi erant? Propterea neque prædicavit ante illum, neque signa edidit, donec in carcerem ille truderetur, ne sic multitudo scinderetur in partes. Idcirco nullum signum fecit Joannes, ut hac ratione multitudinem ad Jesum alliceret, dum miracula ad ipsum turbam attraherent. Si enim post tot tantarumque rerum dispensationem, et ante et postquam Joannes in carcerem trusus est, discipuli Joannis invidia quadam erga Jesum moti videbantur; si multi porro non ipsum, sed Joannem Jesum esse arbitrabantur; si nihil horum factum esset, quid non eventurum erat? Ideo Matthæus significat ipsum eo tempore prædicare cœpisse, et initio idipsum docuit quod Joannes prædicaverat: necdum quidquam de seipso, sed eadem tantum quæ ille jam dixerat. Nam optandum erat ut illud interim admitteretur, quandoquidem nondum congruentem de ipso habebant opinionem.

II. Ideoque in principio nihil molestum et grave dixit ut ille, non securim, non lignum sectum, non ventilabrum, aream vel ignem inextinguibilem memoravit; sed a bonis orsus, cœlos memorat et regnum illic paratum audientibus. « Et ambulans juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Si» monem, qui cognominabatur Petrus, et Andream fratrem » ejus, mittentes rete in mare: erant enim piscatores, et » ait illis: Venite post me, et faciam vos piscatores homi» num. Illi autem relictis retibus, secuti sunt eum [2]. » Atqui Joannes ait eos alio modo fuisse vocatos. Unde palam est hanc secundam fuisse vocationem: idipsumque sæpe videre est. Ibi namque dicitur, cum nondum Joannes conjectus fuisset in carcerem, ipsos accessisse; hic vero, postquam conjectus fuerat. Illic Andreas vocabat Petrum; hic

[1] Joan. VIII, 13. — [2] Matth. IV, 18-20.

ambos Jesus : et Joannes quidem ait : « Videns Jesus Si-» monem venientem, dixit : Tu es Simon filius Jonæ, tu » vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus [1]. » Matthæus vero ait jam sic fuisse vocatum : « Videns, inquit, Simo-» nem, qui dicebatur Petrus. » Sed etiam a loco, ex quo vocati sunt, quod etiam alibi sæpe videre est, hinc liquet etiam, quod facile obediant, et omnia relinquant ; jam enim probe prius eruditi fuerant. Illic enim exhibetur Andreas in domum veniens, et multa audiens; hic autem, uno audito verbo, statim secuti sunt. Verisimile quippe est illos cum a principio secuti fuissent, dimissos postea fuisse; cum autem vidissent Joannem in carcerem trusum fuisse, ipsos tunc recessisse, atque ad suam artem rediisse. Sic itaque illos piscantes invenit. Ipse vero neque illos, cum abire vellent, initio prohibuit; neque, cum recessissent, usque in finem dimisit ; sed postquam recedere sivisset, venit rursum ipsos repetiturus : qui egregius est piscationis modus. Perpende autem illorum et fidem et obedientiam. Etenim in medio opere, (scitis autem quam avida res sit piscatio), illum jubentem audientes, non distulerunt, neque cunctati sunt ; non dixerunt : « Reversi domum, propinquos alloquemur. » Sed, relictis omnibus, secuti sunt, quemadmodum et Elisæus fecit cum Helia. Talem quippe Christus obedientiam quærit a nobis; ita ut ne momento quidem temporis differamus, etiamsi quid ex admodum necessariis urgere videatur. Idcirco alium venientem et rogantem sibi liceret sepelire patrem suum, ne illud quidem facere permisit, ostendens sequendi Christum officium esse omnibus anteferendum. Si vero dixeris : « Maxima erat promissio. » Ideo maxime miror illos, quod, cum nondum signum vidissent, tantæ promissioni fidem habuerint, et omnia postposuerint ut Christum sequerentur : nam crediderunt

[1] Joan. 1, 42.

se posse per eadem verba, quibus capti fuerant, alios piscari. His itaque illud promisit : Jacobo autem et Joanni nihil simile dixit. Nam priorum obsequentia his viam paravit. Alioquin vero jam plurima de ipso audierant. Vide porro quam accurate nobis illorum paupertatem indicet. Invenit enim illos reficientes retia sua. Tanta erat egestas, ut vetera restaurarent, quod non possent alia emere. Nec minima interim hæc est virtutis demonstratio, paupertatem ita facile ferre, ex justis laboribus victum parare, mutua invicem charitate connecti, patrem secum habere, ipsique famulari. Postquam igitur illos piscatus fuisset, tunc cœpit, illis præsentibus, miracula edere, per quæ ea, quæ a Joanne de ipso dicta fuerant, confirmabat. Synagogas porro frequentabat, hinc Judæos docens se non esse Deo adversarium vel seductorem, sed cum Patre consentientem advenisse. Cum autem in locis versaretur, non modo prædicabat, sed etiam signa edebat.

III. Ubique enim, si quando res insolita et inopinata accidat, si novum inducatur vitæ institutum, signa solet Deus facere, potentiæ suæ pignora præbens iis, qui leges suscepturi sunt. Sic itaque cum hominem facturus erat, mundum totum creavit, tuncque ipsi legem illam in paradiso dedit. Et cum Noë leges positurus erat, magna rursum exhibuit miracula, per quæ totam restauravit creaturam, et horrendum illud pelagus per annum totum obtinere curavit; per quæ etiam Justum illum in tanta tempestate servavit. Abrahæ quoque multa signa præstitit, verbi causa, victoriam in bello, plagam Pharaoni immissam, a periculis creptionem. Cumque Judæis leges statuturus esset, miracula illa fecit, et prodigia magna, tuncque legem dedit. Ita et nunc excelsum quodpiam institutum inducturus, eaque dicturus illis, quæ nunquam audierant, mirabilium operatione dicta sua confirmat. Quoniam enim regnum

illud, quod prædicabatur, non apparebat; ex iis, quæ sub aspectum cadebant, id quod occultum erat manifestum fecit. Et vide mihi quantum superflua vitet Evangelista, quomodo non singulos eorum, qui sanati sunt, commemoret, sed brevi sermone innumera signa prætercurrat. Nam ait : « Obtulerunt ei omnes male habentes variis languori-» bus, et tormentis correptos, dæmonia habentes, lunaticos, » paralyticos, et sanavit eos [1]. » Verum ab illo inquiritur, cur a nullo eorum fidem exegit? Neque enim dixit, id quod postea dixisse narratur : « Creditis me illud facere posse? » quia nondum potestatis suæ documenta dederat. Alioquin vero ex eo quod ad eum accederent, aliosque inducerent, non modicam exhibebant fidem. Nam ex longinquo ægros afferebant, non allaturi nisi magnam de illo concepissent opinionem. Et nos quoque illum sequamur : nam multis animi morbis laboramus, et hos ille præcipue vult curare. Ideo enim illa mala curat, ut hæc expellat ex animabus nostris. Accedamus igitur ad eum, nihilque sæculare petamus, sed remissionem peccatorum : etenim etiam nunc dat, si diligenter agamus. Tunc enim in Syriam ejus fama volarat; nunc vero per totum orbem. Et illi quidem audientes ipsum dæmoniacos curavisse, concurrebant : tu vero multo majorem potestatis ipsius experientiam nactus, non surgis, non curris? Sed illi quidem et patriam reliquerunt et amicos et cognatos; tu vero ne domo quidem exire sustines, ut accedas et longe meliora consequaris? Imo non hoc a te postulamus, sed malam solum depone consuetudinem, et domi manens cum tuis salutem facile consequi poteris. Jam vero si morbo corporeo laboremus, omnia facimus, omnia movemus, ut ab illa molestia eruamur : anima vero nostra male se habente, cunctamur et refugimus. Ideo neque ab illis liberamur; quoniam quæ neces-

[1] Matth. IV, 24.

saria sunt minoris momenti facimus; quæ vero minoris momenti, necessaria ducimus, et malorum fonte dimisso, rivulos purgare volumus. Quod enim morborum corporis animæ malignitas causa sit, paralyticus ille triginta octo annorum[1], ille alius per tectum demissus[2], ad hæc vero Caïn demonstravit. Sæpeque alibi quivis hoc ipsum videat. Tollamus itaque malorum fontem, et morborum fluenta statim siccabuntur. Non paralysis solum malum est, sed etiam peccatum, imo hoc majus quam illud, quanto scilicet anima melior est corpore. Accedamus igitur et nunc ad ipsum; rogemus ut resolutam animam nostram constringat, et sæcularibus missis omnibus, spiritualium tantum rationem habeamus. Si vero hæc obtineas, illa cures postea. Nec quia in peccando non doles, ideo contemnas, sed propterea maxime ingemisce, quia nullum habes de peccatis dolorem. Illud vero inde evenit, non quod peccatum non mordeat, sed quod anima sceleribus assueta sensum non habeat. Cogita ergo illos, qui propria peccata sentiunt, quomodo acerbius ejulent quam ii, qui secantur vel urunturque, quantaque patiantur, quantum lugeant et ingemiscant ut a mala conscientia liberentur, quod nunquam facerent, nisi animo admodum dolerent.

IV. Utique melius esset nunquam peccare; quod sequitur autem est, peccata sentire et corrigere. Si vero id non habeamus, quo pacto Deo supplicabimus et peccatorum remissionem postulabimus, qui horum nullam rationem habemus? Cum enim tu ipse qui peccasti, ne idipsum quidem quod peccaveris scire velis, pro quibus peccatis Deum rogabis, quæ ne quidem nosti? Et quomodo noveris beneficii magnitudinem? Dic itaque peccata tua speciatim, ut discas quorumnam remissionem accipis, ut ita erga beneficum gratus sis. Tu vero cum hominem offenderis, ami-

[1] Joan. v, 5. — [2] Luc. v, 18, 19.

cos, vicinos et ostiarios rogas, pecunias expendis, multosque dies insumis in accedendo et supplicando, etiamsi semel, bis, sexcentiesque ab offenso repulsam tuleris, non concidis, sed magis sollicitus, supplicationes adauges; cum vero universorum Deus offensus est, oscitamus, negligimus, deliciamur, inebriamur, et pro solito more omnia facimus: et quandonam illum placare poterimus? Quomodo non eo ipso modo magis irritemus? Non dolere enim de peccato, magis ad indignationem et iram ipsum provocat, quam ipsum peccatum. Quapropter in ipsam terram sese detrudere oporteret, nec solem aspicere, vel respirare, quando tam placabilem Dominum habentes, illum irritamus, et irritantes non pœnitentiam agimus: etiamsi ille neque cum iratus est, nos odio habeat vel aversetur; sed iratus sit, ut nos vel sic ad se pertrahat. Nam si vel contumelia affectus perpetuo beneficia conferret, ipsum magis despiceres. Ne autem id eveniat, ad tempus avertit faciem, ut te semper secum habeat. Ejus itaque benignitati fidamus, et pœnitentiam sollicite exhibeamus, priusquam dies ille veniat, in quo nihil nobis pœnitentia proderit. Nunc enim in nobis tota res sita est; tunc vero judex solus erit judicii et calculi ferendi Dominus. « Præoccupe » mus igitur faciem ejus in confessione[1], » fleamus, lugeamus. Si enim poterimus ante definitam illam diem placare Judicem, ut nobis peccata remittat, non ultra introitu nobis opus erit: ut e converso, si non hoc ita fiat, toto orbe præsente, quisque nostrum ad tribunal adducetur, et nulla nobis ultra spes veniæ supererit. Nullus enim eorum, qui adsunt, qui peccata sua non abluerit, cum illuc advenerit, poterit pœnas iis debitas effugere. Sed quemadmodum illi, qui ex carceribus his ad tribunal catenis onusti adducuntur; sic et animæ omnes, cum hinc abierint, variis pec-

[1] Psal. xciv, 2.

catorum suorum constrictæ catenis, ad terribile illud tribunal adducentur. Nam hæc vita carcere nihilo melior est. Sed sicut cum in domicilium illud introimus, omnes videmus catenis circumdatos; ita et nunc, si abjecta illa externarum rerum imaginatione, in singulorum vitam ingrediamur, ipsorum animas videbimus ferro durioribus vinculis constrictas : maxime vero si in animas divitum intraveris : nam quanto pluribus illos videris divitiis circumdatos, tanto magis sunt alligati. Quemadmodum igitur si vinctum videris manibus, dorso, sæpe etiam pedibus alligatum ferreis catenis, illum maxime miseraris : sic divitem cum videris multis circumfluentem rebus, ne ideo divitem, sed potius ideo miserum existimato : nam cum his vinculis sævum habet carceris custodem, pravum pecuniarum amorem : qui non permittit illi ex isto carcere exilire, sed sexcentos ipsi parat compedes, custodias, portas, vectes, et in interiorem carcerem trudens, suadet illi ut istis vinculis delectetur, ut ne quidem evadendi ab instantibus malis spem ullam habeat. Et si cogitatione tua animam illius denudaveris, non vinctam modo videbis, sed etiam squallentem, putidam, pediculis onustam. Nihil enim illis meliores sunt voluptatis deliciæ, imo horribiliores; atque etiam corpus cum ipsa anima labefactant, et huic et illi innumeras infligunt morborum plagas. Propter hæc omnia Redemptorem animarum nostrarum precemur, ut et vincula rumpat, et sævum hunc custodem a nobis amoveat, atque a pondere ferrearum catenarum liberatis, alis leviorem in nobis mentem perficiat. Dum autem illum precabimur, quæ nostra sunt etiam afferamus, sollicitudinem, animum, alacritatem; sic enim poterimus brevi tempore a malis, quibus detinemur, eripi, et ediscere quo in statu prius eramus, congruentemque nobis recipere libertatem, quam utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini

nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

CAPUT V.

Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem. Et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus : et aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum [1].

I. Vide [2] quam a fastu et ambitione sit alienus. Neque enim secum circumduxit eos ; sed cum morbi curandi erant, ipse circuibat undique, et urbes et loca visitans. Quando autem turba aderat, uno in loco campestri sedet; non in urbe aut in medio foro, sed in monte, in deserto, ut doceat nos nihil ad ostentationem faciendum esse, et a mediis tumultibus abscedendum, cum maxime philosophari oportet, deque necessariis rebus disserere. Cum ascendisset autem atque sedisset, accesserunt Discipuli. Vides-ne eorum in virtute profectum, et quomodo repente meliores sunt effecti? Multi namque miraculorum spectatores erant ; hi vero magnum quidpiam et excelsum audire cupiebant. Quod etiam illum ad docendum induxit, utque hos ordiretur sermones effecit. Neque enim corpora tantum curabat, sed etiam animas emendabat, ac rursum ab hac cura ad illam redibat, sic utilia varians, et verborum doctrinæ operum documenta miscens, sicque impudentia

[1] Matth. v, 1, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 122-123 ; et tom. XV, pag. 379-384.

hæreticorum obstruens ora, dum utriusque substantiæ curam gereret, ostenderetque se animalis totius esse creatorem. Ideo utriusque naturæ providentiam gerebat, nunc hanc, nunc illam emendans. Quod tunc etiam faciebat. « Nam aperiens, inquit, os suum, docebat eos. » Et qua de causa hic addit : « Aperiens os suum? » Ut discas eum etiam tacentem docuisse, nec modo loquentem ; sed nunc os aperuisse, nunc per opera ipsa vocem emisisse. Cum audis vero, « Docebat eos, » ne putes ipsum solos Discipulos alloqui, sed per illos, alios omnes. Quia enim turba popularis erat, ex eorum numero, qui humi repebant, Discipulorum chorum ante se constituens, ad illos sermonem dirigit, verba sua ita temperans, ut cæteris omnibus, qui in his admodum rudes erant, philosophiæ doctrina non molesta esset. Quod etiam Lucas subindicans, dicebat ipsum sermonem ad eos convertisse : et Matthæus idipsum significans, dixit : « Accesserunt ad eum Discipuli ejus, et, docebat eos [1]. » Ita enim cæteri attentius audituri erant, quam si ad omnes verba direxisset. Unde ergo incipit, et quæ novi instituti fundamenta nobis ponit? Audiamus diligenter ea, quæ dicuntur : illis namque dicta sunt, et scripta sunt pro omnibus post futuris. Idcirco concionans quidem Discipulos alloquitur ; neque tamen in illis dicta circumscribit ; sed indeterminate beatitudines omnes profert. Non enim dixit : « Beati estis vos, si pauperes fueritis; » sed « Beati pauperes : » certe etiamsi illis speciatim dixisset, communia tamen consilia futura erant. Etenim cum diceret : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad » consummationem sæculi [2], » non illos solum alloquitur, sed et per illos totum orbem : et cum illos beatos prædicat persecutionem patientes, pulsos, et intolerabilia sustinentes, non illis tantum, sed etiam omnibus talia fortiter

[1] Luc. VI, 27. — [2] Matth. XXVIII, 20.

ferentibus coronam nectit. Cæterum ut id clarius evadat, et discas eas, quæ dicta sunt, tibi communia esse, necnon toti humanæ naturæ, si attendere voluerint, audi quomodo hunc mirabilem sermonem ordiatur. « Beati pauperes spi-» ritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum [1]. » Qui sunt pauperes spiritu ? Humiles, et animo contriti. Spiritum enim hic dicit animam et voluntatis propositum. Quia enim multi sunt humiles, non sponte sua, sed rerum necessitate coacti; illos mittens; neque enim id laudi est; eos, qui ex voluntatis proposito sese humiliant ac deprimunt, primos beatos appellat. Et cur non dixit : « Humiles; » sed, « Pauperes? » Quia hoc illo præstantius est : nam hic dicit eos, qui Dei præcepta metuunt et contremiscunt : quos et per Esaïam prophetam se valde acceptos habere Deus declarat : « Ad quem respiciam, nisi ad mansuetum et » quietem et trementem verba mea [2] ? »

II. Etenim multi sunt humilitatis modi : et alius quidem est moderate humilis, alius vero supra modum. Hanc porro humilitatem laudat beatus Propheta, non depressum simpliciter animum describens, sed omnino contritum, cum ait : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contri-» tum et humiliatum Deus non despicies [3]. » Hanc et tres pueri pro magno sacrificio Deo offerunt, dicentes : « Sed » in anima contrita, et spiritu humiliato suscipiamur [4]. » Hanc et Christus beatam nunc prædicat. Quia enim maxima mala, quæ totum orbem labefactant, ex superbia prodierunt; quando quidem diabolus, qui talis ante non fuerat, sic diabolus effectus est : quod etiam Paulus dicebat : « Ne » inflatus in judicium incidat diaboli [5]; » primus quoque homo hac a diabolo inflatus, spe præcipitatus, et mortalis factus est : cum enim sperasset se Deum fore, etiam id

[1] Matth. v, 3. — [2] Isaï. lxvi, 2. — [3] Psal. l, 18. — [4] Dan. iii, 39. — [5] 1 Tim. iii, 6.

quod habebat perdidit. Quod et Deus ipsi exprobrans, et insipientiam ejus traducens, dicebat : « Ecce Adam factus » est sicut unus ex nobis [1]. » Singuli autem qui post fuerunt, hinc in impietatem collapsi sunt, se Deo æquales imaginantes. Quoniam igitur hæc malorum arx erat, itemque radix et fons omnis nequitiæ; morbo congruens remedium apparans, quasi fundamentum firmum et tutum hanc primam posuit legem. Hac enim posita, tuto cætera omnia superponit architectus. Hac vero sublata, si quis ex instituto vitæ vel ad cœlum pertingat, omnia facile ruunt, et in pessimum finem desinunt. Etsi jejunium, etsi orationem, etsi eleemosynam, etsi castitatem, etsi aliud quidvis bonum collegeris, absque humilitate, diffluunt omnia et pereunt. Id etiam Pharisæo accidit [2] : nam cum ad ipsum culmen pertigisset, omnibus amissis, delapsus est, quia matrem bonorum non habuit. Quemadmodum enim superbia fons omnis nequitiæ est; sic humilitas philosophiæ omnis principium. Quamobrem hinc incipit, ex auditorum animis arrogantiam evellens radicitus. Ecquid hoc ad Discipulos, inquies, qui omnino humiles erant? nullam enim arrogantiæ ansam habebant, piscatores cum essent, pauperes, obscuri, et idiotæ. Etsi hæc ad Discipulos non spectarent, sed ad eos, qui præsentes erant, hæc pertinere poterant, necnon ad eos, qui postea ipsos excepturi erant, ne propterea ipsos despicerent. Imo vero ad Discipulos hæc dicta erant. Etiamsi enim non tunc, at postea opus habituri erant illa utili cautione, post signa nempe et miracula, post tantum in orbe honorem, et tantam in Deo fiduciam. Neque enim divitiæ, neque potentia, neque regnum ita quempiam poterant efferre, ut ea omnia quæ Apostolis suppetebant. Alioquin autem fieri poterat ut etiam ante miracula efferrentur, tantam multitudinem cernentes, et theatrum illud quod doc-

[1] Gen. III, 22. — [2] Luc. XVIII.

torem suum circumdabat; certe humanum quidpiam pati poterant. Idcirco illos statim reprimit ne altum sapiant. Neque dicta sua admonitionis vel præceptorum more profert, sed propositæ beatitudinis forma, sic gratiorem ordiens sermonem, et doctrinæ stadium omnibus aperiens. Non enim dixit: « Hic vel ille ; » sed « Qui hæc faciunt, beati omnes erunt. » Ita ut sive servus sis, sive mendicus, sive pauper, sive peregrinus, sive idiota, nihil te impediat quin sis beatus, si hanc virtutem coleueris. Hinc itaque orsus unde maxime par erat, ad aliud mandatum procedit, quod videtur totius orbis oppugnare sententiam. Cum enim omnes putent eos, qui gaudent et lætantur, esse beatos; eos vero, qui in mœrore, paupertate et luctu versantur, esse miseros; hos ille præ aliis beatos prædicat, dicens : « Beati qui » lugent [1]. » Atqui ab omnibus hi infelices esse dicuntur : sed ideo ille signa præmisit, ut leges afferens tales, fide dignus esset. Hic autem rursus non simpliciter lugentes posuit, sed eos qui de peccatis lugerent : ut et aliud quoque luctus genus admodum prohibetur, nempe de rerum sæcularium dispendio lugere; quod significabat et Paulus dicens : « Quia » sæculi quidem tristitia mortem operatur : quæ autem se» cundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabi» lem operatur [2]. »

III. Hos igitur ille, qui sic lugent, beatos prædicat. Neque simpliciter lugentes ponit, sed qui impense lugent. Quapropter non dixit : « Qui mœrent, » sed, « Qui lugent : » nam hoc præceptum totius est philosophiæ magisterium. Si enim qui filios, uxorem, vel alium quempiam cognatum defunctum lugent, non pecuniarum, non corporum amore tenentur illo doloris tempore, non gloriam appetunt, non injuriis moventur, non invidia corripiuntur, neque alio quopiam animi morbo obsidentur : sed prorsus luctui ad-

[1] Matth. v, 4. — [2] 2 Cor. vii, 10.

dicti sunt; multo magis qui peccata sua lugent, sicut ea lugenda sunt, hac majorem exhibebunt philosophiam. Deinde, quod eorum præmium erit? « Quoniam ipsi consola»buntur [1], » inquit. Ubi vero, dic mihi, consolabuntur? Et hic, et illic. Quia enim præceptum grave admodum erat et onerosum, hoc se promisit daturum, quod illud maxime leve posset efficere. Itaque si velis consolationem accipere, luge. Et ne putes ænigma esse id quod dictum est. Cum enim Deus consolatur, etiamsi mille tristia accidant, omnibus superior eris. Etenim multo majores dat semper Deus laborum mercedes: id quod etiam hic fecit, cum dixit beatos esse eos qui lugent; non secundum rei meritum, sed secundum ipsius benignitatem; non ex operis scilicet dignitate, sed ex ejus erga homines amore. Nam qui lugent, peccata sua lugent. His vero sufficit si veniam impetrent et excusationem. Quoniam autem ille magno erga homines amore tenetur, neque in supplicii remissione, neque in peccatorum venia mercedem sistit, sed etiam beatos efficit, et multam affert consolationem. Lugere autem nos jubet, non de peccatis tantum nostris, sed etiam de alienis. Hujusmodi vero erant Sanctorum animæ, ut Moysis, ut Pauli, ut Davidis: nam hi aliorum sæpe peccata luxerunt. « Beati mites, » quoniam ipsi possidebunt terram [2]. » Dic mihi, quam terram? Terram quidam intelligibilem dicunt. Verum non ita se res habet. Nusquam enim in Scriptura reperimus terram intelligibilem (15). Sed quid sibi vult illud? sensibile præmium statuit, sicut et Paulus. Cum dixisset enim: « Honora pa» trem tuum et matrem tuam, » subjunxit, « Sic enim eris lon» gævus super terram [3]: » et ipse Dominus latroni: « Hodie » mecum eris in paradiso [4]. » Neque enim ob futura solum bona cohortatur, sed etiam ob præsentia propter illos au-

[1] Matth. v, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ephes. vi, 1. — [4] Luc. xxiii, 43.

ditores, qui crassiores hæc prius quam futura quærunt. Ideo et in sequentibus dicit : « Esto consentiens adversario tuo. » Deinde hujusmodi philosophiæ præmium statuit, et ait : « Ne tradat te adversarius judici, et judex ministro [1]. » Vides-ne unde terruit? A sensilibus scilicet, et quæ sæpe contingunt. Et rursus : « Quicumque dixerit fratri suo, raca, » reus erit concilio [2]. » Paulus quoque frequentissime sub sensum cadentia præmia proponit, et a præsentibus hortatur, ut cum de virginitate disserit : nihil quippe de cœlis commemorat, sed ex præsentibus hortatur his verbis, « Propter instantem necessitatem, » et, « Ego autem vobis parco, » et, « Volo autem vos sine sollicitudine esse [3]. » Sic igitur et Christus spiritualibus sensibilia miscuit. Quia enim mitis quisque putare possit se sua omnia perdere, contrarium ille pollicetur dicens hunc ipsum esse, qui sua tutissime possideat, qui nec audax, nec ostentator sit : nam qui talis fuerit, paternis etiam bonis sæpe excidet, et ipsius animæ jacturam faciet. Alioquin autem quia in Veteri Testamento Propheta dixerat : « Mites autem hæreditabunt terram [4], » a verbis jam familiaribus sermonem texit, ut non ubique inusitatis utatur verbis. Hæc porro dicit, non in præsentibus præmia circumscribens, sed cum his illa quoque suppeditans. Nam si quidpiam spirituale dicat, non aufert tamen præsentia; si vero aliquid in præsenti vita promittat, non in his tantum promissionem sistit : « Nam, quærite, inquit, » regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis [5]. » Et rursum : « Quicumque dimiserit domum, aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter » nomen meum, centuplum accipiet in sæculo isto, et in » futuro vitam æternam possidebit [6]. Beati qui esuriunt et » sitiunt justitiam [7]. » Quam justitiam? An virtutem illam

[1] Matth. v, 25. — [2] Ibid. 22. — [3] 1 Cor. vii, 26, 28 et 32. — [4] Psal. xxxvi, 11. — [5] Matth. vi, 33. — [6] Id. xix, 29. — [7] Id. v, 6.

in genere? an speciem illam justitiæ, quæ avaritiæ opposita est? Quia enim de eleemosyna præceptum daturus est, docet quomodo illam exercere oporteat; videlicet non ex rapina, non ex avaritia beatos prædicat eos, qui justitiæ dant operam.

IV. Et animadvertas velim cum quanta vehementia id expresserit. Non enim dixit: « Beati qui justitiam sectantur; » sed, « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, » ut non perfunctorie, sed cum omni cupiditate ipsam adeamus. Quia enim illud avaritiæ maxime proprium est, neque ita cibum atque potum desideramus, ut plurima possidere et acquirere, talem cupiditatem, in contrariam avaritiæ virtutem transferre jussit. Deinde rursus sensibile præmium definit dicens: « Quoniam ipsi saturabuntur [1]. » Quia enim putatur avaritia multos divites facere, dicit contrarium omnino esse: id enim præstat justitia. Ne itaque cum justa operaris, paupertatem timeas, neve famem metuas. Nam qui aliena rapiunt, hi maxime ab omnibus excidunt; ut qui justitiam amat, omnia tuto possidet. Si autem ii qui aliena non cupiunt, tot fruuntur divitiis, multo magis ii qui sua largiuntur. « Beati misericordes [2]. » Hic non tantum pecuniæ largitores dicere mihi videtur, sed etiam eos, qui operibus misericordiam exercent. Varii enim sunt miserendi modi, et latum est præceptum. Quod igitur illorum est præmium? « Quoniam ipsi misericordiam consequentur [3]. » Et videtur quidem æqualis esse retributio; sed est ipso bono opere longe major. Ipsi namque miserentur ut homines, sed misericordiam consequuntur ab universorum Deo. Non sunt autem æquales humana miseratio et divina; sed quantum inter malitiam et bonitatem discrimen est, tantum inter hoc et illud. « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum » videbunt [4]. » Ecce rursus spirituale præmium: mundos au-

[1] Matth. v, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 8.

tem hic vocat eos, qui universalem virtutem possident, nulliusque sibi mali conscii sunt, sive eos, qui in continentia vivunt : nulla enim nobis ita opus est ad Deum videndum, ut illa virtute. Ideo et Paulus dicebat : « Pacem sectamini » cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit » Dominum [1]. » Visionem porro hic dicit, quæ homini sit possibilis. Quia enim multi sunt qui miserentur, nec rapiunt, nec avaritiæ student, sed fornicantur et libidini se dedunt, ostendens illud primum non satis esse, hoc etiam addidit. Quod etiam Paulus Macedonibus testificatus est in Epistola ad Corinthios, quod non modo eleemosyna divites essent, sed etiam aliis virtutibus : locutus enim de liberalitate eorum in erogandis pecuniis, addit illos sese dedisse Domino, « Et nobis. Beati pacifici [2]. » Hinc non modo dissensiones mutuas, et inimicitias prohibet : sed aliud quidpiam insuper exigit ; ut et alios dissidentes ad concordiam revocemus, ac rursus spirituale præmium offert. Quale illud est ? « Quo- » niam ipsi filii Dei vocabuntur [3]. » Siquidem Unigeniti opus illud fuit, disjuncta copulare, pugnantia conciliare. Deinde ne putes pacem ubique esse bonum, subjunxit : « Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam [4], » hoc est virtutis causa, pro aliorum defensione, pro pietate. Virtutem enim semper solet vocare totam animæ philosophiam. « Beati estis, cum exprobraverint vobis homines, et » persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum verbum ad- » versum vos mentientes, propter me. Gaudete et exulta- » te [5] ; » ac si diceret : « Si vos præstigiatores, si seductores, si maleficos, si quovis alio nomine vocent, beati estis. » Quid his præceptis insolentius fuerit, cum hæc desideranda dicit, quæ aliis fugienda putantur : nempe mendicare, lugere, persecutionem pati, male audire ? Attamen et dixit, et sua-

[1] Hebr. xii, 14. — [2] Matth. v, 9. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 10. — [5] Ibid. 11, 12.

sit, non duobus, vel decem, vel viginti, vel centum, vel mille hominibus, sed universo orbi. Et audientes illa onerosa, molesta, vulgari consuetudini contraria, stupebant turbæ. Tanta erat dicentis virtus.

V. Cæterum ne putes male audire solum beatos efficere, duas apposuit distinctiones; quando scilicet vel propter ipsum prolata, vel mendacia fuerint dicta illa. Nam si hæc non adsint, non modo non beatus, sed etiam miser est is qui male audit. Deinde vide rursus præmium : « Quoniam » merces vestra multa est in cœlis [1]. » Tu vero etsi non ad singulas beatitudines regnum dari audias, ne animo deficias. Etiamsi enim præmia diverso appellet nomine, tamen omnes ad regnum introducit. Nam cum dicit : « Lugentes » consolationem, et misericordes misericordiam consequen- » tur, et mundi corde Deum videbunt, et pacifici filii Dei » vocabuntur, » nihil aliud per hæc omnia indicat, quam regnum cœlorum; qui enim his fruuntur, id consequentur omnino. Ne igitur mercedem illam putes ad solos pauperes spiritu pertinere, sed etiam ad esurientes justitiam, ad mites et ad alios omnes. Ideo enim in singulis beatitudinem apposuit, ut ne quid sensibile expectes. Neque enim beatus erit ille qui iis coronabitur, quæ in præsenti vita dissolvuntur, et umbra celerius prætercurrunt. Cum dixisset autem, « Merces vestra multa, » aliam subjunxit consolationem his verbis : « Sic enim persecuti sunt et Prophetas, qui fue- » runt ante vos [2]. » Quia enim venturum erat regnum, et in spe repositum erat : hinc illis consolationem præbet, ex societate nimirum eorum, qui ante ipsos male passi fuerant. Ne putetis, inquit, vos hæc ideo pati, quia contraria dicitis et lege statuitis; vel vos quasi pravorum dogmatum magistros ab illis pellendos esse. Non enim ex dictorum nequitia, sed ex malignitate audientium, insidiæ et pericula prodi-

[1] Matth. v, 12, — [2] Ibid.

bunt. Quare non vobis male patientibus maledicent, sed illis male agentibus. His testimonium præbet totum præteritum tempus. Neque enim Prophetas de iniquitate vel de impia doctrina accusabant, cum alios lapidarent, alios pellerent, alios sexcentis aliis afficerent malis [1]. Ne itaque hoc vos perturbet. Nam eodem animo etiam nunc omnia perpetrant. Vidisti-ne quomodo eorum sensus excitarit, illos prope Moysem et Heliam constituens? Sic et Paulus ad Thessalonicenses scribens ait : « Vos enim imitatores facti estis » Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa. Etenim et vos eadem » passi estis a propriis contribulibus, sicut et illi a Judæis, » qui occiderunt Dominum Jesum et proprios Prophetas, et » nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus homi- » nibus adversantur [2]. » Quod hic quoque Christus instituit. Et in aliis quidem beatitudinibus dicebat: « Beati pauperes, » beati misericordes : » hic vero non indefinite posuit ; sed ad illos sermonem convertit dicens : « Beati estis cum vobis » exprobraverint, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne » malum verbum contra vos : » ostendens hoc in illis esse præcipuum, et doctoribus præ aliis omnibus id esse proprium. Simul etiam hic dignitatem suam subindicat, et æqualem sibi cum Patre honorem. Quemadmodum enim illi propter Patrem, inquit, ita et vos propter me hæc patiemini. Cum autem dicit: « Prophetas qui fuerunt ante vos,» declarat ipsos jam Prophetas fuisse factos. Hinc ostendens illud maxime ipsis utile esse, et splendorem afferre. Non dixit: « Maledicent vobis et vos persequentur,» sed « Ego illud impediam. » Non enim quod male non audiant, sed quod male audiendo fortiter ferant, et per opera ipsos arguant, vult eos in tuto versari : hoc quippe illo longe majus est ; quemadmodum percuti et nihil percussum pati, multo majus est quam non percuti. Hic igitur dicit : « Merces vestra

[1] Hebr. IX, 37. — [2] 1 Thess. II, 14, 15.

» multa est in cœlis. » Lucas vero ipsum et intensius, et cum majori consolationis cumulo hoc dixisse narrat. Neque enim tantum eos, qui propter Deum male audiunt beatos prædicat, sed etiam eos, qui ab omnibus bene audiunt, miseros dicit; nam ait: « Væ vobis cum bene vobis dixerint omnes » homines [1]. » Atqui Apostolis bene dicebant; sed non omnes. Ideo non dixit: « Cum bene vobis dixerint homines; » sed « Cum omnes. » Neque enim fieri potest ut ii, qui virtutem colunt, apud omnes bene audiant. Rursumque ait: « Cum » ejecerint nomen vestrum tanquam malum, gaudete et » exultate. » Neque enim tantum periculis quæ subibant, sed etiam maledictis, magnam statuit mercedem. Ideo non dixit: « Cum vos expulerint et occiderint; » sed, « Cum exprobraverint, et dixerint omne malum. » Nam maledicta acerbius mordent, quam res ipsæ. In periculis enim multa sunt quæ laborem faciant leviorem; verbi causa, cum ab omnibus excitamur, et multos habemus plaudentes, coronantes, prædicantes. Hic vero in maledictis hæc consolatio amovetur. Non enim magna esse virtus putatur, etiamsi magis hæc quam pericula certantem commoveant. Multi namque ad laqueum accurrerunt, malam non ferentes famam. Et quid hoc in aliis mireris? Proditorem illum impudentem et execrandum, qui de nulla re erubescebat, hoc maxime ad laqueum ire compulsit. Job quoque ipse adamas, et petra firmior, cum opes amisit et intoleranda passus est, filiis orbus repente factus, cum videret corpus suum vermibus scatere, instantemque uxorem, omnia facile passus est; cum autem vidit amicos sibi exprobrantes insultantesque, pravamque de se existimationem habentes, dicentesque ipsum propter peccata sua hæc perpeti, et nequitiæ suæ pœnas dare, tunc turbatus est vir ille fortis et magnus.

[1] Luc. VI, 26.

VI. David quoque mittens omnia, quæ passus fuerat, pro maledicto retributionem a Deo petebat. « Sine, inquit, illum » maledicere Davidi, quia Dominus præcepit illi, ut videat » Dominus humiliationem meam, et retribuat mihi bona pro » maledicto, in die hac [1]. » Et Paulus, non periclitantes modo, neque bonis spoliatos, sed etiam maledicta ferentes prædicat his verbis : « Recordamini dierum priorum, in qui- » bus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum : » et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectacu- » lum facti ; in altero autem socii taliter conversantium ef- » fecti [2]. » Propterea mercedem magnam posuit Christus. Deinde ne quis dicat : « Hic ergo non vindicas, neque eorum ora consuis, sed sibi mercedem das? » Prophetas memoravit ; ostendens neque tunc ipsos Deum ultum esse. Si vero tunc cum prope erant retributiones, spe futurorum fovebat illos, multo magis nunc, quando spes illa clarior effecta est, et philosophia major. Vide autem post quot mandata hoc statuat. Non enim casu quopiam hoc fecit ; sed ut ostendat non posse eum, qui non ad hæc omnia paratus et instructus sit, in hæc certamina prodire. Ideo a priori semper ad sequens mandatum viam parans, catenam nobis auream texuit. Cum enim quis humilis fuerit, etiam sua omnino lugebit peccata : qui lugebit, mitis erit, modestus et misericors ; misericors vero justus erit, compunctus et mundus corde : qui talis erit, etiam pacificus futurus est. Qui porro hæc omnia assecutus fuerit, ad pericula etiam paratus erit, neque male audiens turbabitur, neque si innumera patiatur mala. Postquam ergo eos ad ea, quæ consentanea erant, hortatus est, rursus eos laudibus solatur. Quia enim sublimia præcepta erant, multoque majora quam in veteri lege, ne turbarentur ac trepidarent, dicerentque : « Quomodo hæc implere poterimus? » audi quid dicat : « Vos

[1] 2 Reg. XVI, 11, 12. — [2] Hebr. X, 32, 33.

» estis sal terræ [1], » ostendens se necessario hæc præcepta dare. Non enim pro vestra vita, sed pro toto orbe, inquit, verbum vobis committitur. Neque in duas urbes vos mitto, vel decem vel viginti; neque in unam vos mitto gentem, sicut Prophetas olim, sed in terram, in mare et in universum orbem, et hunc pessime affectum. Cum dixit enim : « Vos » estis sal terræ, » ostendit universam hominum naturam infatuatam, et a peccatis corruptam esse. Ideo has in illis maxime virtutes requirit, quæ sunt ad multorum sollicitudinem gerendam magis necessariæ et utiles. Etenim qui mitis est, modestus, misericors et justus, non in se tantum bona opera concludit; sed etiam id curat ut egregii illi fontes ad aliorum manent utilitatem. Rursum qui mundus est corde, pacificus et pro veritate pulsus, vitam suam ad communem utilitatem dirigit. Ne putetis, inquit, vos ad levia quædam certamina trahi, neque de rebus exiguis apud vos agi : « Vos estis sal terræ. » Quid igitur? num illi putrida restaurarunt? Nequaquam. Non possunt enim jam putrefacta salis permixtione juvare. Non hoc certe fecerunt. Sed renovata prius, et sibi tradita, et a fœtore illo liberata, tunc cum sale miscebant, atque in illa novitate servabant, quam a Domino acceperant. Nam liberari a fœtore peccatorum, Christi virtutis opus fuit; at non ad illum fœtorem reverti, id illorum diligentiæ et laboris opus erat. Vides-ne quomodo paulatim ostendit ipsos Prophetis esse meliores? Non enim Palæstinæ doctores esse ait, sed totius orbis terræ; nec modo doctores, sed etiam doctores tremendos. Quod enim mirum est, non adulantes, neque palpantes, sed aspere acriterque agentes sicut sal, sic desiderabiles omnibus fuerunt. Nolite ergo mirari, inquit, si aliis relictis, vos alloquar, et ad tanta vos pericula pertraham. Considerate enim quot quantisque civitatibus, populis, gentibus

[1] Matth. v, 13.

vos præfectos missurus sim. Ideoque non vos tantum prudentes esse volo; sed ut alios similes faciatis. Illos autem qui hujusmodi sunt, admodum sagaces esse oportet, in quibus nempe et aliorum salus periclitatur, et tantam in illis inesse virtutem, et eam ad aliorum utilitatem impertire possint. Nisi enim tales fueritis, ne vobis quidem ipsis sufficere poteritis.

VII. Ne itaque ægre feratis, quasi molesta sint ea quæ dicuntur. Nam alii quidem infatuati, ministerio vestro resipiscere possunt : vos autem si in illud malum incidatis, alios vobiscum in perniciem trahitis. Itaque quanto majora vobis committuntur negotia, tanto majore studio opus habetis. Quapropter ait : « Si autem sal infatuatum fuerit, » in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur » foras, et conculcetur ab hominibus [1]. » Nam alii quidem si sexcenties cadant, veniam consequi possunt : doctor autem si id patiatur, omni defensione privatur, et extremo afficietur supplicio. Ne enim audientes : « Cum exprobraverint vos et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum » verbum adversum vos, » in medium prodire timeant, dicit : « Nisi ad hæc parati fueritis, frustra electi estis. Non enim maledicta sunt timenda, at metuendum ne simulatores videamini : tunc enim infatuati eritis et conculcati. Si autem perseveretis aspere cum illis agere, si postea male audiatis, gaudete. Illud enim salis est opus, ut molles mordeat et pungat. Itaque maledicta necessario sequuntur, neque in aliquo vos lædunt, sed vestram testificantur firmitatem. Si vero illa metuentes, ab illa vobis congruente vehementia destiteritis, multo graviora passuri estis, apud omnes male audituri, et omnibus contemptui eritis : illud enim est « Conculcari. » Deinde ad aliud sublimius pergit exemplum. « Vos estis lux mundi [2]. » Iterum mundi, non

[1] Matth. v, 13. — [2] Ibid. 14.

gentis unius, vel viginti civitatum, sed totius orbis : lux intelligibilis, his solaribus radiis præstantior, quemadmodum et sal spirituale. Primo sal, deinde lux; ut discas quantum ex acri sermone lucrum proveniat, quanta ex gravi doctrina utilitas. Stringit enim, nec sinit diffluere, et ad virtutem ducens respiciendi vim indit. « Non potest ci-» vitas abscondi supra montem posita : neque accendunt » lucernam, et ponunt eam sub modio [1]. » Rursus per hæc illos ad accuratam vitæ rationem excitat, docens eos ut sollicite sibi caveant, utpote qui sub omnium oculis versentur, et in medio totius orbis theatro decertent. Nolite, inquit, id reputare animo, vos jam hic sedere, et in exigua anguli parte versari. Ita enim conspicui omnibus eritis, ut civitas in montis cacumine posita, ut lucerna in domo supra candelabrum lucens. Ubi sunt nunc illi qui Christi potentiæ non credunt? Hæc audiant, et de prophetiæ vi stupentes, adorent ejus fortitudinem. Perpende enim quanta polliceatur iis, qui ne in sua quidem regione noti erant; videlicet ipsos in terra et in mare celebrandos, et fama ad terminos orbis perventuros esse; imo non fama tantum, sed et beneficii efficacia. Non enim illos fama volans notos reddidit ubique, sed ipsa operum celebritas. Nam ceu volucres velocius quam solis radii terram omnem peragrarunt, piæ religionis lucem emittentes. Hic autem mihi videtur illos ad fiduciam sumendam cohortari : cum enim dicit : « Non potest civitas abscondi supra montem posita, » potentiam declarat suam; sicut enim illa civitas abscondi nequit, sic prædicatio taceri et latere non potest. Quia enim locutus erat de persecutionibus, de maledictis, de insidiis, de bellis; ne putarent hæc illis posse os obstruere, fiduciam illis indens, ait prædicationem non modo non latere posse, sed et totum orbem illustraturam esse. Ideo

[1] Matth. v, 15.

que illi etiam erunt conspicui et insignes. Hinc igitur potentiam suam ostendit; ex sequentibus vero fiduciam ab illis exigit his verbis : « Neque accendunt lucernam, et » ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat » omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram » hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent » Patrem vestrum qui in cœlis est [1]. » Ego enim, inquit, lucem accendi : ut vero perseveret ardens, id ad vestram diligentiam pertinet, non vestri tantum causa; sed et illorum gratia qui hac potientur luce, et ad veritatem deducentur. Neque enim poterunt maledicta vestrum obscurare splendorem, si vos accurate vitam instituatis, atque illo modo, ut qui totum orbem convertere debeatis. Dignam igitur tanta gratia exhibete vitam, ut sicut illa ubique prædicatur, sic et hæc cum illa concurrat. Deinde aliud post hominum salutem lucrum ponit, quod posset illos ad majorem sollicitudinem omnimodumque studium excitare. Nam si recte vivatis, inquit, non modo totum orbem emendabitis, sed etiam id efficietis ut Deus glorificetur : si vero contra feceritis, et homines perdetis, idque efficietis ut Deus blasphemetur.

VIII. Et quomodo, inquies, per nos glorificabitur Christus, si nobis homines maledicturi sint? At non omnes; imo qui id facient, id ex invidia facient : invidi autem illi in conscientia sua vos mirabuntur atque suspicient; quemadmodum et ii qui palam improbis adulantur, mente eosdem criminantur. Quid ergo præcipis? An ut ad ostentationem et honoris aucupium vivamus? Absit, non id dico. Neque enim dixi: « Id studete, ut bona opera vestra in medium proferatis : » neque dixi : « Exhibete illa; » sed, « Luceat lux » vestra; » multa sit virtus, copiosus ignis, lux ineffabilis. Cum enim tanta virtus sit, fieri non potest ut lateat, etiamsi

[1] Matth. v, 16.

is qui illam possidet, omnimodo eam obscuram esse velit. Irreprehensibilem igitur illis exhibete vitam, nullamque veram habeant accusandi occasionem; etiamsi sexcenti accusatores adsint, nemo vos obscurare poterit. Pulchre dixit : «Lux.» Nihil enim hominem sic illustrem efficit, etiamsi prorsus latere velit, ut virtutis splendor. Sicut enim ipso solari radio circumdatus, ita etiam clarius refulget, non in terram tantum radios emittens, sed ipsum cœlum transcendens. Hinc illos admodum consolatur. Nam si de maledictis, inquit, doletis, multi etiam erunt qui propter vos Deum admirentur. Utrinque vero colligitur merces, et cum propter vos Deus glorificatur, et cum propter Deum vos maledictis incessimini. Etenim ne male audire studeamus, quod didicerimus hinc præmium reportari, non illud simpliciter posuit, sed cum duabus distinctionibus; nempe cum falsa dicuntur, et cum propter Deum maledicimur : ostenditque non illud tantum, sed etiam bene audire multum afferre lucrum, gloria in Deum transeunte : bonaque illos spe fulcit. Non enim tantam vim habent, inquit, iniquorum maledicta, ut alios ita obtenebrare possint, ut lucem vestram non videant. Cum enim infatuati fueritis, tunc tantum vos conculcabunt; non vero cum recta facientes, accusamini. Tunc enim multi erunt, qui mirabuntur non vos tantum, sed propter vos et Patrem vestrum. Nec dixit Deum, sed Patrem, jam semina jaciens nobilitatis illius ipsis conferendæ. Deinde honoris æqualitatem declarans, cum superius dixisset : «Ne contristemini cum male audieritis, sufficit enim vobis quod propter me ista audiatis;» hoc loco Patrem ponit, æqualitatem ubique declarans. Cum igitur sciamus quantum lucri ex hac diligentia reportemus, et quantum ex socordia periculum creetur; nostra quippe pernicie multo pejus est, quod Dominus noster blasphemetur propter nos; sine offensione simus et Judæis et genti-

bus, et Ecclesiæ Dei, vitamque sole splendidiorem exhibeamus. Et si maledicere quis velit, ne doleamus si male audiamus, sed si merito male audiamus. Si enim in nequitia vivamus, etsi nemo sit qui maledicat, omnium miserrimi sumus; si autem virtutem colamus, etiamsi totus orbis nobis maledicat, erimus omnium beatissimi, et eos omnes, qui salutem consequi velint, ad nos pertrahemus : non enim maledictis improborum animum adhibebunt, sed vitæ cum virtute actæ. Etenim tuba clariora sunt opera bona, ipsa luce lucidior vita pura, etiamsi innumeri sint ii qui obloquantur. Si enim omnia supradicta habeamus, si mites, humiles ac misericordes simus, si item puri et pacifici, ac male audientes non referamus injuriam; imo etiam gaudeamus, non minus quam per miracula spectatores ad nos pertrahemus, libenterque omnes ad nos accedent; sive fera quis fuerit, sive dæmon, aut quidvis aliud. Si quidam maledicant, ne ideo turberis, neque cures si te palam contumelia afficiant; sed eorum conscientiam explora, et vide. bis illos plaudentes, mirantes, et mille intus laudibus ornantes. Vide igitur quo pacto Nabuchodonosor pueros in fornace laudet [1], etiamsi hostis inimicusque esset. Sed quia vidit fortiter stantes, illos prædicat et coronat; non alia de causa, nisi quia ipsi non obtemperantes, legem Dei audierant. Diabolus enim cum videt se nihil proficere, demum abscedit, timens ne plures nobis coronas conciliet. Cum autem ille discesserit, quantumvis facinorosus et scelestus quis fuerit, sublata illa caligine, virtutem agnoscet. Quod si homines a recto ratiocinio deflectant, a Deo majorem admirationem laudemque referes.

IX. Ne doleas itaque, neque animo concidas. Nam et Apostoli aliis quidem erant odor mortis, aliis autem odor vitæ [2]. Nam si tu nullam ansam dederis, ab omni crimine

[1] Dan. III. — [2] 1 Cor. II, 15.

liberaris, imo beatior effectus es. Resplende igitur in vita, et maledicos ne cures. Non potest enim, non potest sane qui virtutem colit non multos habere inimicos. Sed nihil horum probo nocere potest : per hæc enim longe splendidior erit. Hæc itaque cogitantes, unum tantum scopum habeamus, cum diligentia nostram dispensare vitam. Sic enim eos, qui in tenebris sedent, ad supernam vitam quasi manu ducemus. Tanta scilicet hujus lucis vis est, ut non hic tantum fulgeat, sed et sequentes se illo deducat. Cum enim nos viderint præsentia omnia despicientes, et ad futura præparatos, operibus magis quam verbis obtemperabunt. Quis enim est ita stultus, qui videns hominem heri et nudiustertius deliciantem et divitem, jam exutum omnibus et ceu volucrem effectum, ad famem, paupertatem, ad macerationem omnem, ad pericula, ad sanguinem fundendum, ad necem atque ad omnia, quæ dura reputantur, paratum, non hinc clarum accipiat futurorum, argumentum? Si vero præsentibus nos implicemus, atque in illis nos immergamus, quomodo credere poterunt nos ad aliam festinare patriam? quæ vero nobis demum erit excusatio, cum non tantum valeat apud nos Dei timor, quantum valuit apud Græcorum philosophos humana gloria? Nam illorum quidam pecunias abjecerunt, et mortem contempserunt, ut sese hominibus ostentarent : ideoque vana fuit illorum spes. Quænam ergo nos defensio liberabit, cum post tanta nobis proposita bona, et post tantam nobis apertam ad philosophandum viam, ne paria quidem illis exequi possimus, sed et nos et alios pessumdemus? Neque enim ita nocet Græcus inique agens, ut Christianus idipsum faciens : et jure quidem. Illorum enim putrida est doctrina et opinio; nostra vero per Dei gratiam, etiam apud impios venerabilis est et illustris. Idcirco quando maxime nobis exprobrare volunt et maledicta augere, id

subjungunt, « Christianus ; » non id dicturi certe, nisi magnam de doctrina nostra haberent opinionem. Non audisti qualia et quanta Christus jusserit? quando ergo poteris vel unum ejus implere præceptum, cum missis omnibus, circumeas usuras colligens, fœnus fœnori addens, negotiationes instituens, servorum greges emens, argentea vasa comparans, agros, domos, supellectilem immensam? Et utinam id solum ageres! Cum vero his intempestivis injustitiam quoque addas, terram finitimis abstrahas, domos spolies, pauperes atteras, famem augeas, quando poteris ad hæc limina accedere? Verum quandoque pauperum misereris? Id et ego novi. Sed hic quoque multa pernicies est. Aut enim cum fastu, aut ad vanam gloriam id agis, ut nec in bonis quidem operibus aliquid lucreris : quo quid miserabilius unquam fuerit, cum in portu ipso naufragium patiaris? Ne igitur id eveniat, cum boni aliquid operatus es, ne quæras a me gratiam, ut Deum habeas debitorem, qui ait : « Mutuum date iis, a quibus non speratis vos accepturos [1]. » Habes debitorem, cur, illo relicto, a me exposcis, homine paupere et misero? Num indignatur hic debitor, cum debitum exigitur? Num pauper est? Num solvere recusat? Non vides ejus ineffabiles thesauros? Non vides illam inenarrabilem liberalitatem! Ab illo igitur exige et exposce. Sic rogatus gaudet. Nam si viderit ab alio exigi id quod ipse debet, contumelia affectum se putabit, nec tibi postea reddet, imo te juste accusabit. In quo me ingratum, inquiet, deprehendisti? Me-ne pauperem putas, qui, me prætermisso, alios adeas? Alii mutuum dedisti, et ab alio exigis? Etsi namque homo acceperit, Deus dare jussit : ipse primus debitor et sponsor esse vult, innumeras tibi præbens ab eo petendi occasiones. Ne igitur, tanta facilitate tantaque abundantia prætermissa, a me accipere quæras qui

[1] Luc. VI, 35.

nihil habeo. Qua de causa te mihi ostentas, cum pauperi erogas? Num ego dixi tibi : « Da? » Num a me audisti, ut a me exigas? Ipse dixit : « Qui miseretur pauperi, fœneratur » Deo [1]. » Deo fœneratus es? ab illo exige. At non totum nunc reddit? Verum id ad utilitatem tuam facit. Est quippe talis debitor, qui non solum id quod mutuo datum est, ut multi faciunt, reddere festinet; sed etiam id agat, ut id quod datum est, in tuto depositum sit. Ideo quæ hic debita sunt reddit; quæ illic, reservat.

X. Hæc cum sciamus, misericordiæ magnam demus operam, multamque humanitatem exerceamus, et pecuniis et operibus. Et si videamus aliquem male mulctatum et cæsum in foro, si argentum possumus deponere, deponamus; si verbis rem possumus terminare, ne pigeat. Est enim etiam pro sermone merces; imo etiam pro gemitibus; idque beatus Job dicebat : « Ego autem flebam super om- » nem infirmum : ingemui autem videns virum in necessi- » tatibus [2]. » Si autem pro lacrymis et gemitibus merces est, quando etiam sermones et sollicitudo multaque alia adhibentur, cogita quanta sit retributio. Etenim et nos inimici Dei eramus; et Unigenitus nos reconciliavit, sese medium conjiciens, et plagas pro nobis excipiens, mortemque patiens. Studeamus itaque et nos eos, qui in hæc incidunt, a malis innumeris liberare; non vero, quod nunc facimus, in mala eos immittere : cum quospiam videmus in se mutuo irruere, alterumque ab altero male affici, astantes enim gaudemus de aliorum dedecore, theatrumque diabolicum circum statuimus : quo quid immanius unquam fuerit? Vides male audientes, se mutuo discerpentes, vestem discindentes, faciem cædentes, et quiete stare sustines? Num ursus est is qui pugnat? num fera? num serpens? Homo est tecum semper communicans, frater est, mem-

[1] Prov. xix, 17. — [2] Job. xxx, 25.

brum tuum est. Ne spectator sis, sed solve rixam ; ne læteris, sed corripe : ne alios excites ad tantum dedecus, sed confligentes arce et dirime. Impudentium enim et otiosorum est talibus gaudere calamitatibus, nefariorum et irrationalium hominum. Vides hominem turpiter agentem, nec advertis te etiam turpiter agere? neque in medium irruis, ut diaboli phalangem dissipes, et humana mala solvas? At, inquies, ut et ego plagas accipiam, ita jubes? Atqui id tu non patieris; si vero patiaris, id tibi martyrii loco erit : propter Deum enim passus es. Si vero plagas accipere cunctaris, cogita Dominum tuum crucem propter te passum esse. Illi enim velut ebrii et obtenebrati sunt, furore duce et tyrannidem exercente, opus autem habent sanæ mentis homine, qui ipsis auxilietur, tam nempe lædens, quam patiens : hic quidem, ut male patiens liberetur; ille vero, ut mala inferre desinat. Accede igitur, et manum porrige sobrius temulento. Ira quippe ebrietatem parit, vini temulentia deteriorem. Non vides nautas, cum aliquos cernunt incidere in naufragium, quomodo vela expandentes, cum magna diligentia properent, ut socios ex fluctibus eruant? Si vero artis ejusdem consortes tantum sibi mutuo præstant auxilium, multo magis ejusdem naturæ consortes, hæc omnia facere par est. Nam hic quoque naufragium est illo perniciosius. Aut enim ille læsus blasphemavit, et omnia bona evacuavit; aut pejeravit, ira cogente, atque in gehennam incidit; vel plagam infert atque necem, et hoc ipsum patitur naufragium. Perge igitur, malum illud sedа, demersos extrahe, in ipsum tempestatis pelagus descendens, ac soluto diaboli theatro, seorsim singulos admone, flammam extingue, fluctusque comprime. Si vero majus fuerit incendium, fornaxque ardentior, ne formides : multi enim adsunt qui tibi opitulentur, manumque porrigant, si solum incipias, atque præ omnibus Deus pacis. Et si prior

flammam excusseris, multi alii sequentur, sicque eorum, quæ ipsi recte fecerint, tu mercedem accipies. Audi quid Christus Judæis humi repentibus præceperit. «Si videris, inquit, jumentum inimici tui lapsum, ne prætercurras, sed erige illud.» Atqui longe facilius est sese mutuo verberantes homines separare, quam jumentum erigere. Si vero inimicorum asinum, multo magis amicorum animas oportet erigere : cum maxime deterior est ruina; neque enim in cœnum, sed in gehennam ignis incidunt, quod iræ pondus grave non sustinuerint. Tu vero videns fratrem sub sarcina jacentem et diabolum instantem ac rogum succendentem, inhumaniter crudeliterque prætercurris, quod ne erga bruta quidem sine periculo admittitur.

XI. Samaritanus quidem ille saucium videns ignotum, nihilque ad eum pertinentem, et stetit, et jumento suo imposuit, inque diversorium deduxit, ac medicum mercede conduxit, argentumque partim dedit, partimque pollicitus est [1]. Tu vero dum hominem vides qui incidit, non in latrones, sed in dæmoniorum cohortes, quique furore correptus est; non in deserto, sed in medio foro; non pecuniam impensurus, nec jumentum conducturus, vel aliquem procul missurus, sed verba tantum prolaturus, cunctaris ac refugis, atque sine misericordia prætercurris? Et quomodo speras te Deum unquam propitium habiturum esse? Jam vos alloquar qui in foro indecore agitis, eumque qui lædit et inique agit. Dic mihi, plagas incutis, calcibus impetis, et mordes? Sus ne sylvester es, vel onager? Nec te pudet, nec erubescis, ita efferatus, qui nobilitatem tuam prodidisti? Si enim pauper es, at liber es; si artifex es, sed christianus. Eo ipso quod pauper es, quiescere debes. Nam divitum est litigare, non pauperum; divitum, inquam, qui multas habent jurgiorum cau-

[1] Luc. x, 34.

sas. Tu vero qui divitiarum voluptatem non habes, mala tamen divitiarum quæris, inimicitias tibi, contentiones et rixas attrahens, fratrem præfocas et angis, et publice sub omnium oculis prosternis. Nec te putas magis indecore agere, dum ferarum impetum imitaris, quinetiam illis deterior effectus es. Omnia quippe illis communia sunt, simul congregantur, una incedunt. Nobis vero nihil commune est, sed omnia susdeque posita sunt, rixæ, contentiones, convitia, inimicitiæ, contumeliæ. Sed neque cœlum ipsum reveremur, quo omnes simul vocati sumus, neque terram quæ nobis omnibus obvenit, neque naturam ipsam. Sed omnia simul ira et amor pecuniarum dissipavit. Non vides illum, qui decem millia talenta debebat, postquam illa sibi remissa fuerant, conservum suum suffocantem pro centum denariis, quot mala subiit, et quomodo æterno traditus sit supplicio [1]. Non times exemplum? non metuis ne tu eadem patiaris? Etenim nos quoque Domino plurima magnaque debemus. Ille tamen expectat et patienter agit: non instat, ut nos conservis nostris: non nos angit et suffocat. Certe si vel minimam partem vellet a nobis exigere, jam olim periissemus. Hæc itaque cogitantes, dilecti, humiliemur, et debitoribus nostris gratiam habeamus: sunt enim nobis, si philosophemur, occasio maximæ indulgentiæ, et pauca dantes, plurima accipiemus. Quid igitur violenter ab eo exigis, cum oporteret, etiamsi ipse solvere vellet, debitum remittere, ut totum a Deo acciperes? Nunc vero nihil non agis, vim infers, contendis, ut tibi nihil ex debitis tuis remittatur. Et videris quidem proximo tuo molestiam inferre, dum gladium tibi admoves, et gehennæ supplicium auges. Si autem vel tantillum hic philosopheris, leviores efficis rationes pœnasque tuas. Etenim Deus ideo vult ut apud nos hujusmodi liberalitas oriatur, ut occasio-

[1] Matth. xviii, 28.

nem hinc captet plurima nobis donandi. Quotquot igitur debitores tibi sunt, sive de pecuniis, sive de offensis agatur, hos omnes dimitte liberos, et a Deo postula, ut tantæ magnanimitatis tibi vices rependantur. Donec enim ipsos debitores habebis, Deum debitorem non habebis. Sin illos liberos dimiseris, poteris a Deo exigere cum instantia magna tantæ philosophiæ mercedem. Si enim homo præteriens, vidensque te debitorem tenere, juberet te ipsum dimittere, et abs se debitum reposcere, non certe ingratus illi foret post remissionem, utpote qui in se totum transtulerit; quomodo Deus non plura alia, imo millies plura reddet, cum ejus præcepto obtemperantes, debitores nostros, nec parvum, nec magnum ab eis expostulantes, dimiserimus prorsus liberos? Ne temporaneam illam voluptatem attendamus, quam debita repetentes accipimus; sed damnum illud tantum quod in futuro expectamus, in bonis immortalibus nos ipsos lædentes. Omnibus ergo superiores facti, largiamur et pecunias et offensas debitoribus nostris, ut leviores nobis rationes reddendas paremus; et quod non potuimus per alias virtutes assequi, per oblivionem injuriarum consequentes, æterna adipiscamur bona, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVI.

CAPUT V.

Nolite putare quod venerim solvere legem, aut Prophetas [1].

I. Quis [2] enim id fuerat suspicatus? aut quis objecerat, ut huic objectioni occurreret? Neque enim ex dictis talis suspicio oriebatur. Nam quod juberet mites esse, modestos, misericordes, mundos corde, et pro justitia decertare, nihil simile indicabat; imo huic rei oppositum erat. Qua ergo de causa hoc dixit? non incassum, nec frustra; sed quia veteribus præceptis majora laturus erat, dicens: « Audis- » tis, quia dictum est antiquis: Non occides; ego autem dico » vobis: Ne irascamini [3]; » ut divinam quamdam ac cœlestem viam aperiret; ne rei novitas auditorum animos turbaret, et ad dubitandum de dictis adduceret, hac utitur prævia cautione. Etiamsi enim legem non implerent, magno tamen erga illam tenebantur affectu, ac licet ipsam quotidie violarent, litteras tamen volebant immotas manere, nihilque ipsis adjici; imo vero quædam a principibus suis addita tuebantur, quæ certe non ad melius, sed ad pejus vergebant. Etenim honorem parentibus debitum his additamentis solverunt, et alia plurima importunis additionibus pessumdederunt. Quoniam ergo Christus ex sacerdotali tribu non erat, et quæ ipse inducturus erat, additamentum erat quodpiam, quod virtutem non minueret, sed augeret:

[1] Matth. v, 17. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIII, pag. 445-451, et tom. XVII, pag. 74-78. — [3] Matth. v, 21, 22.

hæc ambo prævidens, quæ ipsos turbatura erant; antequam admirandas illas leges scripto tradi curaret: illud rejicit quod illis in mentem venturum erat. Quid vero illud erat quod subreperet et objici posset? Putabant illum hæc dicere ad legalia vetera abroganda. Hanc itaque sanat opinionem. Neque hic solum hoc facit, sed et alibi quoque. Quia enim illum adversarium Deo credebant, eo quod sabbatum non servaret, ut hanc illorum suspicionem amoveat, illic quoque defensiones expromit, illasque sibi congruentes: ut cum dicit: «Pater meus operatur, et ego operor [1]; » alias vero demissiore modo prolatas, ut cum ovem in medium affert in sabbato perditam, et ostendit ad ejus salutem legem fuisse solutam [2], circumcisionem quoque idipsum facientem commemorat. Ideo scilicet humilioribus sæpe verbis loquitur, ut opinionem illam, qua putabatur ipse Deo adversari, eliminaret. Idcirco qui verbo solo innumeros mortuos suscitaverat, cum Lazarum vocavit, et orationem adjecit [3]; ne hinc Patre suo minor ostenderetur, et ut hanc suspicionem emendaret, subjunxit: «Hæc dixi propter turbam circumstantem, ut credant quia tu me misisti [4]. » Neque omnia quasi sua auctoritate facit, ut infirmitati eorum se attemperet; neque etiam omnia, præmissis precibus, facit, ne posteris relinqueret suspicionis argumentum, quasi scilicet infirmus et impotens sit, sed hæc illis et illa his admiscet. Illud autem non sine temperamento facit, sed cum decenti sibi prudentia. Nam et majora facit quasi potestatem habens, et in minoribus ad cœlum respicit. Siquidem cum peccata dimittit, cum secreta revelat, et paradisum aperit, cum dæmonas pellit, cum leprosos mundat, cum mortem frenat, cum mortuos suscitat innumeros, jussu omnia facit; cum autem, quod multo minus erat, panes ex

[1] Joan. v, 17. — [2] Matth. xii, 11. — [3] Joan. xi, 4. — [4] Ibid. 42.

paucis multos fecit, tunc in cœlum respexit, per omnia ostendens se non ex infirmitate hoc facere. Nam qui majora poterat cum potestate facere, quomodo in minoribus prece opus habuisset? Sed, quod jam dixi, ut illorum impudentiam coërceat hoc facit. Idipsum existimato, cum vides eum humilia verba proferre. Nam et verborum et operum hujusmodi multæ sunt causæ; exempli gratia, ne a Deo putetur esse alienus, quod omnes erudiat et sanet, quod humilitatem doceat, quod carne circumdetur, quod non possint Judæi omnia confertim audire, quod doceat ne quis magnum quid de seipso loquatur. Ideoque sæpe multa humilia de seipso dicens, magna aliis relinquit dicenda.

II. Nam ipse, cum Judæis loqueretur, dicebat: «Antequam » Abraham fieret, ego sum [1]. » Discipulus autem ejus non ita; sed « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum, et Deus erat Verbum [2]. » Rursum, quod cœlum, terram, mare ipse fecerit, nec non visibilia et invisibilia omnia, ipse nunquam clare dixit; Discipulus vero cum libertate magna nihil supprimens, semel, bis et pluries id ait: « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est » nihil; » et, « In mundo erat, et mundus per ipsum factus » est [3]. » Ecquid miraris, si alii majora de illo dixerunt, quam ipse, quando multa per opera exhibens, per verba clare non dicebat? Quod enim hominem ipse fecerit, ostendit clare per cæcum; cum autem de formatione in principio facta sermo ipsi erat, non dixit: « Ego feci; » sed « Qui fecit, masculum et fœminam fecit eos [4]. » Et quod mundum creaverit, et ea quæ in ipso sunt, per pisces, per vinum, per panes, per tranquillitatem in mari, per radios, quos emisit in Thabore, perque plurima alia monstravit; verbis tamen nunquam clare dixit. Sed Discipuli id sæpe dicunt, Joan-

[1] Joan. VIII, 58. — [2] Id. 1 1. — [3] Ibid. 3 et 10. — [4] Matth. XIX, 4, et en. 1, 27.

nes, Paulus, Petrus. Nam si isti, qui nocte dieque ipsum loquentem audiebant, et miracula patrantem videbant, quibus seorsim multa solvebat, et tantam dederat potestatem, ut et mortuos suscitarent, atque ita perfectos reddiderat, ut omnia pro ipso relinquerent; post tantam virtutem et philosophiam, non potuerunt omnia portare, antequam Spiritum sanctum acciperent; quomodo populus judaïcus intelligentiæ expers, qui ad tantam virtutem non pervenerat, qui nonnisi fortuito casu ejus et gestis et dictis aderat, ipsum alienum a Deo universorum esse non credidisset, nisi tanta demissione et indulgentia per omnia usus esset? Ideo namque, cum sabbatum solveret, non antea legem hujusmodi suam induxerat, sed varias et multas prius affert purgationes. Quod si mandatum unum soluturus, tanta utitur verborum cautione, ne auditores percellat; multo magis cum legi integræ integram adderet legem, plurimo egebat apparatu atque cura, ne auditores turbaret. Idcirco non ubique de Divinitate sua clare loquitur et docet. Si enim, quod legi quidpiam adjiceret, illos tantum turbavit, multo magis turbasset si se Deum esse declaravisset. Ideoque multa sua Divinitate longe inferiora loquitur. Hic vero de additione legi facienda verba facturus, multa præcautione utitur. Neque enim semel tantum dixit se legem non solvere, sed id secundo repetiit, majusque aliud rursus adjecit. Cum dixisset enim : « Nolite putare quoniam veni sol- » vere legem, « adjecit, » Non veni solvere, sed adimplere [1]. » Illud vero non modo Judæorum impudentiam coërcet, sed etiam hæreticorum ora consuit, qui veterem legem ex diabolo esse dicunt. Nam si ejus tyrannidem destructurus Christus advenit, quo pacto eam non modo non solvit, sed etiam implet? Non enim tantum dixit : « Non solvo, » quod satis certe fuisset, sed et adjecit, « Impleo; » quod non

[1] Matth. v, 17.

modo non adversarii legis erat, sed etiam defensoris. Et quomodo non solvit, inquies, quomodo implevit aut legem, aut Prophetas? Prophetas quidem, quod omnia, quæ de ipso dicta erant ab eis, operibus confirmaverit; quapropter Evangelista ad singula dicebat: « Ut impleretur » quod dictum est per Prophetam; » et cum natus est, et cum pueri mirabilem hymnum de ipso canebant, et quando asinæ insidebat, nec non etiam in pluribus aliis hoc ipsum implevit, quæ omnia non implenda unquam erant, nisi advenisset. Legem autem non uno tantum, sed secundo etiam ac tertio modo implevit. Uno quidem, quod ex legalibus nihil transgrederetur, quod enim totam legem impleverit, audi quid dicat Joanni: « Sic enim nos decet implere om- » nem justitiam [1]; » et Judæis dicebat: « Quis ex vobis arguet » me de peccato [2]? » ac Discipulis rursum: « Venit princeps » mundi hujus, et in me non habet quidquam [3]. » Propheta quoque supra dixit ipsum peccatum non habere. Hoc itaque uno primoque modo legem implevit. Secundo autem implevit modo, quod id propter nos fecerit. Nam quod mirum est, non modo ipse implevit, sed illud quoque largitus est ut nos impleremus, quod Paulus sic declarat: « Quo- » niam finis legis Christus ad justitiam omni credenti [4]. » Et peccatum illum damnasse dicit in carne: « Ut justificatio » legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem am- » bulamus [5]. » Et rursum: « Legem ergo destruimus per fi- » dem? Absit. Sed legem statuimus [6]. » Quia enim lex studebat hominem facere justum, sed infirmabatur; veniens ipse, et modum justitiæ inducens, nempe per fidem, legis voluntatem statuit; et quod illa non potuerat per litteras, id ipse per fidem perfecit: propterea inquit: « Non veni » solvere legem. »

[1] Matth. III, 15. — [2] Joan. VIII, 46. — [3] Id. XIV, 30. — [4] Rom. X, 4. — [5] Id. VIII, 3. — [6] Id. III, 31.

III. Si quis vero diligenter exploret, alium quoque tertium modum inveniet, quod id factum est. Quem illum? Per præcepta quæ daturus erat. Neque enim erat abrogatio priorum, sed extensio et complementum erant ea quæ dicebantur. Nam non occidendi præceptum non abrogatur a præcepto non irascendi, sed complementum est ad majorem cautionem : et idem dicatur de cæteris omnibus. Ideoque cum horum semina sine aliqua suspicione prius sparsisset, quando clarius ex comparatione veterum et novorum legalium ut adversans legi in suspicionem vocandus erat, prævia illa cautione usus est. Etenim jam illa ænigmatice fundata erant per ea quæ dicta fuerant. Illud enim, « Beati » pauperes spiritu, » idipsum est quod, « Ne irascamini : » et illud, « Beati mundo corde, » simile huic præcepto est, « Non respiciendam esse mulierem ad concupiscendum eam : » et illud, « Non thesaurizandum esse thesauros in terra, » huic accinit : « Beati misericordes; » et illud lugere, persecutionibus et opprobriis impeti, tale est quale intrare per angustam portam : et illud, « Esurire et sitire justitiam, » nihil aliud est quam id quod postea dicit : « Quæcumque vultis ut fa» ciant vobis homines, et vos facitis illis [1]. » Et cum pacificum appellasset beatum, idipsum prope dicit, quod cum jussit relinquere donum et festinare ad offensum fratrem sibi reconciliandum, et benevolum esse adversario. Sed ibi quidem præmia recte operantium posuit : hic vero non recte operantium supplicia. Quapropter ibi quidem dicebat mites terram possessuros esse; hic vero ait eum, qui fratrem suum fatuum vocaverit, reum fore gehennæ ignis. Illic item dixit mundos corde Deum esse visuros; hic vero eum, qui impudicis oculis respexerit, esse vere mœchum; ac cum illic pacificos filios Dei vocasset, hic alia ratione deterret dicens : « Ne forte tradat te adversarius judici [1]. » Sic et lu-

[1] Matth. v, 25.

gentes et persecutionem patientes cum beatos superius prædicasset, in sequentibus idipsum tractans, perniciem interminatur iis qui non eadem ipsa via incedunt: nam qui per spatiosam viam ambulant, inquit, illic pereunt. Sed et illud: « Non potestis Deo servire et mammonæ [1]; » huic dicto simile mihi videtur: « Beati misericordes, » et « Qui » esuriunt justitiam. » Verum, ut prænonui, quia hæc clarius dicturus est, nec clarius modo dicturus, sed etiam plura dictis adjecturus, (non enim jam misericordem tantum quærit, sed etiam tunica te exui jubet; nec mitem solummodo, sed et ut aliam maxillam convertas percutere volenti), illam, quæ videbatur esse, repugnantiam et contrarietatem prius tollit. Ideoque, ut supra dixi, non semel tantum hoc protulit, sed bis. Cum dixisset enim: « Nolite » putare quod venerim solvere legem; » adjecit, « Non veni » solvere, sed adimplere; » rursum ait: « Amen quippe dico » vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus » apex non præteribit a lege, donec omnia fiant [2]. » Quod autem dicit hujusmodi est: « Impossibile est non impletam manere, sed vel minimum quodque ejus impleri oportet: » quod ipse fecit qui accurate omnia implevit. Hic autem nobis subindicat totius mundi figuram immutandam esse. Nec sine causa id posuit; sed ut erigeret auditorem, ostenderetque se jure aliam inducere disciplinam: si omnia, quæ in mundo sunt, mutanda sint, et si hominum genus ad aliam patriam sit vocandum, sublimiorem præparari vitam. « Qui- » cumque ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et » docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlo- » rum [3]. » Postquam enim se a mala suspicione vindicavit, et eorum, qui contradicere vellent, ora obstruit, tunc demum et terret, et minas graviter intentat super futura lege. Quod enim id non de antiquis legibus dixerit, sed de illis,

[1] Matth. VI, 24. — [2] Id. V, 18. — [3] Ibid. 19.

quas ipse laturus erat, audi sequentia. « Dico enim vobis : » Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et » Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum [1]. » Quod si circa veterem legem minaretur, cur dixisset : « Nisi abun- » daverit ? » Ii enim qui eadem ipsa, quæ illi, faciebant, non poterant secundum justitiæ rationem abundare. Sed quid erat illud quod abundabat ? Non irasci, mulierem non im- pudice respicere.

IV. Cur ergo minimas illas vocavit leges, etiamsi tantæ tamque sublimes sint ? Quia ipse legem inducturus erat ; sicut enim se humiliat et modeste sæpe de seipso loquitur, sic etiam circa legem suam agit ; ut nos quoque hic doceat in omnibus modeste agere. Alioquin autem quia innova- tionis suspicio quædam esse videbatur, demissiore interim loquendi genere utitur. Cum vero audis minimum in regno cœlorum, ne aliud suspiceris quam gehennam atque sup- plicium. Regnum enim solet appellare, non usumfructum modo, sed etiam resurrectionis tempus, et adventum illum terribilem. Nam quomodo rationi consentaneum esset eum, qui fratrem stultum vocat, et qui mandatum unum violat, in gehennam incidere ; illum vero, qui omnia præcepta sol- verit, et alios ad idipsum induxerit, in regno locari ? Non igitur hoc dicit, sed illum eo tempore minimum futurum, id est, abjectum, ultimum. Ultimus autem tunc in gehen- nam incidet. Etenim utpote Deus multorum negligentiam prævidebat, et quosdam futuros esse qui illa per hyperbo- lem solum dicta esse putarent, et qui circa leges ratiocina- rentur et dicerent : « Si ergo quis fatuum vocaverit, punitur ? si mulierem simpliciter respexerit, mœchus efficitur ? Ideo illam tollens socordiam, minas intentat maximas utrisque, et transgredientibus, et aliis ad hoc inducentibus. Minas itaque cernentes, neque ipsi transgrediamur, neque hæc

[1] Matth. v, 19. — [2] Ibid. 20.

servare volentes avertamus. « Qui autem fecerit et docue-» rit, inquit, magnus vocabitur [1]. » Non enim nobis tantum, sed et aliis utiles esse debemus. Neque enim par merces est ei, qui se ad recte faciendum comparat, et ei, qui secum alium ad id adducit. Quemadmodum enim docere et non facere, condemnat docentem; nam ait: « Qui doces alium, » teipsum non doces [2]? » sic facere, nec alios ad faciendum inducere, mercedem minuit. Oportet igitur in utroque supremum esse, et cum te priorem ad benefaciendum induxeris, ad aliorum curam transeundum est. Idcirco enim ipse opera ante doctrinam posuit, ostendens sic optime quemvis se ad docendum comparare, neque alio modo unquam. Auditurus esset enim: « Medice cura teipsum [3]. » Qui enim, cum seipsum docere non potuerit, alios emendare conatur, a multis irridebitur; imo ne docere quidem ille poterit, ipsis operibus contraria testificantibus. Si vero in utroque perfectus fuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum: « Dico » vobis: Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scriba-» rum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. » Hic justitiam, omnem vocat virtutem; ut etiam de Jobo narrans dicebat: « Et erat homo irreprehensibilis, justus [4]. » Secundum hanc justificationem justum illum Paulus vocabat, cui legem non positam esse dicebat: « Justo enim lex » non posita est [5], » inquit. Sæpeque alibi hoc pro generali virtute positum reperire est. Tu vero mihi perpende gratiæ augmentum, quando Discipulos adhuc rudes vult veteris legis doctoribus esse meliores. Scribas autem et Pharisæos hic non improbos commemorat, sed probos: nisi enim probi essent, nequaquam eos diceret habere justitiam, neque justitiam non existentem cum existente compararet. Perpende autem hoc loco quomodo esse veterem legem commendet,

[1] Matth. v, 19. — [2] Rom. II, 21. — [3] Luc. IV, 23. — [4] Job. I, . — [5] 1 Tim. I, 9.

dum eam comparat cum nova: quod sane declarat illam huic esse cognatam et affinem: nam plus et minus ejusdem generis sunt. Non igitur veteri obtrectat, sed illam augeri vult et extendi: quæ si a malo prodiret, non amplius quid in illa quæreret, neque illam perfectiorem reddidisset, sed explosisset. Et quomodo, inquies, si talis est, in regnum jam non inducit? Non inducit certe eos, qui post Christi adventum vitam instituerunt, utpote qui majorem consecuti virtutem, majora debent adire certamina: nam alumnos suos omnes eo introducit. « Multi enim venient ab » Oriente et Occidente, inquit, et recumbent in sinu Abra» hæ et Isaaci et Jacobi [1]. » Lazarus certe, qui magis fruitur præmiis, in ejus sinu versans apparet [2]. » Et quotquot in veteri lege admodum refulsere, id per illam assecuti sunt. Christus vero, si lex illa mala et aliena fuisset, non illam omnem implevisset. Nam si id solum fecisset ut Judæos attraheret, non autem ut ostenderet eam cognatam esse et affinem novæ legi, cur non etiam gentilium leges et mores implevisset, ut gentiles pertraheret?

V. Undique ergo palam est eam a Christo non induci, non quod mala sit, sed quod majorum sit præceptorum tempus. Etiamsi vero imperfectior sit quam nova, id certe non probat ipsam esse malam: alioquin autem nova in eamdem incideret conditionem. Siquidem hujus scientia, si cum futuræ vitæ scientia comparetur, exigua et imperfecta est, atque illa veniente evacuatur. « Nam cum venerit, in» quit, quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte » est [3]: » quod per novam vetus perpessa est. Nec tamen propterea illam criminabimur, licet illa cesset cum nos regno potiemur: « Tunc enim evacuabitur quod ex parte est, » inquit: illam tamen magnam dicimus. Cum itaque majora sint præmia, ampliorque Spiritus virtus, jure majora requi-

[1] Matth. VIII, 11. — [2] Luc. XVI, 23 et seqq. — [3] 1 Cor. XIII, 10.

runtur certamina. Non jam terra lacte et melle manans promittitur, non senectus vivida, non multitudo filiorum, non frumentum et vinum, non greges et armenta, sed cœlum et cœlestia bona, adoptio et fraternitas cum Unigenito, hæreditatis consortium, gloriæ et regni societas, innumeraque illa præmia. Quod autem majori auxilio fruamur, audi Paulum dicentem : « Nihil ergo jam damnationis est » iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem » ambulant, sed secundum Spiritum. Lex enim Spiritus vitæ » liberavit me a lege peccati et mortis [1]. » Comminatus itaque transgressoribus, et magna pollicitus præmia recte agentibus, ut ostendit plus a nobis jure exigi, quam mensuras priores, demum leges statuere incipit, non simpliciter, sed facta cum antiquis legalibus comparatione; hæc duo volens ostendere, se videlicet non priora impugnantem, sed cum illis admodum consonantem, has statuere leges, ac jure opportuneque hæc nova veteribus adjungere. Quod ut clarius evadat, ipsa legislatoris verba audiamus. Quid igitur ait ille? « Audistis quia dictum est antiquis : Non » occides [2]. » Atqui is, qui illa dedit, ipse est, sed interim impersonaliter hæc ponit. Si enim dixisset: « Audistis me dixisse antiquis, » non acceptus fuisset hic sermo, nec audientibus probatus. Si vero dixisset: « Audistis quia dictum est antiquis a Patre meo, » deindeque intulisset, « Ego autem dico, » major arrogantia visa fuisset. Quapropter hoc simpliciter posuit, ad hoc unum spectans ut ostenderet se jam opportuno tempore hoc dicere. Cum enim ait: « Quia dictum est antiquis, » multum intercessisse temporis declaravit, ex quo hoc præceptum acceperant. Hoc vero fecit, ut auditorem pudefaceret, ad sublimiora illa adire præcepta cunctantem; uti solet magister puero dicere negligenti : « An nescis quantum temporis in syllabarum meditatione consumpseris? » Hoc et

[1] Rom. VIII, 1, 2. — [2] Matth. V, 21.

ipse, antiquorum nomine subindicans, evocat illos ad præcepta meliora, ac si diceret : « A satis longo tempore hæc meditamini; oportet demum ad sublimiora pergere. » Bene autem agitur quod præceptorum ordo non confundatur, sed a priore incipiatur, a quo lex incœpit : etenim illud ipsum concordiam ostendit. « Ego autem dico vobis, quoniam » qui irascitur fratri suo temere, reus erit judicio [1]. » Vidisti perfectam potestatem? Vidisti modum legislatori competentem? Quis enim Prophetarum sic unquam locutus est? quis Justorum? quis Patriarcharum? Nullus sane; sed, « Hæc » dicit Dominus. » Verum non ita Filius. Illi quippe Domini verba pronuntiant, hic Patris. Cum autem ea, quæ Patris, ea quæ illius sunt dico : « Mea enim, inquit, tua sunt, et » tua mea sunt [2]. » Illi conservis legem ferebant, hic servis suis. Interrogemus igitur eos qui veterem legem explodunt. Non irasci et non occidere contraria-ne sunt? annon potius hoc illius est perfectio et complementum? Palam est hoc illius esse complementum, ideoque majus. Nam qui in iram non concitatur, multo magis a cæde abstinebit, et qui iram frenat, multo magis manus retinebit. Radix enim cædis, ira. Qui ergo radicem excindit, multo magis ramos auferet : imo vero neque irasci sinet.

VI. Non igitur ad legis abrogationem, sed ad majorem facilioremque ejus custodiam, has afferebat leges. Quid enim volebat lex cum hæc præciperet? Annon ut nemo proximum suum occideret? Igitur impugnatorem legis, homicidia oportuerat imperare : nam occidere et non occidere contraria sunt : si vero ne irasci quidem permittat, illud perfectius statuit quod lex volebat. Non enim perinde abstinebit a cæde, qui non occidere meditatur, atque ille qui iram sustulit; hic quippe longius abest a tali facinore. Ut autem illos alio modo confutemus, ea quæ dicunt pro-

[1] Matth. v, 22. — [2] Joan. xvii, 10.

feramus in medium. Quænam dicunt igitur? Deum, qui mundum fecit, qui solem oriri facit super iniquos et bonos, qui pluit super justos et injustos, esse malum. Qui vero moderatiores apud illos sunt, hoc repudiant; dum autem dicunt illum esse justum, bonum tamen esse negant. Alium vero quemdam, qui vere nullus est, et qui nihil creavit, Christo dant Patrem. Et illum quidem non bonum in rebus ad se pertinentibus manere, et sua conservare dicunt. Bonum autem in aliena irruere, eorumque, quorum ipse creator non est, repente velle servatorem esse. Vidisti-ne diaboli filios, quomodo ex patris sui fontibus loquantur, quando creationem a Deo alienant, cum tamen Joannes clamet : « In propria venit, et mundus per ipsum factus est [1] ? » Deinde legem examinantes veterem, qua jubetur oculum pro oculo, dentem pro dente evelli, statim irrumpunt et dicunt : « Et quomodo possit is qui hæc dicit, esse bonus? » Quid igitur ad hæc dicamus? Hanc maximam esse benignitatis speciem. Non enim ut nos vicissim oculos eruamus, hanc posuit legem; sed ut metu paris infligendæ pœnæ, abstineamus a tali erga alios facinore : quemadmodum etiam Ninivitis excidium comminatus est, non ut illos perderet; nam si id voluisset, tacere oportuerat; sed ut metu meliores factos videns, iram sedaret. Sic etiam iis, qui temere in aliorum oculos involant, supplicium addixit; ut si ex bono proposito noluerint a tali crudelitate abstinere, metu tamen coërceantur ne oculos proximi lædant. Si porro illud crudelitas sit, crudele item erit, homicidam cohibere, et mœchum arcere. At stultorum hæc verba sunt, et extremo furore captorum. Ego enim tantum abest ut dicam hæc esse crudelitatem, ut his contraria secundum humanum ratiocinium affirmem iniqua esse. Tu enim dicis ideo crudelem esse, quod jusserit oculum pro oculo eruere; ego autem

[1] Joan. I, 11.

dico : « Si non hoc jussisset, tunc videretur multis is esse, quem tu ais. » Supponamus enim totam legem abrogatam fuisse, neminemque timere supplicium in illa indictum : sed licere facinorosis omnibus cum libertate moribus uti suis; mœchis nempe, homicidis, furibus, perjuris, parricidis; nonne omnia susdeque verterentur, et innumeris facinoribus atque cædibus urbes, fora, domus, mare, terra et totus orbis replerentur? Hoc nemini non notum est? Si enim stantibus legibus et timore atque minis, vix malignæ voluntates coërcentur; si hæc ablata fuisset cautio; quid impediret ne malitia dominaretur? Quanta non pestis in humanam vitam grassaretur? Neque enim id solum crudele esset, si facinorosi quæ vellent agere permitterentur; sed et aliud illo non minus perniciosum foret; si qui nihil læsisset, et sine causa male passus esset, sine auxilio maneret et negligeretur. Dic enim mihi, si quis sceleratos viros undique colligens et gladiis muniens, juberet urbem totam circumire et obvios quosque trucidare, an quid posset immanius excogitari? contra vero si quis alius, armatos illos vinculis constrictos in carcerem cum vehementia traderet, illos autem qui mox interficiendi erant, ex iniquorum manibus abriperet, num illo humanius quidpiam dici possit? Hæc igitur ad legem transfer exempla. Nam qui jubet oculum pro oculo eruere, ceu vinculum quoddam firmum in facinorosorum animos conjecit, eique similis est qui gladiis armatos illos coërcuit : qui vero nullo addiceret supplicio, hac licentia pene illum armaret, illumque imitaretur, qui armatos gladiis viros per totam urbem mitteret.

VII. Vides-ne quomodo non crudelitate, sed benignitate magna plena sint præcepta? Si vero propterea legislatorem molestum onerosumque vocas, quid molestius, quæso, et quid onerosius sit, non occidere, an non irasci? Quis severior, qui homicidii pœnas repetit, an qui iracundiæ? Qui

mœchum post peractam rem supplicio subjicit, an qui ipsius concupiscentiæ jubet dare pœnas et pœnas immortales? Videte in contrarium illis conversum esse sermonem. Nam veteris legis Deus, quem ipsi dicunt crudelem esse, mansuetus invenietur; novæ autem legis Deus, quem esse bonum ipsi fatentur, molestus et onerosus secundum illorum stultitiam. Nos quippe unum eumdemque dicimus utriusque Testamenti legislatorem, qui omnia ut decebat dispensavit, et temporum discrimini utriusque legis differentiam aptavit. Igitur nec illa præcepta crudelia, neque hæc onerosa vel molesta; sed utraque ab una eademque providentia proficiscuntur. Quod enim ipse veterem quoque legem dederit, audi Prophetam dicentem, seu ut majus quidpiam dicamus, et illum et Prophetam: « Disponam vo» bis testamentum : non secundum testamentum quod dis» posui patribus vestris [1]. » Quod si hoc non recipiat is qui Manichæorum morbo laborat, audiat Paulum hoc ipsum rursus dicentem: « Abraham enim duos filios habuit; unum » de ancilla, et unum de libera. Hæc autem sunt duo testa» menta [2]. » Quemadmodum ergo illic diversæ sunt mulieres, unus autem vir; sic et hoc loco duo testamenta, unus legislator. Et ut discas unam eamdemque fuisse utrobique mansuetudinem; illic quidem dixit; « Oculum pro oculo, » hic autem : « Si quis te percusserit in maxillam dexteram, » verte illi et alteram [3]. » Quemadmodum enim illic timore supplicii, lædentem retinet; hic quoque eodem modo. Et quomodo, inquies, cum jubeat illum et aliam præbere? Quid hoc tandem? Non enim ut metum solvat hoc præcipit; sed jubet præberi ipsi modum se prorsus satiandi. Neque dixit illum impune fore; verum tu ne punias; simul percussorem si persistat magis terrens, et percussum consolans. Verum hæc, ut si quis in transcursu de omnibus

[1] Jer. xxxi, 31. — [2] Galat. iv, 21 et 24. — [3] Matth. v, 38, 39.

præceptis loquatur, a nobis dicta sunto. Jam ad propositum redire necesse est, nec non seriem prius dictorum repetere. « Qui irascitur fratri suo temere, reus erit judicio [1], » inquit. Non enim prorsus rem sustulit : primo quia non potest homo animi affectibus prorsus liberari. Sed illos retinere quidem possumus, absque illis omnino esse non possumus; deinde, quia ille animi motus utilis est, si illo sciamus opportune uti. Perpende enim quanta bona attulerit Pauli ira contra Corinthios : nam et illos a magna peste liberavit. Galatarum item gentem lapsam per hanc recuperavit, aliosque multos. Quod ergo tempus iræ opportunum est? Quando non nos ipsos ulciscimur, sed alios petulantes reprimimus, desides convertimus. Quod tempus non opportunum? Quando nos ipsos ulciscentes id faciamus. Quod Paulus cohibens dicebat : « Non vosmetipsos vindi» cantes, dilecti, sed date locum iræ [2]. » Quando de pecuniis litigamus : nam et hoc his verbis sustulit : « Quare non » magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem pa» timini [3]? » Sicut enim hæc ira supervacanea est, sic illa necessaria et utilis. Verum multi e contrario faciunt, efferati cum injuria afficiuntur, resoluti et molles cum læsum alium vident : quæ ambo contraria sunt evangelicis legibus. Non ergo irasci iniquum est, sed inopportune irasci. Ideo Propheta dicebat : « Irascimini, et nolite peccare [4]. » Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. » Concilium hic, judicium Hebræorum vocat. Quod ideo nunc posuit, ne ubique videretur nova et peregrina dicere. Illud autem raca, non magnæ contumeliæ vox est, sed potius contemptus et negligentiæ. Quemadmodum enim nos famulis aliisque infimi gradus imperantes dicimus : « Vade tu : » dic tu illi; sic qui Syrorum lingua utuntur, voce raca uti

[1] Matth. v, 22. — [2] Rom. xii, 19. — [3] 1 Cor. vi. 7. — [4] Psal. iv, 5.

solent, tu, significantes. Sed benignus Deus vel minima evellit, jubens nos reverenter mutuo agere, et cum honore decenti, ut per hæc etiam majora tollantur. « Qui autem » dixerit : Fatue, reus erit gehennæ ignis [1]. » Hoc præceptum multis grave et onerosum visum est : si pro uno simplici verbo tantum debeamus supplicium luere. Quidam vero hoc ipsum hyperbolice dictum existimant. Sed vereor ne verbis hic nos decipientes, reipsa extremum subeamus supplicium.

VIII. Cur, quæso, onerosum videtur esse præceptum? An nescis pleraque supplicia et peccata a verbis initium ducere? Per verba enim blasphemiæ et abnegatio Dei; per verba convitia et contumeliæ, perjuria, falsa testimonia, ipsa homicidia. Ne igitur id attendas, quod unum sit verbum; sed an multum habeat periculi, hoc examina. An ignoras, inimicitiarum tempore, cum ira succenditur animus et inflammatur, rem minimam magnam videri, et modicum convitium molestum esse? Sæpeque hæc parva et homicidiorum causa fuere, et civitates integras subverterunt. Sicut enim inter amicos etiam quæ molesta sunt, levia ducuntur; sic inimicitia suborta, vel minima intolerabilia videntur. Etiamsi simpliciter dicta sint, malo animo prolata existimantur. Ac quemadmodum in igne, si parva scintilla sit, etiamsi innumera ligna adjaceant, non facile inflammantur; si vero jam in altum flamma consurgat, non ligna modo, sed etiam lapides aliamque incidentem materiam facile corripit; et per quæ restingui solet, per hæc violentius ardet. Quidam enim dicunt non lignum modo, stuppam aliaque ignis alimenta, sed etiam immissam aquam magis vim ignis excitare. Sic et in ira accidit : quidquid dixeris, alimentum maligni incendii statim efficitur. Quæ omnia Christus ante comprimens, cum, qui temere irasci-

[1] Matth. v, 22.

tur, judicio condemnavit. Ideo dixit: « Qui irascitur, reus erit »judicio : » dicentem vero raca, reum esse ait concilio ; sed hæc nondum magna sunt : in hoc enim sæculo puniuntur. Ideoque ei, qui fatuum appellaverit, gehennæ ignem adjecit; nuncque primum gehennæ vocem protulit. Prius enim multa de regno locutus, tunc eam memoravit; ostendens illud quidem benignitatis et voluntatis suæ esse, hanc vero nostræ socordiæ. Ac vide quomodo paulatim procedat in suppliciis, quasi fere sese apud te purgaret, ostendens se quidem nullas similes minas intentare velle, nos autem illum ad tales denuntiationes compellere. Animadverte enim. Dixi: « Ne frustra irascaris, nam reus eris judicio ; » primum illud contempsisti. Vide quid pepererit ira : ad contumeliam inferendam te statim pertraxit. Raca enim vocasti fratrem tuum; rursus aliam constitui pœnam, nempe concilii. Si hac etiam despecta, ad aliud procedas gravius, non ultra te moderatis hisce pœnis ulciscar ; sed immortali gehennæ supplicio, ne demum ad cædem etiam prosilias. Nihil est enim, nihil est utique contumelia intolerabilius, nec quod magis possit humanum mordere animum. Quod si dictum illud contumeliosius et acrius fuerit, tum duplex fit incendium. Ne igitur leve existimes esse aliquem vocare fatuum. Quando enim illo, quo a brutis differimus, et quo maxime homines sumus, mente scilicet atque prudentia fratrem spolias, omni illum nobilitate privasti. Ne itaque verbis solum attendamus, sed res ipsas et affectum considerantes, cogitemus quantam hoc verbum plagam inferat, et in quantum malum perveniat. Ideo Paulus non mœchos tantum et molles, verum etiam maledicos a regno exclusit : et jure quidem. Nam contumeliosus charitatis bonum pessumdat, ac sexcentis proximum involvit malis, perpetuas fovet inimicitias, Christi membra discerpit, pacem illam Deo optabilem quotidie pellit, latam diabolo per contumelias parans

viam, illumque efficiens fortiorem. Ideo Christus nervos illius potentiæ excindens, hanc legem induxit. Magna quippe est illi charitatis cura. Hæc quippe est omnium mater bonorum, certa discipulorum nota, quæ omnia nostra continet. Jure ergo radices et fontes inimicitiæ, quæ illam pessumdat, cum vehementia multa Christus amputat et tollit. Ne igitur hæc per hyperbolem dicta putes, sed cogitans quanta bona parere possint, harum mansuetudinem legum mirare. Nihil enim ita curat Deus, ut nos mutuis vinculis colligari. Ideo et per seipsum et per Discipulos suos, tam in Novo quam in Veteri Testamento, multo hoc præceptum sermone commendat, et vehemens vindex est eorum qui hæc despiciunt. Etenim nihil ita malitiam omnem inducit et fundat, ut charitatis remotio. Ideo dicebat: « Cum abun» daverit iniquitas, refrigescet charitas multorum [1]. » Sic Caïn fratricida factus est, sic Esaü, sic fratres Josephi; sic innumera exorta sunt mala, avulsa charitate. Ideo ille ea, quæ ipsam pessumdare possunt, cum magna accuratione removet.

IX. Neque in supradictis gradum sistit, sed alia plura adhibet, quibus ostendit quantam ejus habeat rationem. Nam cum per concilium, per judicium, et per gehennam ignis comminatus esset, alia adjecit præcedentibus consona, nempe: « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus » fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque » munus tuum ante altare, et vade prius reconciliare fratri » tuo, et tunc veniens offer munus tuum [2]. » O bonitatem, o benignitatem, quæ omnem sermonem superat! Honorem suum despicit pro charitate erga proximum; ostendens se prius comminatum esse, non ex inimicitia quadam, vel ex cupiditate inferendi supplicii, sed ex amore ferventi. Quid enim hisce verbis mansuetius fingi possit? Interrum-

[1] Matth. xxiv, 12. — [2] Id. v, 23, 24.

patur, inquit, cultus meus, ut charitas tua maneat. Nam vere sacrificium est reconciliatio cum fratre. Ideo non dixit: « Postquam obtuleris, vel, antequam offeras; » sed ipso munere præsente, et jam sacrificio incipiente, mittit eum, ut se cum fratre reconciliet, nec sublato jacente munere, nec antequam munus attulerit, sed illo in medio jacente, jubet illuc accurrere. Cur ergo sic jubet id agere, et qua de causa? Hæc ambo, ut mihi quidem videtur, subindicans, et agens; unum quidem, ut jam dixi, ut ostendat se charitatem magni facere, et illam esse putare maximum omnium sacrificium, seque sine charitate sacrificium non admittere; secundum autem, ut reconciliationis inevitabilem necessitatem afferat. Nam qui jussus est non prius offerre, quam reconciliaretur, etiamsi non ex amore proximi, saltem ne sacrificium imperfectum maneat, properabit ad offensum fratrem, ut inimicitiam solvat. Ideoque omnia emphaticis expressit verbis, terrens illum excitansque. Cum dixisset enim: « Relinque » munus tuum, » non ibi substitit, sed subjunxit: « Ante al- » tare, » et postquam ex loco in horrorem quemdam conjecit, « Et vade, » nec tantum dixit, « Vade; » sed adjunxit « Prius; et tunc veniens offer munus tuum. » Per hæc omnia declarans hanc mensam non admittere eos, qui inimicitias mutuo exercent. Audiant initiati, qui cum inimicitiis accedunt. Audiant et qui nondum sunt initiati : nam ad hos quoque sermo quodammodo pertinet. Offerunt enim et ipsi donum et sacrificium, orationem dico et eleemosynam. Quod enim hæc sacrificium sint, audi Prophetam dicentem : « Sacrificium laudis honorificabit me [1]; » et rursum, « Immola Deo sacrificium laudis [2]; » et, « Elevatio manuum » mearum sacrificium vespertinum [3]. » Itaque si orationem cum tali affectu proferas, melius est relinquere orationem, et ad te cum fratre reconciliandum properare, tuncque ora-

[1] Psal. xlix, 23. — [2] Ibid. 14. — [3] Id. cxl, 2.

tionem offerre. Propter hoc enim omnia facta sunt : propter hoc Deus homo factus est, et omnia illa est operatus, ut nos congregaret. Hic igitur lædentem ad læsum misit ; in oratione vero læsum ducit ad lædentem. Illic enim ait : « Dimittite hominibus debita [1] ; » Hic vero : « Si habet aliquid contra te, vade ad eum. » Imo vero hic mihi videtur læsum mittere, quapropter non dicit : « Reconcilia teipsum fratri tuo, » sed, « Reconciliare : » et videtur quidem hoc de lædente dici ; sed totum ex persona læsi dicitur. Si enim illi reconciliatus fueris, inquit, per tuam erga eum charitatem, me etiam habebis propitium, et cum multa fiducia poteris sacrificium offerre. Si vero adhuc indignaris, considera me libenter contemni mea jubere, ut vos amici evadatis. Et hæc tibi sit in ira consolatio. Non dixit : « Cum graviter offensus es, tum reconciliare ; sed etiamsi leve quidpiam contra te habuerit. » Neque adjecit, « Sive juste sive injuste ; » sed simpliciter, « Si habuerit aliquid adversum te, » etiamsi enim juste, neque sic decet inimicitiam diutius fovere. Quandoquidem et Christus juste nobis irascebatur, attamen seipsum pro nobis dedit occidendum, non imputans nobis illa peccata.

X. Ideo Paulus alio modo nos ad reconciliationem agens dicebat : « Sol non occidat super iracundiam vestram [2]. » Quemadmodum enim hic a sacrificio Christus ; ita illic Paulus a die ad idipsum hortatur. Timet quippe noctem, ne forte solum excipiens sauciatum, majus ulcus efficiat. In die namque multi sunt qui evellunt et distrahunt. In nocte vero, cum solus sit, et hæc animo verset, intumescunt fluctus, et major fit tempestas. Ideo hæc præveniens Paulus, reconciliatum vult nocti tradere, ut nullam ex quiete possit diabolus ansam arripere ad iræ fornacem accendendam, et vehementiorem efficiendam. Sic etiam

[1] Matth. VI, 14. — [2] Ephes. IV, 26.

Christus non permittit vel tantillum differre, ne, completo sacrificio, negligentior ille foret, exque die in diem differret. Novit enim hunc animi morbum multa egere celeritate: atque ut sapiens medicus non modo quæ præservent a morbis adhibere occupat; sed etiam quæ mederi possint ostendit; sic et ille agit. Nam cum prohibet ne quis fatuus appelletur, id prævium remedium est ad inimicitiam vitandam; cum vero præcipit reconciliationem, id morbos, qui post inimicitiam suboriri solent, præcidit. Vide autem quam vehementer utrumque ponatur. Illic enim gehennam comminatus est; hic vero donum non recipit ante reconciliationem, vehementem iracundiam esse monstrans, ac per hæc omnia et radicem et fructum avellens. Et primo quidem ait: « Ne irascaris, » postea vero, « Ne convitieris. » Nam hæc ambo sese mutuo fovent et augent: ab inimicitia convitium, a convitio inimicitia. Ideoque nunc radici, nunc fructui remedium admovet; ut impediat ne malum oriatur: si vero germinaverit et fructum ferat pessimum, illum undique comburit. Ideo postquam dixit judicium, concilium et gehennam, ac de suo sacrificio disseruit, alia rursum addit his verbis: « Esto consentiens adversario tuo cito, » dum es cum illo in via [1]. » Ne enim diceres: « Quid igitur si injuriam patiar? Quid si bonis spolier, et ad judicium trahar? » Hanc quoque ansam et excusationem removit: jubet enim te ne sic quidem inimicitias aliquando suscipere. Deinde quia illud magnum erat præceptum, a præsentibus dat consilium, quæ certe magis, quam futura, crassiores retinere solent. Quid enim dicis, inquit, ipsum potentiorem esse, et tibi nocere? Magis ergo tibi nocebit, nisi ipsum placaveris, et si coactus fueris in carcerem ire. Tunc enim illo sedato, pecuniis amissis, corpus liberum habebis: contra vero, si sub judicis sententia positus sis, vinculis

[1] Matth. v, 25.

constringeris, extremasque dabis pœnas. Sin autem jurgium illud fugeris, duo assequere bona, et quod nihil ingratum patiaris, et quod bonum opus tuum tibi, non illius violentiæ debeatur. Quod si dictis obtemperare non velis, non illi tantum nocebis quantum tibi ipsi. Perpende autem hic quomodo ipsum hortetur : postquam enim dixit : « Esto » consentiens adversario tuo, » subjunxit : « Cito; » nec contentus hoc additamento, aliud celeritatis quæsivit augmentum dicens : « Dum es cum illo in via; » his impellens ipsum et magna cum vehementia urgens. Nihil enim ita vitam nostram evertit, ut si cunctemur et differamus in bonorum operatione. Sæpe namque illud in causa fuit ut ab omnibus exciderem us, quemadmodum et Paulus ait : « Priusquam sol occidat, iram solve : » et superius ipse Christus, « Priusquam oblationem perficias, reconciliare. » Sic et hoc loco dicit : « Cito, dum es cum illo in via, » priusquam ad judicii fores accedas, priusquam ad tribunal sistaris, et sub judicis demum potestate positus sis. Ante ingressum enim penes te sunt omnia; verum in illa ingressus limina, quantumvis te verses, non poteris tua ad nutum tuum disponere, sub alterius potestate redactus. Quid autem est esse consentientem? Vel id significat, potius damnum patiaris; vel illud, judicium ferto, ac si illius personam ageres, ne ex amore tui jura violes : sed de alieno, ac si tuum esset, negotio deliberans, ita sententiam feras. Quod si grande illud est, ne mireris. Ideo enim illas omnes protulit beatitudines, ut complanato ac præparato auditoris animo, aptiorem illum efficeret ad has omnes leges recipiendas.

XI. Quidam porro per adversarium illum intelligi volunt diabolum, et hic juberi putant, ne quid illius prorsus habeatur; idque esse ei consentire; utpote cum post excessum ex hac vita non liceat ab illo nos expedire, cum nos inevitabile supplicium excipiet. Mihi vero de judicibus hujus

sæculi agi videtur, ac de via quæ ad judicium ducit et de carcere. Postquam enim a sublimioribus hortatus est et a futuris, a vitæ præsentis terret negotiis. Id quod etiam Paulus facit, a futuris et a præsentibus auditorem commovens. Ut cum a nequitia abducens, principem armatum male operanti ostendit his verbis : « Quod si male feceris, » time : non enim sine causa gladium portat, Dei enim » minister est [1]. » Iterumque jubens Deo subjectos esse, non modo Dei timorem, sed etiam ejus minas affert et providentiam : « Necesse est esse subjectos, non solum propter » iram, sed et propter conscientiam [2]. » Nam insipientiores, ut jam dixi, hæc quæ apparent, et quæ e vestigio sequuntur, magis solent emendare. Quamobrem Christus non modo gehennam memoravit, sed etiam judicii tribunal, abductionem ad mortem, carcerem ejusque miserias omnes, per hæc ipsas cædium radices excindens. Qui enim neque convitiis impetitur, nec in jus trahitur, neque iram intendit, quomodo occidet unquam? Itaque hinc palam est, in proximi commodo, nostrum quoque commodum reperiri. Nam qui cum adversario consentit, multo magis sibi ipsi erit utilis, liber a tribunalibus, a carceribus eorumque miseriis. Dictis igitur obtemperemus, nec contendamus, nec rixemur. Cum maxime hæc præcepta, etiam ante præmia illa, voluptatem et utilitatem in se contineant. Quod si quibusdam onerosa esse et multum præbere laboris videantur, cogita te propter Christum hæc agere, et quod molestum est, suave videbitur. Si enim hanc cogitationem semper præsentem habeamus, nihil molesti experiemur, sed multam undique assequemur voluptatem. Labor enim non ultra labor esse videbitur, sed quanto magis intendetur, tanto dulcior suaviorque erit. Quando igitur instabit consuetudo malorum te demulcens, quando pecuniarum cu-

[1] Rom. XIII, 4. — [2] Ibid. 5.

piditas, oppone illi ratiocinium illud, quod sic habet: Nos magnam accepturos mercedem esse si temporalem voluptatem despiciamus : et dic animæ tuæ : « Multum tristaris, quod te voluptate privem; at lætare, quia tibi cœlum provideo. Non propter hominem, sed propter Deum operaris. Paulum igitur expecta, et videbis quantum lucrum assequare. Persevera per hanc vitam, et fiduciam obtinebis ineffabilem. Si talibus ipsam alloquamur, et si non tantum virtutis pondus et molestiam, sed etiam quam ex illa consequimur coronam in mente habeamus, cito illam ab omni nequitia retrahemus. Nam si diabolus, ostendens temporaneam voluptatem, dolorem vero perpetuum, tamen prævalet et vincit; cum hæc in contrarium versa respexerimus, laborem quidem temporaneum, voluptatem vero utilitatemque immortalem, qua ratione excusari poterimus, si post tantam consolationem, virtutem non adeamus? Sufficit nobis præ omnibus argumentum et causa suscepti laboris, si omnino persuasi simus nos propter Deum hæc omnia pati. Nam si quis imperatorem sibi debitorem habeat, se per totam vitam tutissimam cautionem habere putat : cogita quantus sit is qui benignum semperque viventem Deum, et minimorum et simul magnorum frugi operum sibi debitorem constituit. Ne itaque mihi labores objicias et sudores. Neque enim sola futurorum spe, sed et alio modo facilem esse virtutem curavit Deus, nobis ubique auxilium patrociniumque suum præstando. Si volueris modicam adhibere diligentiam, cætera omnia sequentur. Propterea enim te vult parum præstare laboris, ut et victoria tua sit. Ac quemadmodum rex vult filium suum in acie stare, jacula vibrare, et conspicuum esse, ut ipsi tropæum ascribi possit, licet ipse totum bellum conficiat; sic Deus in bello contra diabolum facit. Unum quippe tantum a te requirit ut contra illum vere inimicitiam exhibeas; et

si hoc ipsi concedas, ipse totum bellum conficiet. Etsi ira, etsi pecuniarum cupiditate ferveas, etsi tyrannicus quis alius animæ morbus adsit; si viderit te solum contra illum expeditum et paratum, cito facilia omnia reddet, teque flamma superiorem constituet, ut pueros illos in fornace babylonica : nam et illi nihil aliud attulere quam voluntatem. Ut igitur et nos, omnem illicitæ voluptatis fornacem hic declinantes, gehennam illic effugiamus, hæc quotidie et deliberemus, et curemus et agamus, tum ex pio boni agendi proposito, tum frequentibus orationibus Dei benevolentiam nobis attrahentes. Sic enim ea quæ nunc intolerabilia videntur, facilia, levia amabiliaque erunt. Quandiu enim in pravis affectibus versamur, virtutem asperam, difficilem, inaccessamque esse putamus, nequitiamque desiderabilem et dulcissimam. Si vero paululum a vitiis discedamus; tunc illa abominabilis et deformis videbitur, hæc vero facilis et amabilis. Hæc porro discere facile possumus ex iis qui recto vitæ instituto claruerunt. Audi quomodo Paulus vitia etiam post conversionem pudori esse dicat : « Quem enim fructum habebatis tunc in illis, de » quibus nunc erubescitis [1] ? » Virtutem autem post laborem levem facilemque dicit, momentaneam tribulationem, et laborem dicens facilitate levem, gaudensque in passionibus, et exultans in tribulationibus, altumque sapiens in stigmatibus propter Christum susceptis. Ut igitur et nos in hoc statu maneamus, iis quæ supra dicta sunt nos quotidie exornantes, et præteritorum obliviscentes, ad ea vero quæ ante nos sunt nos semper extendentes, supernæ vocationis bravium sequamur : quod nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Rom. VI, 21.

HOMILIA XVII.

CAPUT V.

Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis : Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo [1].

I. Postquam primum mandatum explicandi finem fecit, illudque ad summum philosophiæ extendit, ordine procedens, ad secundum provehitur, in hoc quoque legi obsecutus. Atqui hoc non secundum præceptum est, inquies, sed tertium. Non enim primum præceptum est : « Non occides ; » sed : « Dominus Deus tuus, Dominus unus est [2]. » Quamobrem quærendum est cur non inde cœperit. Qua de causa igitur? Quia si inde cœpisset, oportebat et illam augere, et semetipsum in explicatione complecti. Nondum autem tempus erat de seipso hujusmodi quidpiam docere. Alioquin autem moralem interim sermonem habebat, et hinc et ex miraculis volens auditoribus persuadere se Filium Dei esse. Si enim antequam aliud quidpiam loqueretur, aut faceret, statim dixisset : « Audistis quia dictum est antiquis : Ego Dominus Deus tuus, et præter me non est alius. Ego autem dico vobis, ut et me adoretis, sicut et illum, » id effecisset, ut omnes illum quasi furentem haberent. Si enim post tantam doctrinam et post tanta signa, cum nondum hæc ille clare dixisset, dæmoniacum illum vocabant; si ante illa omnia simile quid dicere tentavisset, quid non dixissent? quid non cogitassent? At vero doctrinam hujus-

[1] Matth. v, 27, 28. — [2] Deut. vi, 4.

modi ad tempus opportunum reservasse, id facilem parabat viam ut hoc dogma a multis susciperetur. Quamobrem nunc illud prætermisit; postquam vero per signa perque doctrinam optimam ad id præparasset, verbis demum idipsum revelavit. Nunc certe et signis et ipso doctrinæ modo, paulatim et sensim illud declarat. Nam cum potestate leges illas statuere vel reformare, id utique cum qui attenderet et mente valeret ad veri dogmatis rationem deducebat. Obstupescebant enim, ait, quia non sicut Scribæ eorum docebat [1]. A generalibus quippe vitiis orsus, ab ira nempe et concupiscentia : hæc enim maxime tyrannidem in nobis exercent, et naturæ sunt magis consona; cum auctoritate multa, quantam decebat legislatorem, hæc emendavit, et cum omni accuratione ordinavit. Neque enim dixit tantum mœchum pœnas esse daturum : sed idipsum hic facit quod circa homicidam fecerat, impudico etiam aspectui pœnas denuntians; ut discas quid sit illud quod ultra scriptas leges requiritur. Ideo dicit: « Qui respexerit mulierem » ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde » suo; » id est, qui solet venusta corpora curiosius intueri, faciesque formosas venari, et hoc spectaculo animum pascere, oculosque defigere in formosos vultus. Non enim corpus tantum venit a malis actibus liberare, sed et animam ante corpus. Quia enim in corde Spiritus gratiam accipimus, cor primum expurgat. Et quomodo possumus, inquies, a concupiscentia liberari? Maxime quidem, si velimus, possumus eam extinguere, et ne erumpat continere. Alioquin autem hic non modo concupiscentiam tollit; sed etiam illam concupiscentiam, quæ ex aspectu prodit. Nam qui formosas intueri facies studet, ille præcipue vitii fornacem accendit, animamque captivam efficit, et cito ad opus quoque accedet. Propterea non dixit: « Qui concupierit

[1] Matth. VII, 29, et Marc. I, 22.

mœchari; » sed « Qui respexerit ad concupiscendum. » Et cum de ira loqueretur, distinctionem quamdam posuit : « Teme- » re, » vel : « Sine causa » dicendo. Hic vero non ita, sed semel totam concupiscentiam sustulit. Etiamsi hæc ambo innata nobis sint, et utiliter utraque nobis insint, ira nempe et concupiscentia; illa ut improbos puniamus, et incompositos emendemus; hæc ut liberos suscipiamus, et genus nostrum successione propagetur.

II. Cur ergo non hic etiam distinctionem posuit? Maximam certe, si attendas, hic distinctionem percipies. Non enim simpliciter dixit: « Qui concupiverit; » potest enim quivis, etiam in montibus sedem habens, concupiscere; sed, « Qui respexerit ad concupiscendum; » id est, qui sibi ipsi concupiscentiam accersit; qui, nemine cogente, feram illam in sedatum animum immittit. Illud enim non jam ex natura proficiscitur, sed ex desidia. Hoc quippe in veteri lege jam olim vetitum fuit, quæ sic habet : « Noli discere pul- » chritudinem alienam [1]. » Deinde ne quis diceret : « Quid ergo si didicero, et non capiar? » cohibet aspectum, ne hac fidenter usus licentia, in peccatum aliquando incidas. « Quid igitur si videam, et concupiscam, nihilque mali agam? » Etiam sic cum mœchis numeraris. Sententiam tulit legislator, neque debes ultra curiose inquirere. Cum enim semel aut bis aut ter sic respexeris, te forte poteris continere; si vero frequenter id facias, et fornacem accendas, profecto capieris. Non enim extra humanam situs es naturam. Quemadmodum ergo nos cum puerum videmus gladium tenentem, etiamsi nondum vulneratum cernamus, verberamus tamen prohibemusque ne sic unquam attingat; sic quoque Deus impudicum aspectum ante opus tollit, ne forte in opus ipsum incidamus. Nam qui semel flammam accendit, etiam absente illa, quam respexit, muliere, re-

[1] Eccli. IX, 8.

rum turpium imagines sibi ipsi frequenter fingit, et ex ipsis imaginibus in opus sæpe deducitur. Ideoque Christus etiam illum, qui in animo fingitur, coïtum de medio tollit. Quid igitur dixerint ii qui secum habitantes habent virgines? Etenim secundum hanc legem, sexcentis rei fuerint fornicationibus, quotidie illas cum concupiscentia intuentes. Ideoque beatus Job hanc sibi legem a principio posuit, se ubique cohibens a tali spectaculo [1]: nam certe post aspectum ne fruaris illa quam amas, majus est certamen. Neque tantam ab aspectu percipimus voluptatem, quantam a cupiditatis augmento experimur perniciem, dum hosti fortitudinem accersimus, et diabolo majus nocendi spatium et locum damus: ut neque possimus illi resistere, postquam in intima cordis illum induximus, et apertum ipsi animum expandimus. Idcirco ait: « Noli mœchari oculis, et animo non mœchaberis. » Est enim et alius aspiciendi modus, ut casti scilicet aspiciunt. Ideoque non simpliciter aspectum sustulit, sed aspectum cum concupiscentia. Nisi id enim sibi voluisset, dixisset utique: « Qui respicit mulierem » simpliciter. Non sic autem dixit, sed: « Qui respexerit ad con» cupiscendum, qui respexerit, ut aspectum delectet. » Non enim ideo tibi Deus oculos dedit, ut illis ad fornicationem inducendam utaris, sed ut ejus creaturas videns, Creatorem mireris. Quemadmodum ergo fieri potest ut temere irascaris; ita fieri potest ut temere aspicias, cum nempe ad concupiscentiam aspexeris. Si enim respicere et delectari velis, respice uxorem tuam, illamque perpetuo ama: nulla id lex prohibet. Si vero alienam formam curiose intueri volueris, et illam lædis, alio oculos avertens; et hanc quam respicis, si illicite illam contingas. Etiamsi enim illam manu non contigeris, at oculis contigisti, ideoque illud pro adulterio reputatur, et ante supplicium illud des-

[1] Job. XXXI, 1.

tinatum, aliud non leve supplicium inducit. Nam tumultu et perturbatione omnia interiora replet; magna adest tempestas, gravissimus dolor, nec meliore conditione erit ille qui hæc patitur, quam ii qui vinculis et catenis constricti sunt. Et illa quæ telum emisit, sæpe avolat, vulnusque tamen manet. Imo vero non illa telum emisit, sed tu ipse tibi letalem plagam inflixisti, qui impudice intuitus es. Et hæc dico, ut pudicas ab accusatione eximam. Si qua vero sese ita exornat, ut omnium oculos ad se convertat, etiamsi nullum obvium confoderit, extremas dabit pœnas. Pharmacum enim apparavit, et virus composuit, etsi nemini poculum porrexerit : imo porrexit, etsi nemo qui biberet, accesserit. Quid ergo? num etiam mulieres alloquitur? Quia leges ubique communes statuit, etiamsi viros tantum alloqui videatur, capiti loquens, communem toti corpori admonitionem profert. Mulierem namque et virum unum novit esse animal, et nusquam genus illud dividit.

III. Quod si velis increpationem in illas prolatam speciatim audire; Isaïam audi pluribus in illas invehentem, traducentemque ipsarum habitum, aspectum, incessum, tunicas humi defluentes, lascivientes pedes, colla fracta mollitie [1]. Audi cum illo beatum Paulum multas ipsis leges statuentem, et de vestibus, et de aureis ornatibus, et de calamistratis capillis, et de lascivia, et de aliis similibus hunc sexum vehementer corripientem [2]. Christus etiam in sequentibus ænigmatice hoc ipsum declarat; cum enim dicit : « Erue, excinde id quod te scandalizat, » iram adversus illas concitatam exhibet. Ideo subjunxit : « Si oculus tuus » dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te [3]. » Ne enim diceres : « Quid ergo si cognata mea sit? quid si aliqua mihi necessitudine juncta? » Ideo hæc præcipit, non de membris loquens, absit : nusquam enim dixit crimina ad

[1] Isaï. III, 16. — [2] 1 Tim. II. — [3] Matth. V, 29.

carnem pertinere; sed accusatio pravam semper voluntatem spectat. Neque enim oculus tuus est, qui videt, sed mens et cogitatio : sæpe namque nobis alio conversis, eos qui præsentes sunt non videt oculus : itaque totum non est illius actui ascribendum. Si enim de membris loqueretur, non de uno diceret oculo, neque dextrum solum posuisset, sed ambos. Nam qui a dextro scandalizatur, idipsum haud dubie patietur a sinistro. Cur ergo dextrum oculum posuit, et manum adjecit? Ut discas non de membris sermonem esse, sed de iis, qui nobis amicitia junguntur. Si quempiam ita amas, inquit, ut eum dextri oculi loco ponas, aut ita tibi utilem putas, ut pro manu illum habeas; si lædit animam tuam, et hunc abscinde, et vim dicti perpende. Non enim dixit: «Abscede;» sed maximam separationem indicans, «Erue, inquit, et projice abs te.» Deinde quia severe præceperat, utrinque lucrum esse docet, et ex bonis et ex malis, in eadem metaphora insistens : «Expedit enim tibi, inquit, »ut pereat unum membrorum tuorum, et non totum cor»pus tuum mittatur in gehennam[1].» Cum enim neque seipsum servet, et te secum perdat, quæ humanitas esset ambo perdere, cum liceat iis separatis unum servare? Cur enim Paulus optabat anathema esse[2]? Non ita ut nihil inde lucri accederet, sed ut alios servaret. Hic autem utriusque damnum est : quapropter non dixit tantum : « Erue; » sed etiam, « Projice abs te, » ita ut nunquam repetas, si talis manserit. Sic enim et illum majori crimine liberabis, et teipsum a pernicie eripies. Ut autem clarius legis utilitatem perspicias, si placet in corpore exempli causa id quod dictum est exploremus. Si enim optio daretur, ac necesse esset aut oculum habentem conjici in fossam et perire, aut illo eruto, reliquum corpus servari : annon postremum malles? Id nemini non manifestum est. Illud enim non

[1] Matth. v, 29. — [2] Rom. ix, 3.

esset oculum odisse, sed reliquum corpus amare? Hoc porro et de viris cogita et de mulieribus. Nam si is, qui te lædit amando, incurabilis manet, et si abscissus sit, te ab omni pernicie liberabit; sic et ipse a majoribus eripietur criminibus, neque ultra cum peccatorum suorum ratione, rationem etiam perniciei tuæ daturus. Vide quanta mansuetudine plena lex est, quanta providentia. Et quæ a multis nimia severitas esse videtur, quantam exhibet benignitatem? Hæc audiant ii qui ad theatra properant, et sese quotidie mœchos præstant. Nam si consuetudine junctum, sed damnosum, lex jubet abscindere, quam purgationem habeant, qui nondum sibi notos, ibi commorando, quotidie pertrahunt, et sexcentas sibi comparant excidii ansas? Non modo enim impudice respicere non concedit; sed quia hujusce rei damnum monstravit, legem ulterius extendit, abscindere jubens, longeque projicere: et hæc ille lege statuit, qui de charitate sexcenties locutus est, ut utrinque ejus providentiam ediscas, et quomodo undique utilitatem tuam requirat. « Dictum est autem : Quicumque dimiserit uxorem suam, » det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis : Quicum» que dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, » facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, mœchatur [1].»

IV. Non prius ad ulteriora progreditur, nisi priora probe expurgaverit. Ecce enim aliam nobis rursus ostendit adulterii speciem. Quænam est illa? Lex erat vetus eum, qui quacumque ex causa uxorem suam odisset, illam repudiare, et aliam ducere non prohiberi. Neque illud tamen simpliciter facere lex jubebat, sed post datum uxori libellum repudii, ita ut non posset iterum ad illum revertere, ut saltem matrimonii figura maneret. Nisi enim hoc præcepisset, et si licuisset illam repudiare et aliam accipere, deindeque priorem reducere, magna futura confusio erat,

[1] Matth. v, 31, 32.

omnibus alienas uxores alternis vicibus frequenter accipientibus, adulteriumque manifestum id prorsus fuisset. Quapropter non parvam consolationem excogitavit, libellum nempe repudii. Hoc porro factum est ad aliam multo majorem vitandam nequitiam. Si enim exosam præcepisset retineri, is qui oderat occidisset : talis quippe erat Judæorum natio. Nam qui ne filiis quidem parcebant, Prophetas interficiebant, sanguinemque ut aquam fundebant, multo minus uxoribus pepercissent. Ideo quod minus erat permisit, ut quod majus erat excinderet. Quod enim hæc lex non e præcipuis esset, audi quid Servator dicat : « Moyses ad duritiam cordis vestri hæc scripsit[1], » ne intus mactaretis, sed ejiceretis. Quia vero ille iram omnem sustulit, non cædem modo vetans, sed iram etiam excludens : facile hanc inducit legem. Ideoque priorum semper verborum meminit, ut ostendat se non contraria illis, sed consona dicere : illa extendens, non evertens; emendans, non solvens. Perpende autem illum semper ad virum sermonem referre. « Qui dimittit, inquit, uxorem » suam, facit eam mœchari; et qui dimissam ducit, mœ- » chatur. » Ille enim etsi alteram non duxerit, hoc ipso se criminis reum constituit, quod eam adulteram faciat : hic vero, quod alienam ducat, mœchus et ipe sit. Ne mihi enim dicas : « Ille ejecit. » Nam ejecta adhuc manet ejicientis uxor. Deinde ne totum conjiciens in ejicientem, arrogantiorem faceret uxorem, ipsam accipere volenti januam claudit dicens : « Qui dimissam duxerit, mœchatur, » uxorem vel invitam pudicam reddens, et ad alium virum aditum ipsi claudens, nec permittens simultatis ansam præbere. Illa namque cum didicerit prorsus necessarium esse, aut virum, qui sibi ab initio sorte contigerat, habere; aut, si e domo illa egrediatur, nullum sibi aliud superesse refu-

[1] Matth. xix, 8.

gium, vel invita cogetur conjugem amare suum. Si vero nihil ipsi hac de re loquatur, ne mireris : infirmior enim mulier est. Quapropter illa dimissa, viros minis terrendo, mulierem quoque emendat. Ut si quis filium habens lascivum, illo dimisso, illis interminetur qui talem ipsum effecerunt, vetetque ne illum ultra adeant vel conveniant. Quod si hoc onerosum videatur, in mentem revoca illa, quæ supra dicta sunt, cum beatos prædicaret audientes ; remque et possibilem et facilem invenies. Mitis enim, pacificus, pauper spiritu et misericors, quomodo uxorem repudiabit? et qui alios reconciliat, quo pacto dissidebit cum conjuge sua ? Non hoc vero tantum, sed alio quoque modo legem fecit levem. Nam relinquit ei unum repudii modum, dicens : « Excepta causa fornicationis. » Siquidem in eadem perstat decori ratione. Si enim jussisset cum pluribus mixtam retinere, rursus in adulterium res convertebatur. Vides-ne quomodo hæc cum prioribus consonent? Qui enim uxorem alienam impudicis oculis non respicit, non fornicabitur; si non fornicetur, viro repudiandæ uxoris suæ ansam non præbebit. Ideo libere constringit, et timorem firmat, magnum viro periculum, si ejiciat, intentans : nam fornicationis illius sese reum constituit. Etenim ne cum audis: « Erue oculum, » putes id etiam de uxore dici, opportune hanc cautionem induxit : uno tantum modo, nec alio quovis permittens illam repudiare. « Iterum audistis » quia dictum est antiquis? Non pejerabis : reddes autem » Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare » omnino [1]. » Cur non statim venit ad furtum, sed ad falsum testimonium, illudque mandatum præterivit? Quoniam qui furatur, aliquando jurat. Qui vero neque jurare neque mentiri novit, multo magis a furto abstinebit. Itaque per hoc etiam illud peccatum evertit : nam mendacium ex

[1] Matth. v, 33, 34.

furto oritur. Quid autem est : « Reddes Domino juramenta » tua [1] ? » Id est, jurans verum dices. « Ego autem dico vo- » bis non jurare omnino. »

V. Deinde ut magis magisque avertat eos, ne per Deum jurent, ait : « Neque per cœlum, quia thronus Dei est : ne- » que per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque » per Jerusalem, quia civitas est magni regis [2]. » Ex Pro- phetis adhuc loquitur, et ostendit se non antiquis adversari ; nam in more illis erat per hæc jurare, et in fine hujus Evangelii hunc fuisse morem ostendit. Tu vero mihi con- sidera unde extollat elementa ; non ex propria natura, sed ex Dei erga elementa affectu demisse et secundum captum nostrum expresso. Quia enim multa erat idololatriæ ty- rannis, ne viderentur elementa ex se honoranda esse, hanc quam diximus causam posuit, rursusque ad Dei gloriam transivit. Neque enim dixit : « Quia pulchrum magnumque cœlum est, neque quia utilis terra; sed quia Dei illud thro- nus est, hæc scabellum, » undique ipsos ad Dominum com- pellens. « Neque per caput tuum, inquit, quia non potes » unum capillum album facere aut nigrum [3]. » Rursus non hominem admirans, subjunxit neque per caput ejus esse jurandum ; alioquin enim ipse homo adoratus fuisset ; sed gloriam Deo referens, et ostendens te ne quidem tui do- minum esse, ergo neque juramentorum per caput emisso- rum. Si enim nemo filium suum alteri dederit, multo minus Deus opus suum tibi concedet. Etiamsi enim caput tuum sit ; sed alterius est possessio : tantumque abest ne domi- nus ejus sis, ut ne minimum quidem possis in illo operari. Non enim dixit : « Non potes producere capillum ; » sed neque ejus qualitatem mutare. Quid igitur, si quis, inquies, jura- mentum exigat, et necessitatem inducat? Dei timor ne- cessitate sit potentior. Nam si velis hujusmodi causas

[1] Exod. xx. — [2] Matth. v, 35. — [3] Ibid. 36.

objicere, nullum ex præceptis servabis. Nam et de uxore dicturus es : « Quid igitur, si litigiosa et sumptuosa sit ? » Et de oculo dextro : « Quid igitur, si eruam eum, et urar ? » Et de impudico aspectu : « Quid igitur, an possum non videre? » Et de ira in fratrem : « Quid igitur, si præceps sim, et linguam tenere non possim ? » Et sic prorsus omnia supra dicta calcabis. Atqui in legibus humanis hæc obtendere non ausis, neque dicere, quid igitur si hoc, vel illud? sed seu sponte seu invitus ea quæ scripta sunt accipis. Alioquin autem nunquam vim necessitatemve patieris. Nam qui beatitudines prius enuntiatas audivit, ac seipsum ita composuit, ut Christus jussit, nullam a quovis homine hujusmodi necessitatem patietur, cum sit apud omnes admirandus et honorabilis. « Sit autem sermo vester; est, est; et, non, » non : quod autem ultra adjungitur, ex malo est[1]. » Quid igitur supervacaneum illud est : « Ultra : Est et non ? » juramentum, non autem perjurium. Hoc enim in confesso est, et nemo est quin didicerit a malo esse, nec supervacaneum esse, sed contrarium. Supervacaneum autem est, quod ultra et cum redundantia adjicitur, taleque est juramentum. Quidnam vero dicit a malo esse? Et si a malo erat, cur jubebatur in lege? Idipsum etiam de uxore dices; « Cur jam fornicatio reputatur, id quod olim permittebatur? » Quid ad hæc dicendum? Hæc tunc dicta fuisse secundum infirmitatem eorum, qui leges accipiebant. Nam et nidore victimarum coli indignum admodum Deo est, sicut balbutire indignum philosopho. Adulterium ergo nunc reputatur illud; et a malo est jurare, quando aucta et perfecta virtus est. Si vero hæ ab initio diaboli leges fuissent, non utique tantum profecissent. Etenim nisi illa præivissent, non ita facile hæc nunc accepta fuissent. Noli igitur eorum requirere virtutem, quando eorum usus præterivit. Tunc enim

[1] Matth. v, 37.

tempus id petebat; imo vero, si vis, etiam nunc. Nam eorum virtus ostenditur ex eo ipso quo magis accusatur. Quod enim hæc talia nunc videantur, eorum maxima laus est. Nisi enim nos pulchre nutrivisset, et ad majora recipienda idoneos reddidisset, non talia viderentur esse. Quemadmodum mamilla, cum suum implevit officium, et ad perfectiorem mensam puer mittitur, demum inutilis videtur. Parentes vero qui illam prius puero necessariam esse putabant, mille postea illam irrisionibus prosequuntur; multi autem non verbis solum illam traducunt, sed etiam amaris illam oblinunt unguentis; ut si non possint verba importunum hujusmodi pueri affectum removere, res ipsæ desiderium avertant.

VI. Sic Christus a malo hæc esse dixit, non ut ostenderet veterem legem a diabolo prodiisse, sed ut vehementius a veteri vilitate revocaret. Et Discipulis quidem hæc dicit, sed Judæis stupidis et in iisdem perseverantibus, ceu quadam amaritudine, captivitatis metu, urbem circumlinitam inaccessam reddidit. Quia vero ne id quidem potuit ipsos retinere, sed eam rursus videre optabant, quasi pueri ad mamillam accurrentes, demum illam occultavit, illa ipsa diruta, et plerisque eorum procul abductis. Quemadmodum plurimi vitulos a vaccis abductos inclusosque, tempore assuefaciunt, ut a lactis consuetudine abscedant. Nam si diaboli vetus lex esset, non ab idololatria abduxisset, imo contra in illam conjecisset: id enim volebat diabolus. Nunc autem contrarium prorsus videmus a veteri lege effici. Et ipsum quoque juramentum ideo in veteri statutum fuit, ne per idola jurarent. « Jurate, inquit, » per Deum verum [1]. » Non igitur parva quædam lex effecit, sed magna utique. Nam ad solidum cibum accedere, id Servatoris fuit opus. Quid igitur? Annon a malo est jura-

[1] Jer. IV, 2.

re? A malo est utique; sed nunc post tantam philosophiam; tunc autem minime. Et quomodo, inquies, idipsum possit esse nunc bonum, nunc minime bonum? Ego autem e contrario dico, quomodo non sit et bonum et non bonum, rebus omnibus sic clamantibus, artibus, fructibus, aliisque omnibus? Primum id videas in natura nostra contingere. Gestari enim in prima ætate bonum est, postea vero perniciosum: præmansis uti cibis in primo vitæ tempore bonum, postea vero horrore plenum. Lacte ali et ad mammam confugere, initio utile est et salutare, postea vero perniciosum et noxium. Vides-ne quomodo cædem res secundum tempora bonæ sint, et postea non tales appareant? Nam puerile pallium gestare puero quidem honestum, viro autem turpe. Vis-ne etiam ex contrariis idipsum discere, quomodo quæ viro competunt, puero apta non sint: da puero pallium virile, hinc plurimus sequetur risus, majusque in incedendo periculum; ita sæpe huc illuc vertetur. Da etiam illi civilia negotia tractanda, vel mercaturam, vel serendi metendique artem, et ridiculum hoc videbitur. Et cur hæc dico? nam cædes, quam inventum esse diaboli in confesso apud omnes est, opportuno tempore facta, interfecto reum Phinees sacerdotii honore decoravit [1]. Quod enim cædes sit opus diaboli, audi quomodo dicat ipse: « Vos opera patris vestri vultis facere: ille homicida erat » a principio [2]. » Sed homicida fuit etiam Phinees, et reputatum est ei ad justitiam, inquit. Abraham vero non homicida solum, sed etiam filii interfector factus, quod pejus erat, sic magis Deo placuit. Petrus vero duplicem cædem fecit, attamen spirituale erat id quod factum est. Ne itaque simpliciter res examinemus, sed etiam tempus et causam et voluntatem et personarum differentiam, et illa omnia, quæ una concurrunt, accurate exploremus: neque enim

[1] Num. LII, 11, et Psal. CV, 30. — [2] Joan. VIII, 41.

potest veritas alio attingi modo : studeamusque, si velimus regnum assequi, supra vetera præcepta aliquid operari, quia non possumus aliter cœlestia obtinere. Nam si ad mensuram tantum veterum perveniamus, extra limina stabimus. « Nisi enim abundaverit justitia vestra plus quam » Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum » cœlorum [1]. » Attamen post comminationem hujusmodi, quidam sunt qui non modo justitiam illam non superant, sed longe post illam relinquuntur. Non modo enim juramenta non fugiunt, sed etiam pejerant; non modo impudicum aspectum non devitant, sed etiam in ipsum turpem actum proruunt, aliaque omnia prohibita impune audent: unum tantum expectantes supplicii diem, quando pro sceleribus suis extremas dabunt pœnas : quod unum repositum est iis, qui in nequitia vitam obeunt. De illis quippe desperandum est, et nihil aliud expectandum, quam supplicium. Qui enim hic adhuc supersunt, facile possunt et pugnare, et vincere, et coronari.

VII. Ne itaque concidas, mi homo, neque bonam illam alacritatem amittas. Neque enim onerosa sunt ea quæ jubentur. Quis, quæso, labor in vitando juramento? Num pecuniarum impensa est? num sudor et ærumna? Sufficit tantum velle, et totum factum est. Si vero consuetudinem mihi objicias, ob hoc ipsum maxime dico facilem esse emendationem. Nam si in aliam te consuetudinem transferas, jam totum perfecisti. Cogita enim multos apud gentiles esse, qui balbi cum essent, multo studio offendentem linguam correxerunt; alios qui cum humeros frequenter et indecenter agitarent moverentque, apposito gladio, dehinc ab hoc abstinuerunt. Quia enim Scripturis non obtemperatis, ab externorum exemplis vos admonere cogor. Hoc etiam Deus Judæis faciebat his verbis : « Abite in in-

[1] Matth. v, 20.

» sulas Chetiim, et in Cedar mittite, et discite si mutave-» rint gentes deos suos : et ipsi non sunt dii [1]. » Imo ad irrationabilia sæpe mittit, dicens : « Vade ad formicam, » piger, et æmulare vias ejus, et vade ad apem [2]. » Hoc itaque et ego nunc vobis dico : « Considerate Græcorum philosophos, et tunc scietis quanto sint digni supplicio ii, qui divinas leges transgrediuntur : cum illi pro humana hac honestate labores innumeros pertulerint, vos vero ne pro cœlestibus quidem bonis parem exhibere diligentiam velitis. Si porro post hæc dixeris posse consuetudinem intercipere etiam illos qui admodum sibi cavent; id etiam ego fateor; unum id adjicio : ut facile intercipi potes, ita facile potes te emendare. Si enim multos tibi domi custodes statuas, servum videlicet, uxorem, amicum, ab omnibus pulsus atque agitatus, facile a prava consuetudine absistes. Si per decem dies ita agendo perseveres, non erit diuturniore tempore opus; sed tibi res in tuto posita erit, consuetudinis optimæ firmitate jam radices mittente. Cum ergo cœperis id corrigere, etiamsi semel aut bis legem transgrediaris, etiamsi ter vigesiesque, ne desperes : sed resurge, eamdemque curam suscipe, planeque superabis. Neque enim leve malum est perjurium. Si enim jurare a malo est, pejerare quanto supplicio erit obnoxium? Hæc dicta laudastis : sed plausibus, tumultu et sonitu non opus est mihi. Unum volo tantum, ut cum quiete et sagaci attentione quæ dicuntur audientes, dicta exequamini. Hoc mihi plausus et laudis loco est. Si vero ea, quæ dicuntur, audias, et non facias ea quæ laudas, majus erit supplicium, gravior accusatio, nobisque pudor et irrisio. Non enim theatrum sunt hæc, non tragœdos nunc spectatis, ut solum plaudatis. Magisterium est hic spirituale. Quapropter unum studium est, ut quæ dicuntur opere compleatis, et obedien-

[1] Jer. II, 10. — [2] Prov. VI, 6, et XXX, 25.

tiam gestis commonstretis. Tunc enim omnia assecuti erimus : at nunc pene desperare cogor. Nam et privatim eos qui me convenerunt hæc monere non cessavi, et vobis in commune locutus, nihil tamen hinc fructus hactenus perceptum video : sed vos primis adhuc elementis hærentes cerno : quod sane maximum potest docenti fastidium generare. Vide igitur et Paulum id moleste ferentem, quod auditores multo tempore in priore disciplinæ gradu manerent. « Nam cum deberetis, inquit, magistri esse propter » tempus, rursum indigetis ut doceamini, quænam elementa » sint principii sermonis Dei [1]. » Ideo et nos lugemus et plangimus. Ac si perseverantes vos videro, vos demum sacrorum liminum aditu interdicam, nec non participatione immortalium mysteriorum, quemadmodum fornicatores, adulteros et eos qui de cædibus accusantur. Melius namque est cum duobus vel tribus leges Dei observantibus consuetas afferre preces, quam cœtum congregare improborum, qui cæteros corrumpunt. Ne quis dives, ne quis e primoribus infletur, vel supercilia attollat. Hæc omnia mihi fabula sunt, umbra et somnium. Nullus enim eorum, qui opulentiores sunt, mihi tunc patrocinabitur, cum accusabor et rationes dare cogar, quod non cum debita vehementia leges Dei vindicaverim. Hoc enim, hoc certe admirandum illum senem, Heli dico, perdidit, etsi irreprehensibilem duxerat vitam. Attamen quia cum conculcatas Dei leges videret, id neglexit, cum filiis punitus est, et grave supplicium subiit. Si autem ubi tanta naturæ tyrannis erat, is qui non debita severitate cum filiis suis est usus, ita graves dedit pœnas, qua nos venia donabimur ab illa tyrannide liberati, qui tamen omnia adulatione corrumpimus? Ne itaque et nos et vos ipsos perdatis, obtemperate, obsecro, ut innumeros vobis exploratores et monitores cons-

[1] Hebr. v, 12.

tituentes, a juramentorum consuetudine liberemini; ut hinc pergentes, aliam quoque virtutem cum facilitate magna impleatis, et futuris fruamini bonis. Quæ nos omnes assequi contingat, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

CAPUT V.

Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo : sed si quis percusserit te in dexteram maxillam, præbe ei et alteram. Et volenti tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium [1].

I. Vides eum non de oculo priora dixisse, cum juberet oculum eruere qui nobis offendiculo esset; sed de eo qui per amicitiam nos læderet, et in perniciei barathrum conjiceret? Nam qui tanta hic hyperbole utitur, neque alterius, qui nobis oculum eruisset, oculum eruere permittit, quomodo suum eruere lege sanxisset? Quod si quis veterem redarguat legem, quæ jubeat se ita ulcisci, is admodum mihi videtur sapientiam, quæ legislatorem decet, ignorare, nec non temporum rationem et indulgentiæ utilitatem. Si cogitaveris enim quinam essent ii qui talia audirent, quomodo affecti, et quando has leges acceperint, legislatoris sapientiam multum laudabis, videbisque unum et eumdem esse qui hæc et illa statuerit, et valde utiliter utraque, ac

[1] Matth. v, 38-40.

congruenti tempore scripserit. Nam si ab initio hæc sic alta et sublimia præcepta intulisset, neque hæc neque illa recepissent. Jam vero cum opportuno utraque tempore statuerit, per utraque totum orbem correxit. Alioquin autem hæc jussit, non ut mutuo nobis oculos eruamus, sed ut potius manus nostras contineamus. Nam rependendæ vicis comminatio, impetum inferendæ injuriæ coërcuit. Atque ita sensim multam disseminat philosophiam : quando læsum parem rependere vicem jubet ; quanquam majore dignus erat supplicio is, a quo iniquitas hujusmodi cepisset exordium : illud enim æquitatis ratio postulabat. Sed quia benignitatem volebat justitia temperare, cum qui iniquius se gesserat, minori, quam merebatur, damnat supplicio, docens ut in patiendo magnam servemus moderationem. Cum ergo priorem legem protulisset, illamque totam legisset, ostendit postea non fratrem esse qui talia perpetravit, sed malignum, ideoque subjunxit : « Ego autem dico vobis » non resistere malo. » Non dixit : « Non resistere fratri ; » sed, « Malo ; » ostendens illo instigante talia perpetrari, atque sic magnam iræ partem adversus eum, qui injuriam intulit, conceptam sedans et succidens, cum causam in alterum transfert. Quid igitur ? annon debemus, inquies, resistere malo ? Debetis, sed non hoc modo : verum ut ipse præcepit : ut scilicet parati simus ad recipiendas injurias ; sic enim illum superabis. Neque enim igne ignis extinguitur, sed aqua. Ut autem discas etiam in veteri lege eum, qui pateretur vicisse, coronatumque fuisse ; id diligenter explora, et videbis eum longe anteferri. Nam qui prior manus iniquas intulit, duos ipse oculos eruisse deprehenditur, et proximi sui et suum. Ideoque jure ab omnibus odio habetur, et mille criminationibus impetitur. Qui vero læsus est, præterquam quod pari pœna vindicatur, nihil mali intulit, multos habet seu commiseratione dolentes, utpote

purus, etiamsi ultio facta fuerit. Calamitas par est in utrisque; gloria vero non par apud Deum et homines. Quapropter neque calamitas deinceps par est. Principio itaque dixit : « Qui irascitur fratri suo sine causa, et qui illum fatuum appellat, reus erit gehennæ ignis. » Hic vero majorem etiam requirit philosophiam, non modo quiescere jubens eum qui talia passus sit, sed etiam cum cædente officio certare, ipsique alteram maxillam præbere. Hoc autem dicit, non pro illo injuriæ genere tantum legem ferens; sed ad talem in aliis omnibus tolerantiam nos instituens.

II. Quemadmodum enim cum dicit : « Qui vocat fratrem » suum fatuum, reus erit gehennæ ignis [1], » non de hoc uno verbo hoc dicit, sed de qualibet contumelia; ita hic quoque legem statuit, non tantum ut colaphis cæsi id fortiter feramus, sed ut quidvis aliud patientes, ne turbemur. Propterea et ibi extremam selegit injuriam, et hic probrosa et contumeliosa maxime videbatur, maxillæ percussionem. Id vero jussit et percutientis et percussi rationem habens. Nam qui injuria afficitur, nihil se grave passum arbitrabitur, sic philosophia præmunitus : neque enim contumeliæ sensum ullum habebit, ut qui certet potius quam percutiatur; qui vero injuriam infert, pudore suffusus non secundum colaphum impinget, etiamsi fera quavis ferocior sit; imo etiam de priore sese damnabit. Nihil enim ita lædentes cohibet, ut cum læsi injuriam modeste ferunt; neque modo retinet impetum ne ulterius procedatur; sed etiam id efficit, ut de facto se pœniteat, et alii moderationem admirantes secedant; imo, neque solum amicos ex inimicis, sed familiares reddit et servos. Sicut e converso, ultio sumpta contraria omnia parit, utrumque dedecorat, et pejorem efficit, majorem iræ flammam excitat, ac sæpe cæde terminatur malum ad ulteriora progressum. Idcirco

[1] Matth. v, 22.

percussum non modo jubet non irasci, sed etiam percutientis implere cupiditatem præcipit, ut ne videaris priorem plagam invitus accepisse. Sic enim impudentem opportuniore plaga percutere poteris, quam si manu percussisses, et impudentem mansuetiorem efficies. « Qui » voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tol» lere, dimitte illi et pallium. » Neque enim in plagis tantummodo, sed etiam in pecuniis vult talem tolerantiam exhiberi. Ideo rursum simili utitur hyperbole. Sicut enim illic jubet patiendo vincere, ita et hic in concedendo plura, quam raptor expectabat. Verum hoc non simpliciter posuit, sed cum additamento. Non enim dixit : « Da petenti pallium, » sed, « Ei qui voluerit tecum judicio contendere ; » hoc est, si te ad judicium traxerit, ac negotia tibi exhibeat. Quemadmodum vero cum dixisset : « Ne voces fatuum, et ne irascaris sine causa » : deinceps plura exegit, cum jussit etiam dexteram maxillam præbere; ita et hic cum dixisset : « Esto consentiens cum adversario tuo, » rursum gravius præceptum addit. Non enim modo jubet illa dare quæ ille vult auferre, sed majorem etiam liberalitatem exhibere. Quid igitur, inquies, nudus-ne circuiturus sum? Nunquam essemus nudi, si his præceptis diligenter obtemperaremus ; sed multo pluribus, quam alii, omnes vestibus induti essemus. Primo enim nemo tali animo præditus invaderet : secundo si quispiam occurreret ita ferox et inhumanus, ut eo usque procederet, multo plures reperirentur qui tantæ philosophiæ virum, non vestibus modo, sed et carne sua, si fieri posset, operirent.

III. Si autem etiam propter talem philosophiam nudum incedere oporteret, neque id etiam turpe esset. « Nam et » Adam nudus erat in paradiso, nec erubescebat [1]. » Esaïas etiam nudus et discalceatus, Judæorum omnium splendi-

[1] Gen. II, 25.

dissimus erat [1]. Joseph vero, cum exutus est, tunc maxime claruit. Neque enim malum est ita nudari; sed ita indui, ut nunc nos induimur vestimentis pretiosis. Hoc et turpe et ridiculum est. Ideo illos quidem Deus laudavit; hos vero per Prophetas et per Apostolos sæpe incusat. Ne itaque præcepta impossibilia esse putemus. Quæ utique et utilia nobis sunt, et valde facilia, si vigilemus : tantumque afferunt lucrum, ut non nos solum, sed etiam eos qui nos lædunt, maxime juvent. Et hoc est in eis eximium, quod dum suadent nobis ut mala patiamur, eadem opera eos qui nos lædunt, docent philosophari. Dum enim ille putat magnum esse aliena auferre, tu vero ostendis ipsi tibi in promptu esse illa etiam dare quæ ipse non petit, et pronam alacritatem ejus inopiæ, philosophiamque ejus rapacitati opponis, considera quantam ille percipiet doctrinam, non ex verbis, sed ex operibus eruditus ad parvipendendam nequitiam, et virtutem assequendam. Non enim vult Deus ut nobis tantum utiles simus, sed omnibus proximis. Si igitur dederis, et non judicio contenderis, quod tibi utile erat tantum quæsivistis; si vero aliud dono addideris, illum meliorem effectum dimittis. Hujusmodi est sal, ut vult Dominus Discipulos esse : quod et seipsum servat, et alia corpora quibuscum mixtum est firmat : talis est oculus, qui sibi ipsi lucet et aliis. Quia igitur eorum te vice constituit, illumina eum qui in tenebris sedet; et doce illum, nec primum quidem rapuisse violenter, nec te læsisse omnino. Sic enim et tu venerabilior clariorque eris, si ostendas dedisse te, non raptum amisisse. Fac igitur per mansuetudinem tuam, ut ejus peccatum liberalitas tua sit. Si vero hoc esse magnum putas, expecta et clare videbis te nondum ad perfectionem venisse. Non enim hic gradum sistit is qui patientiæ leges dedit, sed ulterius pro-

[1] Isaï. xx, 3.

cedit, ita dicens : « Si quis te angariaverit milliarium » unum, vade cum illo et duo [1]. » Vidisti-ne philosophiæ excellentiam? Post datam tunicam et pallium, si adhuc nudo corpore uti velit adversarius ad laborem et miseriam ferendam, ne sic quidem illum coërcere oportet, inquit. Omnia enim nos communiter vult possidere, corpora, pecunias, et egenis pariter injuriamque inferentibus illa præbere; hoc enim fortitudinis, illud benignitatis est. Ideo dicebat : « Si quis te angariaverit milliarium unum, vade » cum illo et duo, » sublimius te rursum erigens, atque eamdem ipsam liberalitatem ostendere jubens. Si enim illa, quæ in principio dicebat, his longe minora, tot tamen beatitudines habeant, cogita quanta sors hæc majora operantes expectet, atque etiam quales illi vel ante præmia evadant, in humano et passibili corpore, impassibilitatem omnem exhibentes. Cum enim neque calumniis, neque plagis, neque pecuniarum direptione mordeantur, neque ulli rei simili unquam cedant; imo potius ærumnis fortiores evadant, considera qualis anima eorum efficiatur. Propterea quod in plagis, quod in pecuniis jubet, hoc et in hac re quoque facere præcepit. Quid loquor, inquit, de contumeliis, de pecuniis? si etiam ipso corpore tuo uti velit ad laborem et defatigationem, illudque injuste, rursus vincito, et illius iniquam cupiditatem exuperato. Angariare enim est inique trahere, et sine ullo prorsus ratione vim inferre. Attamen ad hoc etiam paratus esto, ut amplius patiaris, quam ille velit exigere. « Petenti te da, » et volentem a te mutuari, ne averseris [2]. » Hæc minora illis sunt, sed ne mireris : sic enim solet semper facere, magnis parva miscens. Si vero hæc minora sint illis, audiant qui aliena rapiunt, qui meretricibus sua largiuntur, et duplex sibi parant incendium, et per iniquum aditum, et per

[1] Matth. v, 41. — [2] Ibid. 42.

sumptus perniciosos. Mutuum autem hic, non usurarium illud fœnus appellant, sed usum simplicem. Alibi vero idipsum intendit dicens illis dandum esse, a quibus nihil recepturos speramus. « Audistis quia dictum est : Diliges » proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum [1]. Ego » autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, et orate pro » calumniantibus et persequentibus vos, benedicite male- » dicentibus vobis, benefacite iis qui vos oderunt; ut sitis » similes Patris vestri, qui est in cœlis, qui solem suum oriri » facit super bonos et malos, et pluit super justos et in- » justos [2]. » Vide quomodo ultimam bonorum coronidem posuit. Propterea enim docet non modo colaphis cædentes ferre, sed etiam dexteram maxillam præbere; neque tantum tunicæ pallium adjicere, sed cum angariante ad unum milliarium per duo milliaria incedere; ut quod his longe majus erat, cum omni facilitate susciperes. Et quid, inquies, his majus est? Illum, qui hæc faciat, non inimicum habere : imo et aliquid aliud majus. Non enim ait : « Ne odio habeas, » sed, « Dilige : » non dixit : « Ne lædas, » sed, « Benefacito. »

IV. Si quis vero hæc accurate exploraverit, aliud videbit additamentum his longe majus. Non enim solum jussit diligere, sed et pro iis orare. Vides-ne quos ascenderit gradus, et quomodo nos in ipsum virtutis culmen constituerit. Considéres velim eos a principio enumerans. Primus gradus est, non injuriam inferre. Secundus, ubi incepta est injuria, non illam pari vice ulcisci. Tertius, non inferre in lædentem idipsum quod passus es, sed quiescere. Quartus, seipsum offerre ad male patiendum. Quintus, plura illi præbere, quam ipse velit qui malum intulit. Sextus, non odio habere illum qui talia egerit. Septimus, ipsum etiam diligere. Octavus, ipsi benefacere. Nonus,

[1] Levit. xix, 17. — [2] Matth. v, 43-45.

Deum etiam pro ipso precari. Vidisti-ne philosophiæ culmen? Ideo etiam splendidum ille præmium habet. Quia enim magnum præceptum erat, ac strenuo opus habebat animo, magnaque diligentia, mercedem illi constituit talem, qualem nulli priorum. Non enim terram hic commemorat, ut cum de mitibus ageret, non consolationem et misericordiam, ut cum de lugentibus et de misericordibus; non de regno cœlorum : sed quod omnium mirabilissimum erat, quod fierent Dei similes, quantum possunt homines ipsi esse similes. « Ut sitis, inquit, similes Patris » vestri qui in cœlis est. » Tu vero observes velim ipsum neque hic, neque in superioribus Patrem suum vocare; sed illic quidem Deum et regem magnum, cum de juramentis agit; hic vero Patrem ipsorum. Id vero agit hos loquendi modos in opportunum tempus reservans. Deinde in progressu similitudinem illam declarat : « Qui solem » suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super jus- » tos et injustos. » Etenim illos non modo non odit, inquit, sed etiam beneficio afficit eos, qui se injuria afficiunt. Quanquam nulla sit hac in re æqualitas, non solum propter beneficii magnitudinem, sed etiam propter dignitatis eminentiam. Tu enim a conservo despiceris, ille autem a servo, quem sexcentis beneficiis affecit; et tu quidem verba donas, dum pro illo precaris, ille vero res admodum magnas et mirabiles, solem accendens et annuos imbres suppeditans. Attamen sic concedo te æqualem esse, quantum potest homo. Ne itaque odio habeas hominem, qui te malo afficit, cum tibi tot bona conciliet, et ad tantum te honorem ducat, ne maledicas ei, qui te damno afficit : alioquin et laborem sustinebis, et ejus fructu privaberis; damnum feres, et mercedem perdes, quod extremæ est dementiæ, quod scilicet cum graviora sustinuerimus, minora non feramus. Et quomodo, inquies, potest hoc fieri? Cum Deum videas

hominem factum tantum descendisse, et tanta pro te passum esse, interrogas adhuc et ambigis, quomodo possumus injurias conservis remittere? Non audis illum in cruce dicentem: « Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt [1]? » Non audis Paulum dicentem: « Qui ascendit sursum, et » sedet in dextera, interpellat pro nobis [2]? » Non vides quomodo post crucem et ascensionem Judæis, qui se interfecerant, miserit Apostolos, qui sexcenta ipsis afferrent bona? idque cum mille ab ipsis passuri essent mala? At tu læsus admodum es? Et quid tantum passus es, quantum Dominus tuus, vinctus, colaphis cæsus, flagellatus, a servis consputus, mortem passus, mortem, inquam, omnium turpissimam, idque post mille ipsis illata beneficia? Si porro multum læsus sis, ideo maxime beneficia confer, ut tibi splendidiorem nectas coronam, et fratrem a gravissimo morbo liberes. Nam et medici, quando ab ægro furente calcibus et injuriis impetuntur, tunc maxime ipsos miserantur, et ad sanitatem ipsis restituendam sese apparant, gnari contumeliam illam a violentia morbi proficisci. Et tu itaque hanc circa insidiatores teneto sententiam, sicque erga lædentes te geras. Illi namque sunt qui vere morbo laborant et vim patiuntur omnem. Libera igitur eum a gravi isto damno, et da operam ut iram remittat; a sævo dæmone, nempe furore, cripe. Nam cum dæmoniacos videmus, lacrymamur, neque studemus ipsi a dæmone agitari. Hoc igitur erga iratos nunc faciamus; nam iis similes sunt iracundi; imo illis miseriores sunt, qui sensibus integris insaniunt. Quamobrem illorum amentia veniam non meretur.

V. Ne itaque jacentem invadas, imo potius ipsum miserare. Nam si quempiam videamus a bile exagitatum et vertigine captum, ac pravum illum humorem emovere festinantem, manum porrigimus, et sic agitatum sustenta-

[1] Luc. XXIII, 34. — [2] Rom. VIII, 34.

mus, etiamsi pallium inquinemus, non aversamur; sed id solum curamus, ut illum a gravi hujusmodi angustia eruamus. Hoc itaque erga istos etiam agamus, sustentemus vomentes et agitatos, neque prius dimittamus, quam hanc amaritudinem omnem deposuerint. Et tunc tibi gratias habebunt maximas, cum quieverint. Tunc is clare cognoscet a quanta illum perturbatione erueris. Et quid dico ab illo tibi gratiam esse referendam? Nam te Deus statim coronabit, et innumeris remunerabit bonis, quia fratrem tuum a gravi morbo liberasti : sed etiam ille te ut dominum honorabit, tuam omnino reveritus moderationem. Annon vides parientes mulieres, quomodo vicinas sibi mordeant, et illæ tamen non dolent; imo dolent, sed illud fortiter ferunt, et commiseratione ducuntur erga dolentes et a partu dissectas. Has tu quoque imitare, neque sis ipsis mulieribus mollior. Cum enim pepererint mulieres istæ, (mulieribus quippe sunt illi rixis movendis promptiores;) tunc te virum esse cognoscent. Quod si gravia hæc præcepta sunt, cogita ideo venisse Christum, ut hæc in animis nostris inscreret, ut nos et amicis et inimicis utiles efficeret. Ideo amborum curam gerere jubet; fratrum, cum dicit : « Si offers munus tuum; » inimicorum, cum lege statuit ut ipsos diligas, et pro ipsis ores. Neque Dei tantum exemplo ad hoc hortatur, verum etiam ex contrario : nam, « Si » dilexeritis, inquit, eos qui vos diligunt, quam mercedem » habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt [1]? » Hoc et Paulus ait : « Nondum usque ad sanguinem restitistis con» tra peccatum pugnantes [2]. » Si igitur hoc feceris, cum Deo stas; si hæc reliqueris, cum publicanis. Vides-ne quomodo non tanta sit præceptorum magnitudo, quanta personarum differentia? Ne itaque cogitemus difficile præceptum esse, sed mercedem in mentem revocemus, conside-

[1] Matth. v, 46. — [2] Hebr. xii.

remusque cui similes efficiamur, si recte nos gesserimus ; et quibus exæquemur, si peccemus. Fratrem itaque jubet reconciliari, nec prius abscedere, donec inimicitiam auferamus. Cum autem de omnibus disserit, non ultra nos tali subjicit necessitati, sed nostra tantum requirit, hocque pacto legem facilem efficit. Quia enim dixit : « Persecuti sunt Prophetas, qui ante vos erant ; » ne propterea ipsis infensi essent, jubet non modo illos hæc agentes tolerare, sed etiam diligere. Vides-ne quomodo iram, et concupiscentiam sive corporum, sive pecuniarum, sive gloriæ, sive rerum ad præsentem vitam spectantium, radicitus auferat ? Hoc enim fecit ab initio, multoque magis nunc. Nam qui pauper, qui mitis est, qui luget, iram prorsus evacuat : qui justus et misericors, pecuniarum cupiditatem excludit ; qui corde mundus, a concupiscentia mala liber est : qui persecutionem patitur, et injurias sustinet, etiamsi male audiat, præsentium omnium rerum contemptum obtinet, atque a fastu et vana gloria liberatur. Auditore igitur ab hisce vinculis soluto, et ad certamina inuncto, rursus alio modo et cum majori diligentia hæc vitia evellit. Orsus enim ab ira, hujusque vitii nervis omnino succisis, postquam dixit : « Qui irascitur fratri suo, et qui fatuum vocat, et qui raca dicit, puniatur : et qui offert donum, ne prius accedat ad mensam, quam solverit inimicitiam ; et qui adversarium habet, priusquam judicium videat, amicum sibi eum ex inimico faciat ; » ad concupiscentiam rursus transit. Et quid ait ? « Qui respicit impudicis oculis, ut mœchus puniatur : qui offendiculum patitur ab impudica muliere, aut a viro, aut a quopiam alio eorum, qui sibi necessitudine juncti sunt, hos omnes penitus abscindat : qui lege connubii uxorem habet, nunquam illam repudiet, nec ad aliam respiciat. » Per hæc enim malæ concupiscentiæ radices evulsit. Deinde pecuniarum amorem coërcet,

jubens neque jurare, neque mentiri, neque tunicam retinere, qua quis induitur, imo etiam volenti pallium offerre, et corporis sui operam : omni studio pecuniarum amorem auferens.

VI. Post hæc autem omnia variam horumce præceptorum coronam inducit, dicens : « Orate pro calumniantibus » vos [1], » ad supremum philosophiæ cacumen attollens. Quemadmodum enim colaphos pati majus est, quam esse mitem, et pallium cum tunica dimittere præstantius, quam misericordem esse, et injurias ferre, quam justum esse, et alapas ferre et ad sequendum cogi, quam pacificum esse; sic persequenti se benedicere perfectius est, quam persecutionem pati. Vides quomodo paulatim nos ad ipsos cœlorum fornices attollat? Quonam igitur digni supplicio sumus, qui ad Deum imitandum studium ponere jussi, ne publicanis quidem pares forte simus? Si enim amicos diligere publicanorum, peccatorum atque ethnicorum sit, quando ne id quidem facimus; non enim facimus quando laude florentibus fratribus invidemus; quas non dabimus pœnas, qui Scribas superare jussi, etiam ethnicis inferiores sumus? Quomodo, quæso, regnum videbimus? Quomodo sacra illa adibimus vestibula, non meliores publicanis? Illud enim subindicavit his verbis : « Nonne et publicani » hoc faciunt? » In quo maxime ejus doctrina est admiranda, quod cum ubique præmia certaminum superabundanter ponat; scilicet Deum videre, regnum cœlorum hæreditate accipere, filios Dei fieri, ei similes esse, misericordiam consequi, consolationem accipere, in cœlis magnam repositam habere mercedem; si quando tristium mentio habenda sit, id parcius facit; gehennæ quippe nomen semel tantum in tot sermonibus posuit; et in aliis quibusdam remissius, hortando magis quam comminando, audi-

[1] Luc. VI, 28.

torem corrigit dicens : « Nonne et publicani hoc faciunt [1] ? » et, « Si sal infatuatum fuerit [2] ; » et, « Minimus vocabitur » in regno cœlorum [3]. » Est etiam, cum peccata ponit pro pœnis, supplicii pondus auditori subintelligendum proferens ; ut cum dicit : « Mœchatus est eam in corde suo, » et, « Qui dimittit, facit eam mœchari ; » et, « Quod his » abundantius est, a malo est [4]. » Nam mente præditis pro supplicii nomine sufficit ad emendationem peccati magnitudo. Quamobrem hic quoque ethnicos et publicanos in medium adducit, ex personæ conditione Discipulum pudore afficiens. Quod et Paulus faciebat dicens : « Nolite » contristari sicut et cæteri, qui spem non habent [5] : » et, « Sicut gentes, quæ ignorant Deum [6]. » Et ostendens se nihil ita eximium petere, sed paulo amplius solito, ait : « Nonne et ethnici hoc faciunt ? » Attamen non hic finem dicendi facit, sed in præmia et in bonam spem desinit his verbis : « Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœles- » tis [7]. » Sæpeque cœlorum nomen ubique disseminat, a loco etiam sensus eorum erigens. Hactenus enim infirmiores crassioresque erant. Omnia igitur, quæ dicta sunt, mente volventes, magnam etiam erga inimicos charitatem exhibeamus. Et ridiculam illam consuetudinem ejiciamus, quam multi ex iis, qui minus ratione valent, sustinent, expectantes ut qui obviam veniunt se prius salutent : id quod multam beatitudinem continet negligentes, quod autem ridiculum est exigentes. Qua ergo de causa non illum prior salutas? Quia hoc expectat, inquies. Atqui ideo maxime festinare oportebat, ut tu coronam acciperes. Non, inquies, quia hoc ipsum ille quæsivit. Et quid hac amentia deterius ? Quia enim id ille quæsivit, inquis, ut mercedis mihi fieret occasio, nolo hanc arripere occasionem. At si

[1] Marc. IX, 3. — [2] Luc. XIV, 34. — [3] Matth. V, 19. — [4] Ibid. 28, 32 et 37. — [5] 1 Thess. IV, 12. — [6] Ibid. 5. — [7] Matth. V, 48.

ille te prior salutet, nihil tibi plus erit si salutem reddas. Si vero tu prior properes ad salutandum, fastum ejus intercepisti, et largum ex ejus arrogantia fructum messuisti. Quomodo igitur non extremæ dementiæ fuerit, cum ex nudis verbis tantum capere fructum valeamus, lucrum perdere, et cum illum improbemus, in eadem incidere? Si enim illum ideo culpas quod prior aliorum salutationem expectet, cur imitaris id quod improbas; et quod malum esse dicis, hoc ut bonum æmularis? Vides-ne nihil stultius esse homine in nequitia vivente? Quamobrem obsecro, hanc improbam et ridiculam consuetudinem fugiamus. Hic quippe morbus mille amicitias evertit, multasque peperit inimicitias. Ideo nos præveniamus alios. Nam qui jubemur ferre ut alapis percutiamur, iter coacti suscipiamus, nudemur ab inimicis, qua venia digni erimus, si in simplici salutatione tantam adhibeamus contentionem? Despicimur, inquies, et conspuimur, cum hoc ipsi concedimus: et ne te despiciat homo, Deum offendis? Ne te contemnat conservus furens, Dominum contemnis, qui tanta tibi beneficia contulit? Si enim absurdum est te æqualem contemnere, multo magis absurdum contemnere te Deum, qui te fecit. Ad hæc considereres velim, cum te ille despicit, tunc majorem tibi mercedem conciliare. Propter Deum enim hæc pateris, quia leges ejus audisti. Hoc autem quo non honore dignum sit? quibus non diadematibus? Contingat mihi et contumeliis affici et contemni propter Deum, potius quam honorari ab omnibus regibus: nihil enim, nihil utique huic honori par est. Hunc itaque consectemur ut ille jussit; humanosque honores nihili facientes, sed veram philosophiam per omnia exhibentes, sic vitam ordinemus nostram. Nam cœlestium coronarum jam hic fructum percipiemus, quasi Angeli cum hominibus versantes, tanquam angelicæ potestates in terra circum-

euntes, omni cupiditate omnique perturbatione exempti; et cum his omnibus ineffabilia consequemur bona : quæ utinam nos omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, imperium et adoratio, cum principii experte Patre et sancto bonoque Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS TOMI TRIGESIMI QUINTI.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 3.

Proœmium tomi quinti, Homilias in diversos Veteris Testamenti locos, continentis.

Non sunt omnes ejusdem aleæ, neque ad nos integre pervenerunt; prima quippe « De beato Abraham » mutila, principio fineque videtur carere; secunda, quæ agit de « Melchisedecho, » magna parte referri ad alteram potest, ad eam videlicet quæ hæc Evangelii verba explanat: « Filius » ex seipso nihil facit, nisi quod viderit Patrem facientem, (Joan. V, 19.), quam suo ordine transcribemus; de Melchisedecho paucis, præcipue contra Anomæos disputat; tertia, « In Joseph et de continentia, » manca prorsus est et græci sermonis desiderium facit, latine solummodo transmissa; quarta « De agonibus sancti Jobi » concinne et eleganter tractat, edita recens, dignissima quæ e tenebris eruceretur; quinta « De serpente æneo Moysis; » quæ vulgo Severiano Gabalorum episcopo ascribitur, quanquam hanc sub Chrysostomi nomine in lucem dederit cardinalis Sirletus.

Quæ sequuntur, « De Anna Samuëlis matre, » genuinæ admodum sunt, et omni ex parte absolutæ. Judicium idem de singulis proferendum est, quas tractatibus in Vetus Testamentum adjecimus.

Quidquid sit de priore Homilia « In Eliam prophetam, » hanc censemus, licet nostro Antistite minus dignam, nota severiore inter spuria relegatam fuisse a Benedictinis tomo sexto. De posterioribus nulla lis inter eruditos.

Annot. (2), pag. 19.

Qui dicebat Melchisedechum esse Spiritum sanctum, erat Hierax, teste Epiphanio in hæresi Melchisedecianorum. Quod mox sequitur, nempe Judæos dixisse Melchisedechum ex fornicatione natum fuisse, refert etiam Epiphanius eodem loco.

Annot. (3), pag. 89.

Hoc probrum intulisse dicitur matri Samuëlis puer sive servus Heli secundum Septuaginta interpretes. At in hæbreo et in Vulgata ipse Heli solus inducitur Annam increpans.

Annot. (4), pag. 91.

Nescio cur dicat nullum alium affuisse : aderant enim ipsius Davidis milites, narrante Scriptura.

Annot. (5), pag. 116.

Sermo ille, in quo hæc explicabantur, et qui quartus erat, intercidit.

Annot. (6), pag. 148.

Legem ipsam mansuetudine superasset David, etiamsi Saülem occidisset, quia lex præcipiebat dentem pro dente, oculum pro oculo, et, ut consequens erat, vitam pro vita dari; ita ut, si Saülem interfecisset, minus etiam quam lex permittebat fecisset David, semel occidendo eum, qui sæpe vitam ipsi eripere conatus fuerat.

Annot. (7), pag. 156.

Pancratiastæ erant qui in pentathlo seu in quinque ludis victores fuerant.

ANNOT. (8), pag. 176.

Hic memoria labi videtur Chrysostomus, cum dicit statuam illam a Nabuchodonosore factam, ἀπὸ του ξύλε, id est, ligneam fuisse. Nam aurea illa in exemplaribus omnibus hebraïcis, græcis, latinis fuisse dicitur.

ANNOT. (9), pag. 295.

Quod hic dicit Chrysostomus, stellam Magis usque in Palæstinam luxisse, et cum Jerosolymam advenissent, sese occultasse, non videtur consonare cum Evangelio, ubi legitur: « Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antece» debat eos.... videntes autem stellam gavisi sunt gaudio » magno valde, etc. »

ANNOT. (10), pag. 314.

Hic Magi dicuntur Ecclesiæ progenitores, quia ipsi primi in regione sua, imo etiam in Judæa Christum advenisse prædicarunt. Qua ratione auctores et fundatores christianismi dici possunt.

ANNOT. (11), pag. 330.

Hic haud dubie loquitur de vita sancti Antonii per Athanasium archiepiscopum Alexandrinum, quam edidimus inter ejus opera.

ANNOT. (12), pag. 333.

Quod autem hic dicit Chrysostomus Herodem, elapso Petro, milites custodes occidisse, cum græco Actuum consonat, ubi dicitur: ἐκέλευσεν ἀποχθῆναι, id est, « Jussit eos ad

» supplicium abduci, » et sic intelligendum videtur illud Vulgatæ, « Jussit eos duci. »

Annot. (13), pag. 339.

Hic ait Joannes Chrysostomus Prophetas illos, ubi hæc clausula ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, habebatur, Judæorum incuria amissos fuisse : alii dicunt hæc non ipsis quidem verbis, sed quoad sensum reperiri in Prophetis qui hodieque extant. Nec desunt qui existiment hæc verba respicere hunc locum Isaïæ XI, 1, ubi in hebraïco legitur, « Et » flos de radicibus ejus germinabit, » ubi illud « Neser, » Nazaræum exprimere existimant.

Annot. (14), pag. 366.

Hic verborum significatio perspicua est : « Non dixit, qui » remittit, » sed quod majoris erat curæ ac providentiæ, « Qui » tollit. Non enim æquale vel idipsum est simpliciter remit- » tere, et ipsum resumere. Nam illud sine periculo fiebat, » hoc autem per mortem. » Sed quæ vere sit mens Chrysostomi non ita facile est intelligere. Difficultas autem in his maxime verbis versatur, καὶ τὸν αὐτὸν ἀναλαβεῖν. Si τὴν αὐτὴν ἀναλαβεῖν legeretur, idque ad ἁμαρτίαν referri posset, tunc sic explicandum esset. Non enim idipsum est peccatum dimittere, et ipsum de medio tollere. Nam illud sine periculo fiebat, hoc autem per mortem Christi.

Annot. (15), pag. 412.

Nescio cur dicat Chrysostomus nusquam in Scriptura reperi γῆν νοητήν, seu terram spiritualem, siquidem terra promissionis intelligitur spiritualiter : nisi forte significare velit hanc vocem γῆν solam nunquam in Scriptura occurrere pro γῆν νοητήν. Quod verum esse videtur.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Homilia I, de Joseph et de continentia, pag. 21.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, pag. 417-420.
Homilia II, de agonibus S. Job, pag. 26.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 429-437.
Homilia III, de Anna, pag. 66.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, pag. 424-426.
Homilia IV, de Davide et Saüle, pag. 136.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, pag. 426-437.
Homilia V, de pœnitentia et de mœstitia regis Achab et de Jona, pag. 209.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, pag. 382-384.

COMMENTARIA IN S. MATTHÆUM.

Homilia I, pag. 221.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, pag. 462-475.
Homilia II, pag. 236.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 3-6.
Homilia III, pag. 248.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 6-10.
Homilia IV, pag. 259.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 10-18.
Homilia V, pag. 281.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 18-22.
Homilia VI, pag. 292.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 22-29.
Homilia VII, pag. 308.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 30-35.
Homilia VIII, pag. 321.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 36-39.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Homilia IX, pag. 332.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 39-41.
Homilia X, pag. 345.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 41-45.
Homilia XII, pag. 374.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, 45-47.
Homilia XIII, pag. 384.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 48-62.
Homilia XIV, pag. 398.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 67-70.
Homilia XV, pag. 407.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 122-123, et tom. XV, pag. 379-384.
Homilia XVI, pag. 433.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, pag. 343-451, et tom. XVII, pag. 74-78.

INDEX

TOMI SEPTUAGESIMI QUARTI.

HOMILIÆ IN VETUS TESTAMENTUM.

DE DIVERSIS.

Homilia I. *De beato Abraham.* Pag. 5

Homilia II. *De Melchisedecho.* 14

Homilia III. *In Joseph et de Continentia.* 21

Homilia IV. *Homilia hortatoria habita in templo sanctæ Anastasiæ adversus eos qui non affuerant; ac demonstratio de agonibus et certaminibus beati et justi Jobi.* 25

Homilia V. *De serpente, quem Moyses in cruce suspendit in deserto, deque divina Trinitate.* 38

Homilia VI. De Anna I. *Quod oporteat, et in Pentecoste, et semper jejunii meminisse, et quod non præsentia solum, sed etiam recordatio jejunii sit utilis; et de Dei providentia, quodque non minima pars ipsius sit præter alia parentum erga liberos amor; quodque non patribus solum, sed et matribus præceptum sit, ut liberorum mores componant, et ad extremum de Anna.* 66

Homilia VII. De Anna II. *De fide Annæ; deque philosophia, hoc est, animi moderatione, et modestia ipsius, et de honore deferendo sacerdotibus, et quod tum in initio, tum in fine prandii sit orandum.* 85

Homilia VIII. De Anna III. *De Anna, deque Samuëlis educatione, et quod utilis sit in pariendo tarditas, et quod periculosum sit liberos negligenter habere.* 96

Homilia IX. De Anna IV. *Ad eos qui, collecta relicta, ad theatra accedunt: et quod non solum utilius sit in Ecclesia versari, quam in*

theatris, sed etiam jucundius : et de secunda parte precationis Annæ : quodque indesinenter et in omni loco precari oporteat, vel in foro, vel in via, vel in lecto. Pag. 110

Homilia X. De Anna V. *Adversus eos, qui tantum in festis conveniunt, et quidnam sit festum. Item adversus eos, qui incusant divinam providentiam, eo quod in hac vita quidam sint divites, quidam pauperes : quod paupertas utilissima sit, et quod paupertas plus voluptatis ac securitatis ubique habeat, quam divitiæ. Itemque de Anna.* 412

Homilia XI. De Davide et Saüle I. *De Davide et Saüle, deque tolerantia, et quod oporteat inimicis parcere, nec de absentibus male loqui.* 150

Homilia XII. De Davide et Saüle II. *Quod magnum sit bonum, non tantum exercere virtutem, verumetiam laudare : quodque David magnificentius tropæum erexerit parcendo Saüli, quam prostrato Goliath : quodque hæc faciens magis profuerit sibi quam Saüli : deque excusatione ipsius apud Saülem.* 153

Homilia XIII. De Davide et Saüle III. *Quod periculosum sit adire spectacula, et ea res adulteros perfectos faciat, et hinc tristitia contentioque nascatur : tum quod omne tolerantiæ genus David in iis, quæ fecit erga Saülem, superarit : postremo quod rapinam æquo animo ferre, non minor virtus sit, quam largiri eleemosynam.* 166

Homilia XIV. *In Eliam prophetam.* 188

Homilia XV. *In Eliam et in viduam et de eleemosyna.* 195

Homilia XVI. *De pœnitentia et de mœstitia regis Achab et de Jona propheta.* 209

HOMILIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM.

COMMENTARIA IN S. MATTHÆUM EVANGELISTAM.

Homilia I. Prooemium. 221

Homilia II. Caput I. 236

Homilia III. Id. Caput. 248

Homilia IV. Id. Caput. 259

Homilia V. Id. Caput. 281

Homilia VI. Caput II. 292

Homilia VII. Id. Caput. Pag. 308
Homilia VIII. Id. Caput. 321
Homilia IX. Id. Caput. 332
Homilia X. Caput III. 345
Homilia XI. Id. Caput. 358
Homilia XII. Id. Caput. 374
Homilia XIII. Caput IV. 384
Homilia XIV. Id. Caput. 398
Homilia XV. Caput V. 407
Homilia XVI. Id. Caput. 433
Homilia XVII. Id. Caput. 459
Homilia XVIII. Id. Caput. 475

Annotationes. 491

Concordantia Bibliothecæ latinæ cum gallica. 497

EXPLICIT INDEX.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

LXXVI.

PATRES QUINTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

VI.

POISSY. — E TYPOGRAPHEO ARBIEU.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS SEXTUS.

PARISIIS,

APUD MELLIER PÈRE EDITOREM,

17, RUE PAVÉE SAINT-ANDRÉ.

M. DCCC. XXXV.

S. P. N. JOANNIS

CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

OPERUM

PARS I.

HOMILIÆ IN SCRIPTURAM.

CLASSIS I.

HOMILIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM.

COMMENTARIA IN S. MATTHÆUM EVANGELISTAM.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM.

COMMENTARIA IN S. MATTHÆUM EVANGELISTAM.

HOMILIA XIX.

CAPUT VI.

Attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis [1].

I. Omnium maxime tyrannicum jam eliminat animi morbum, rabiem, inquam, illam et furorem circa vanam gloriam, quæ homines etiam probe agentes invadit. A principio quidem nihil hac de re locutus est. Nam superfluum fuisset, priusquam bona opera edere suaderet, docere quomodo illa facienda et adeunda essent. Postquam autem in philosophiam induxit, tunc demum eam, quæ subrependo ipsam inficere solet, pestem auferre nititur. Neque enim utcumque gignitur hic morbus, sed postquam multa præcepta egregie implevimus. Oportebat igitur prius virtutem inserere, et tunc illum animi affectum auferre, qui ejus fructum labefactat. Ac vide unde exordium sumat, a jejunio, oratione et eleemosyna. In his enim maxime recte factis versari solet. Nam Pharisæus inde inflatus dicebat : « Jejuno

[1] Matth. VI, 1.

» bis in hebdomada, decimas do omnium quæ possideo [1]. » In ipsa oratione vanam captabat gloriam, et ad ostentationem precabatur. Quia enim nullus alius aderat, publicanum indicabat dicens : « Non sum sicut cæteri hominum, » neque sicut hic publicanus. » Et vide quomodo Servator cœperit, ac si de fera immani et astuta ageret, quæ non admodum vigilem capere posset : nam ait: « Attendite ne elec- » mosynam vestram. » Sic et Paulus Philippensibus dicit : « Videte canes [2]. » Clam enim ingreditur fera, et omnia sine strepitu inflat, atque omnia quæ intra nihil sentientem sunt aufert. Quia igitur plurimum fecit de eleemosyna sermonem, Deumque in medium induxit, « Qui solem suum oriri » facit super malos et bonos, » et undique ad id cohortatus est, et donorum largitate conspicuos esse suasit, demum omnia tollit, quæ huic pulchræ oleæ nocere possent : quapropter ait : « Attendite ne eleemosynam vestram faciatis » coram hominibus. » Nam illa prius memorata, Dei est eleemosyna. Cum vero dixisset: « Ne faciatis coram homini- » bus, » subjunxit, « Ut videamini ab eis. » Et videtur quidem idipsum jam ante dixisse; si quis vero diligenter attendat, non idipsum est; sed aliud hoc, aliud illud est. Multamque adhibet cautionem, ineffabilemque providentiam atque indulgentiam. Potest enim is, qui coram hominibus id facit, non ut videatur, id facere : et rursus qui coram id non facit, ut videatur, facere. Quamobrem non simpliciter rem, sed voluntatem vel punit vel coronat. Nisi enim ea adhiberetur accuratio, hoc multos ad eleemosynam erogandam segniores reddidisset, quia id non ubique clam fieri potest. Ideo ab hac te absolvens necessitate, non fini operis, sed voluntati facientis, et pœnam et mercedem decernit. Ne dicas enim : « Quid interest mea si alius videat? » Non hoc quæro, inquit, sed mentem tuam et modum faciendæ rei. Animam

[1] Luc. XVIII, 12. — [2] Philip. III, 2.

quippe vult efformare, et ab omni morbo liberare. Postquam igitur edixit, ne ad ostentationem fiat, et damnum docuit emergens, si temere et inconsiderate fiat, rursus auditorum animos erexit, Patrem commemorans atque cœlum, ne damnum solum tangeret, sed etiam Patris memoria coërceret. « Non habebitis, inquit, mercedem apud Patrem ves» trum qui in cœlis est [1]. » Neque hic gradum sistit, sed ultra procedit; magnamque eis hujus vitii aversionem indit. Quemadmodum enim supra publicanos ethnicosque posuit, ut conditione personarum illos qui hæc imitarentur pudore afficeret; ita hic quoque hypocritas memorat. Cum facis, » inquit, eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hy» pocritæ faciunt [2]. » Hoc dicit, non quod illi tubas haberent, sed ut magnam insaniam ostendat, hac metaphora illos deridet et traducit, atque probe hypocritas vocat. Larva quippe eleemosynæ erat: mens vero immanitatem crudelitatemque meditabatur. Non enim id agebant quod proximos miserarentur, sed ut ipsi gloria fruerentur: quod extremæ erat crudelitatis, alio fame pereunte, honorem captare, non ejus inopiæ consulere. Vera ergo eleemosyna non est largiri tantum, sed ut opertet dare, et propter inopiam dare.

II. Postquam igitur satis illos traduxit et notavit, ut auditorem pudore afficeret, jam corrigit mentem hoc morbo laborantem: cumque ostendisset quomodo non fieri deberet, rursus quomodo fieri debeat ostendit. Quomodo igitur fieri debet? « Nesciat sinistra tua quid facit dextera tua [3]. » Rursus hic non manus subindicat, sed hyperbolice id posuit. Nam si fieri posset, inquit, ut tu ipse ignorares, illud etiam curandum esset; etiam, si posset fieri ipsas manus ministrantes latere, deberet. Non, ut quidam dicunt, id pravis occultandum oportere hominibus; cunctis enim jussit abscondi. Deinde cogita quanta sit merces. Postquam

[1] Matth. VI, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

enim supplicium edixerat, ostendit hinc decerpendum honorem, utrinque eos impellens et ad sublimem agens doctrinam. Docet quippe ut sciant ubique Deum esse præsentem, resque nostras non esse præsentis vitæ limitibus circumscriptas, sed terribilius hinc nos excepturum esse tribunal, et rationes reddendas fore actuum omnium; hincque vel honores vel supplicia, ac nec parvum nec magnum opus latere posse, licet homines latere posse videatur. Hæc quippe omnia subindicavit dicens: « Pater tuus, » qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto [1]. » Magnum et honorabile theatrum ipsi constituens, ubi id quod concupiscit, ei abunde admodum dabitur. Quid vis, inquiet? annon aliquos habere gestorum spectatores? Ecce habes, non Angelos et Archangelos tantum, sed et universorum Deum: si etiam homines habere spectatores concupiscis, ne hoc quidem desiderium fructu vacuum erit tempore opportuno; imo id tibi cum majori cumulo præstabitur. Nunc enim si te ostentaveris, apud decem vel viginti, vel centum homines tantum ostentare te poteris; sin studeas nunc latere, tunc te ipse Deus prædicabit toto præsente orbe. Itaque si tantopere velis homines gesta tua videre, absconde nunc illa, ut cum majori honore tuo illa omnes tunc videant, Deo ipsa manifesta reddente, extollente, et apud omnes prædicante. Nunc autem te qui viderint damnabunt, ut vanæ gloriæ cupidum: cum porro te coronatum videbunt, non modo non damnabunt, sed etiam mirabuntur omnes. Cum itaque et merces parata sit, et admirationi futurus sis, si paulum temporis expectes, cogita quantæ stultitiæ esset utrumque simul amittere, dum et a Deo merces petitur, et, Deo vidente, homines evocantur gestorum spectatores. Si enim nos ostentare volumus, Patri ante omnia sese ostendere oportet; maxime vero cum et coronandi et

[1] Matth. VI, 4.

puniendi dominus sit Pater. Certe etiamsi nullum hinc sequeretur damnum, non oporteret gloriæ cupidum, hoc relicto theatro, hominum expetere theatrum. Quis enim ita miser esset, ut rege festinante ad recte factorum ejus spectaculum accedere, illo relicto, pauperum atque mendicorum sibi spectaculum statueret? Ideo non modo præcipit ut nos non ostentemus, sed etiam ut latere studeamus. Non enim æquale est, non se ostentandi studium habere, et latebras quærere. « Et cum oratis, nolite fieri sicut hypocri- » tæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stan- » tes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, » receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, in- » tra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum » qui est in abscondito [1]. » Rursum hos hypocritas vocat, et jure quidem : quia cum se Deum orare simulant, homines circumspiciunt, non supplicum veste induti, sed ridiculorum hominum. Qui enim ad supplicandum se præparat, omnibus relictis, illum intuetur unum, qui potest postulata dare. Quod si, illo relicto, circumeas errans, et undique circumspiciens, vacuis manibus abscedes. Hoc enim tu voluisti. Ideo non dixit tales homines mercedem non accepturos esse, sed recepisse; id est, recipient quidem, sed a quibus desiderant. Non enim hoc Deus volebat; sed cupiebat ipse suam præbere mercedem. Illi vero mercedem ab hominibus quærentes, non ab illo merentur accipere, propter quem nihil fecerunt. Tu vero mihi consideres velim Dei benignitatem, quando de quibus a nobis rogatur bonis, mercedem se daturum pollicetur. Vituperans igitur illos, qui non ut decet hoc officio utuntur, tum a loco, tum ab affectu, cum ostendisset illos admodum ridiculos esse, optimum orationis modum inducit, et rursus mercedem tribuit dicens : « Intra in cubiculum tuum. »

[1] Matth. VI, 5, 6.

III. Quid igitur, inquit, in Ecclesia non orandum? Sane quidem non orandum; sed cum voluntate tali. Nam Deus ubique cum sit, gestorum scopum requirit. Alioquin si in cubiculum ingressus sis, januamque claudas, idque ad ostentationem facias, nihil tibi januis opus est. Vide igitur et hic quam accuratam distinctionem posuerit dicens: « Ut » apparcant hominibus. » Itaque etiamsi januas clauseris, id te vult, antequam claudas, recte facere, nempe ut etiam mentis tuæ januas claudas. Nam vana gloria semper vacuum esse optimum est, maxime vero in oratione. Si enim absque hoc vitio mente erramus, et circumferimur; si cum hoc morbo ingrediamur, quandonam ea quæ dicimus audiemus? Sin nos, qui supplicamus et obsecramus, non audimus, quomodo Deum ut audiat rogamus? Attamen quidam sunt qui post tot tantaque præcepta ita turpiter in oratione se gerunt, ut etiamsi corpore occulti sint, voce omnibus se faciant manifestos, scurriliter clamantes, et habitu voceque sese ridiculos exhibentes. Annon vides etiam in foro, si quis ita se gerat, et cum clamore supplicet, quomodo illum etiam quem rogat amoveat; si autem quiete et cum decenti habitu, tum maxime inflectat eum, qui gratiam conferre potest? Ne itaque habitu corporis, neque vocis clamore, sed voluntatis studio orationes emittamus, neque cum strepitu et sonitu, vel ad ostentationem, ne proximos nobis expellamus, sed cum modestia omni, animi contritione, et lacrymis interioribus. Sed doles animo, nec potes non clamare? imo maxime dolentis est sic orare, et obsecrare, ut dixi. Nam et Moyses dolebat, sicque orabat, et audiebatur; ideoque dixit illi Deus: « Quid clamas ad » me [1]. » Anna quoque rursum, cum vox non audiretur, omnia quæ voluit impetravit, quia cor ejus clamabat [2]. Abel vero non silens modo, sed etiam moriens precabatur, et

[1] Exod. XIV, 15. — [2] 1 Reg. I, 3.

sanguis ejus tuba clariorem emittebat vocem. Ingemisce igitur et tu similiter ut ille Sanctus : id non impedio. Scinde, ut Propheta jussit, cor tuum, et non vestimenta tua[1]. De profundis invoca Deum, nam ait ille : « De profundis cla- » mavi ad te, Domine[2]. » ex intimo cordis tui vocem attrahe, fac orationem tuam esse mysterium. Non vides in aulis regiis tumultum omnem eliminari, et multum undique esse silentium ? Et tu itaque quasi in regiam ingrediens non terrenam, sed in multo terribiliorem, nempe cœlestem, magnam exhibe modestiam : nam et cum Angelis choreas agis, et Archangelorum es socius, et cum Seraphim canis. Omnes porro isti cœtus magnum exhibent ordinem, cum horrore multo mysticum illud melos et sacros hymnos canentes regi universorum Deo. His itaque te admisceas in precando, mysticumque ipsorum ornatum imitare. Neque enim hominibus precaris ; sed Deo ubique præsenti, antequam vocem emittas audienti, qui novit arcana mentis. Si sic oraveris, multam recipies mercedem. « Pater, inquit, tuus, qui » videt in abscondito, reddet tibi in manifesto[3]. » Non ait, « Donabit tibi, » sed « Reddet. » Debitorem se quippe tibi constituit, teque magno pro hoc etiam honore donavit. Quia enim ipse invisibilis est ; ideo vult orationem tuam hujusmodi esse. Deinde verba ipsa orationis refert. « Orantes, in- » quit, nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt[4]. » Nam cum de eleemosyna loquebatur, vanæ gloriæ pestem tantum semovit, nihilque amplius adjecit, neque dixit, undenam eleemosynam facere oporteret ; verbi causa, ex justis laboribus, non ex rapina, vel ex avaritia. Illud namque in confesso apud omnes erat. Superius autem illud jam expurgaverat, cum esurientes justitiam beatos prædicavit. Circa orationem vero aliquid amplius adjicit, multiloquium esse vitandum : ac quemadmodum ibi hypocritas, ita et hic eth-

[1] Joël. II, 13. — [2] Psal. CXXIX, 1. — [3] Matth. VI, 6. — [4] Ibid. 7.

nicos irridet, ubique ex personarum vilitate auditorem pudore afficiens. Quia enim ut plurimum hoc maxime mordet et angit, cum quis desperatis hominibus comparatur, hinc illos abducit, multiloquium hic futilem loquacitatem vocans; ut cum non consentanea a Deo petimus, nempe potentiam et gloriam, victoriam de inimicis, divitiarum facultates, demumque ea quæ nihil nobis profutura sunt. Scit enim, inquit, quibus opus habeatis.

IV. Post hæc autem videtur mihi longas orationes vetare; longas non tempore, sed multitudine et longitudine verborum: perseverandum enim est eadem ipsa petendo: « Ora»tioni, inquit, instantes[1]. » Et ipse Christus exemplo viduæ, quæ immisericordem et crudelem principem orationis instantia flexit; exemploque amici illius, qui intempesta nocte venit, et dormientem a lecto suscitavit, non ex amicitia, sed ex perseverantia; nihil aliud præscribit, quam omnes ipsi supplicare assidue oportere, non per orationem mille versibus constantem, sed simpliciter rem efferre jubet. Illud enim subindicavit his verbis: « Putant enim quod »in multiloquio suo exaudiantur. Ne similes estote illis. Scit »enim Pater vester quid vobis opus sit, antequam ab illo »petatis[2]. » Et si novit, inquies, quibus opus habemus, cur oportet orare? Non ut eum doceas, sed ut inflectas, ut supplicationis frequentia illi familiaris evadas, ut humilieris, ut peccatorum tuorum recorderis. « Sic igitur orate, ait: »Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum[3]. » Vide(1) quomodo statim auditorem erexit, et omne beneficii genus in proœmiis memoravit. Nam qui patrem Deum appellavit, et peccatorum remissionem, et supplicii abrogationem, et justitiam, et sanctificationem, et redemptionem, et filiorum adoptionem, et hæreditatem, et fraternitatem cum Unigenito, et Spiritus dona, hac una denominatione

[1] Rom. XII, 12. — [2] Matth. VI, 7, 8. — [3] Ibid. 9.

confessus est. Neque enim Deum patrem quis appellare potest, nisi hæc omnia bona consecutus. Duplici igitur modo eorum animos erigit; et ex dignitate ejus, quem patrem vocant, et ex magnitudine eorum, quæ accepere, beneficiorum. Cum autem dicit : « In cœlis, » non ibi Deum hoc dicendo concludit, sed precantem de terra abducit, et in excelsis locis supernisque habitaculis affigit. Docet autem communem pro fratribus orationem emittere. Non enim dicit : « Pater meus, qui es in cœlis, » sed « Pater noster, » pro communi corpore supplicationes emittens, nec unquam propria commoda spectans, sed ubique proximi. Hoc autem verbo inimicitias de medio tollit et arrogantiam reprimit, invidiamque eliminat; matrem vero omnium bonorum charitatem inducit, humanarumque rerum inæqualitatem expellit, et multam regis cum paupere honoris æqualitatem ostendit; siquidem in maximis et omnino necessariis omnes communione juncti sumus. Quid enim nocumenti ex terrena cognatione, cum secundum supernam omnes conjuncti simus, et nemo plus altero quidpiam habeat, non dives paupere, non herus servo, non princeps subdito, non rex milite, non philosophus barbaro, nec sapiens idiota? Omnibus quippe unam largitus est nobilitatem, cum omnium similiter Pater vocari dignatus sit. Postquam igitur hanc nobilitatem memoravit, nec non supernum donum, honoris inter fratres paritatem, atque charitatem, postquam a terra abduxit et cœlo affixit, videamus quid deinceps jubeat : nam hoc quoque dictum omnis virtutis doctrinam inserere valet. Nam qui patrem vocavit Deum, et patrem communem, jure talem exhibeat vitam, qua hac nobilitate indignus non videatur, et par dono studium præstet. Verum hoc non sat illi fuit; sed aliud addit ita loquens : « Sanctificetur nomen tuum. » Digna precatio ejus, qui Deum vocat patrem, ut nihil petat ante patris gloriam, sed omnia post-

ponat ejus laudibus. Illud enim, « Sanctificetur, » hoc sibi vult, glorificetur. Sibi namque propriam habet gloriam plenam, sic semper manentem. Orantem vero jubet precari, ut per vitam nostram glorificetur : quod etiam supra dicebat : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant » opera bona vestra, et glorificent Patrem vestrum, qui in » cœlis est [1]. » Nam Seraphini glorificantes Deum sic dicebant : « Sanctus, Sanctus, Sanctus [2]. » Itaque illud, « Sanc- » tificetur, » id est, glorificetur. Largire nobis, inquit, ut ita pure vivamus, ut per nos te omnes glorificent : id quod rursus philosophiæ est perfectæ, vitam ita irreprehensibilem in omnibus exhibere, ut videntes singuli, Domino pro his laudem referant. « Adveniat regnum tuum [3]. » Hoc quoque grati probique filii dictum est, qui non hæreat rebus sub aspectum cadentibus, neque præsentia magni quidpiam esse putet ; sed ad Patrem semper tendat, et futura expectet, quod ex conscientia bona oritur, et ex anima a terrenis rebus expedita.

V. Hoc enim Paulus singulis diebus desiderabat, ideoque dicebat : « Et ipsi primitias spiritus habentes ingemis- » cimus, adoptionem filiorum expectantes, redemptionem » corporis nostri [4]. » Qui enim hoc amore captus est, neque hujus vitæ bonis inflari potest, neque rebus adversis dejici : sed ac si in cœlis versaretur, ab utraque hac inæqualitate immunis est. « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et » in terra [5]. » Vidisti-ne optimam seriem? Jussit enim futura concupiscere, et ad illam peregrinationem festinare. Donec autem id eveniat, hic degentes curare, ut par cœlesti vivendi genus exhibeamus. Nam cœlum quidem, inquit, et cœlestia concupiscamus oportet : sed et antequam in cœlum concedamus, ex terra cœlum nos facere jubet,

[1] Matth. v, 16. — [2] Isaï. vi, 3. — [3] Matth. vi, 10. — [4] Rom. viii, 22. — [5] Matth. vi, 10.

et in terra versantes ac si in cœlo degeremus, sic omnia facere et dicere, atque hac de causa Dominum precari oportere. Nihil enim impedit quominus, etsi in terra habitemus, ad supernarum virtutum sedulitatem ac diligentiam attingamus : sed possumus hic habitantes, quasi jam in cœlo essemus omnia facere. Quod igitur dicit, hujusmodi est : Quemadmodum ibi omnia sine impedimento fiunt, neque Angeli modo audiunt, modo jussa contemnunt ; sed in omnibus cedunt et obsequuntur : nam ait, « Potentes virtute, » facientes verbum illius [1]. » Sic etiam nobis hominibus largire ut non ex dimidio voluntatem tuam faciamus, sed omnia ut vis impleamus. Vides-ne quomodo modeste agere doceat, ostendens virtutem non ex nostro studio tantum, sed etiam ex superna gratia pendere? Itemque totius orbis sollicitudinem nos, qui eramus, singulos gerere præcipit. Neque enim dixit: « Fiat voluntas tua in me, aut in nobis ; » sed ubique terrarum, ut error avellatur et veritas inseratur, omnisque nequitia eliminetur, virtus revertatur, atque in illa colenda nihil deinceps differat cœlum a terra. Nam si illud fiat, inquit, nihil superna ab inferioribus discrepabunt, etiamsi natura differant, cum scilicet Angelos alios nobis terra exhibebit. « Panem nostrum quotidianum da nobis » hodie [2]. » Quid est panem ἐπιούσιον? id est, quotidianum. Quia enim dixerat : « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in » terra : » hominesque alloquebatur carne indutos, et necessitati naturæ subjectos, qui non possint eamdem quam Angeli « Impassibilitatem » habere, præcepta quidem nos exequi jubet, perinde atque ea implent et illi; sed infirmitati naturæ deinceps sese accommodat; nam diligentiam, inquit, in vitæ instituto parem expeto, sed non impassibilitatem, neque enim id permittit naturæ tyrannis : opus enim habet necessario cibo. Tu vero mihi consideres ve-

[1] Psal. cii, 20. — [2] Matth. vi, 11.

lim, etiam in corporalibus plurimum spiritualitatis inesse. Neque enim pro pecuniis, neque pro deliciis, neque pro vestium sumptibus, vel pro alio quopiam simili; sed pro pane tantum jussit orationem emitti, et pro pane quotidiano, ita ut de crastino solliciti non simus. Ideoque addidit panem ἐπιούσιον, id est, quotidianum. Neque hoc contentus fuit verbo, sed et aliud addidit, « Da nobis hodie, » ita ut non ulteriori diei crastinæ cura nos torqueamus. Cujus enim diei nescis an spatium visurus sis, cur sollicitudinem habes? Hoc pluribus in sequentibus præcipit dicens : « Nolite sol- »liciti esse in crastinum [1]. » Vult enim nos semper accinctos et quasi ad volatum expeditos esse, tantum concedentes naturæ, quantum necessitas a nobis exigit. Deinde quia contingit, etiam post lavacrum regenerationis, ut peccemus, multam hic quoque benignitatem exhibens, jubet pro peccatorum remissione ad misericordem Deum accedere, et sic dicere : « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos » dimittimus debitoribus nostris [2]. » Vidisti-ne misericordiæ cumulum? Post tot sublata mala, post ineffabilem donorum magnitudinem, rursum peccantes venia dignatur. Quod autem hæc oratio fidelibus competat, leges Ecclesiæ docent, nec non orationis exordium. Nondum quippe initiatus non potest Deum vocare patrem. Si itaque fidelibus hæc competit oratio, orantque supplices ut peccata sibi dimittantur; hinc palam est neque post lavacrum tolli pœnitentiæ lacrum. Nisi enim hoc demonstrare vellet, non sane docuisset orare. Qui vero peccata, memorat jubetque eorum remissionem petere, ac docet quomodo hanc remissionem consequamur, facilemque ad illam parat viam, hic ut palam est, quod noverit et doceat posse nos etiam post lavacrum peccata abluere, hanc supplicationis legem induxit; ita ut dum peccata memorat, nos ad modeste agendum

[1] Matth. VI, 34. — [2] Ibid. 12.

inducat; dum vero jubet aliis remittere, omnem injuriarum memoriam a nobis eliminet; dum autem pro his omnibus se nobis veniam concessurum esse pollicetur, bona nos spe fulciat, ac circa ineffabilem Dei misericordiam nos philosophari doceat.

VI. Hoc autem maxime observandum est cum, cum in supradictis singulis omnem virtutem commemoret, in hac etiam injuriarum recordationem complecti; nam sanctificari per nos nomen ejus, ad perfectum et accuratissimum vitæ institutum pertinet; et voluntatem ejus fieri, idipsum rursus significat; et patrem posse Deum vocare, inculpatæ vitæ demonstratio est; in quibus omnibus hoc comprehenditur, quod oporteat iram de injuriis conceptam remittere; attamen his contentus non fuit; sed ostendere volens quantam hac de re gerat sollicitudinem, idipsum specialiter repetit; ac post orationem, nullum aliud quam istud memorat præceptum, sic dicens : « Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis et Pater vester cœlestis [1]. » Itaque a nobis principium est, et judicium de nobis ferendum in nostra situm est potestate. Nam ne vel ex stupidis quispiam possit vel in parva vel in magna re conqueri dum judicatur, te reum calculi ferendi dominum facit, et quemadmodum, inquit, tu de teipso judicaveris, ego de te judicabo. Si conservo dimiseris, a me parem refers gratiam, quanquam res non paris sit conditionis. Tu enim quod remissione egeas, remittis; Deus vero cum nullo opus habeat : tu conservo, Deus servo; tu sexcentorum reus peccatorum, Deus vero impeccabilis cum sit. Attamen sic ille misericordiam suam ostendit. Nam cum posset sine hac posita conditione omnia tibi peccata condonare, vult tamen te inde etiam beneficium accipere, mille tibi undique mansuetudinis et humanitatis occasiones ministrans,

[1] Matth. VI, 14.

et quod in te belluinum est eliminans, iram extinguens, et undique te membro tuo conglutinans. Quid ergo dicere possis, an te mali quidpiam a proximo injuste passum esse? Hæc quippe sunt peccata; nam si juste, peccatum nullum est. At tu talium vere peccatorum veniam impetraturus accedis, imo et multo majorum : et ante veniam, non minimam consecutus es gratiam, edoctus te humanam habere animam, et ad omnem mansuetudinem institutus. Post hæc vero magna etiam tibi merces illic recondita erit, quod nullæ a te peccatorum rationes postulentur. Quo igitur digni supplicio erimus, si tali accepta potestate, salutem nostram prodamus? Quomodo autem in aliis nos exaudiri rogamus, cum nolimus, dum penes nos est, nobis ipsis parcere. « Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos » a malo, quia tuum est regnum, et potentia et gloria in » sæcula. Amen [1]. » Illic jam nos vilitatem nostram clare docet, et tumorem reprimit, hortans ne certamina fugiamus, sed ne in ea insiliamus. Ita enim et nobis victoria splendidior erit, et diaboli clades magis ridebitur. Cum trahimur enim, fortiter standum est, non vocatos autem quiescere oportet, ac tempus certaminum expectare, ut et vanæ gloriæ expertes et strenuos nos exhibeamus. Malum autem hic diabolum vocat, jubens nos cum illo bellum inexpiabile gerere, et ostendens ipsum non natura talem esse. Malitia enim non ex natura, sed ex voluntate gignitur. Ille autem præcipue sic vocatur ob ingentem malitiæ magnitudinem : et quia nihil læsus a nobis, inexpiabile contra nos bellum gerit, ideo non dixit: « Libera nos a malis, » sed, « A malo, » ut nos moneat ne contra proximum amaro animo simus, etiamsi male patiamur ab illis, sed ab illis ipsis ad diabolum transferendam inimicitiam esse, utpote malorum omnium causam. Inimici itaque commemoratione

[1] Matth. VI, 13.

ad certamen nos præparans, et segnitiem omnem a nobis excindens, rursus fiduciam ingerit et sensus erigit, regem commemorans, sub quo in acie stamus, et ostendens ipsum esse omnium potentissimum. « Tuum est, inquit, regnum » et potentia et gloria. » Si ergo illius est regnum, nemo timendus est, cum nemo sit qui obsistere possit, et qui contra illum imperium teneat. Cum enim dicit : « Tuum est » regnum, » ostendit etiam eum, qui nos impugnat, ipsi subditum esse; etiamsi contra stare videatur, Deo interim id permittente. Nam et ipse ex servorum numero est, licet infamium et reproborum, nec ausit conservorum quempiam invadere, nisi prius desuper acceperit potestatem. Ecquid dico conservorum? ne porcos quidem ausus est invadere, donec ipse permisit, neque ovium boumque greges, donec licentiam et potestatem accepisset. Itaque etiamsi longe infirmior esses, jure confideres, tanto imperante rege, qui potest per te præclara facile opera edere. « Et gloria in » sæcula. Amen. »

VII. Non enim te potest solum ab ingruentibus malis eruere, sed etiam gloriosum splendidumque reddere. Sicut enim virtus ejus magna, ita est gloria ejus ineffabilis : et hæc omnia perpetua sunt, finisque eorum nullus est. Vidisti-ne quomodo undique athletam inunxit, ipsique fiduciam indidit? Deinde, ut jam dixi, ut ostendat se injuriarum recordationem maxime aversari et odio habere, itemque huic oppositam virtutem maxime omnium acceptam habere, post orationem rursus hoc bonum opus memoravit, et a proposito supplicio, et a constituto præmio auditorem inducens ad obsequendum huic præcepto. Nam ait : « Si » dimiseritis hominibus, etiam Pater vester cœlestis dimittet » vobis; si autem non remiseritis, neque ipse vobis remittet [1]. » Ideo rursus cœlos et Patrem commemorat, ut ex

[1] Matth. VI, 14, 15.

hoc quoque auditorem pudore afficiat, si, tanti patris filius cum sit, ferus evadat, et ad cœlum vocatus, terrenum sæcularemque sensum habeat. Non enim gratia solum, sed etiam operibus filios Dei esse oportet. Nihil autem sic Deo similem efficit, ut malignis atque lædentibus esse placabilem, quemadmodum et ante docuit, cum diceret ipsum solem suum oriri facere super malos et bonos. Propterea per singula verba communes jubet facere orationes. « Pater » noster » dicens, et, « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in » terra; » et, « Panem da nobis; » et, « Dimitte nobis de- » bita nostra; » et, « Ne nos inducas in tentationem, » et, « Libera nos; » plurali nos semper numero uti jubens, ut ne vestigium quidem iræ adversus proximum retineamus. Quanto itaque digni supplicio fuerint ii, qui post hæc omnia non modo ipsi non remittunt, sed etiam Deum ad vindictam inimicorum invocant, et quasi ex diametro hanc legem transgrediuntur? et hoc cum ille nihil non faciat et operetur, ut ne mutuis nos dissidiis disjungamus. Quia enim radix bonorum omnium est charitas, ea quæ ipsam pessumdant tollit, et undique nos copulare studet. Nullus enim est, nullus certe, sive pater, sive mater, sive amicus, sive quivis alius, qui nos ita dilexerit, ut qui fecit nos Deus. Illudque palam omnino est, et ex beneficiis quæ quotidie confert, et ex præceptis quæ constituit. Quod si ærumnas mihi objicias, si dolores cæteraque vitæ mala; cogita quantis illum quotidie offendas, neque ultra miraberis si etiam plura his mala te invadant. Sed si bono aliquo fruaris, tunc sane stupeas ac mireris. Nunc porro irruentes calamitates conspicimus; offensas autem, quas quotidie admittimus, non in mentem vocamus : ideoque indigne ferimus. Quod si unius diei peccata nostra accurate recogitaremus, tunc clare nossemus quantorum rei essemus malorum. Atque ut, missis aliis quæ quisque vestrum admittit, illa

peccata quæ hodie facta sunt recenseam, etiamsi non norim in quo vestrum singuli peccaverint : attamen tanta est delictorum copia, ut is etiam qui accurate omnia non novit, possit tamen ex iis multa carpere. Quis ergo nostrum non segnis fuit in orando? Quis non in superbiam incidit? Quis non in vanam gloriam? Quis non de fratris sui fama detraxit? nec malam concupiscentiam admisit? Quis non impudicis oculis respexit? Quis non inimici cum animi motu recordatus est? Quis non cor suum tumore replevit? Quod si in Ecclesia cum simus, brevique tempore tot malorum rei facti sumus, quinam erimus inde egressi? Si in portu tot fluctus, cum egressi fuerimus in Euripum malorum, in forum dico, et urbana negotia, domesticasque curas, an poterimus vel nos ipsos agnoscere? Attamen ad tot tantaque eluenda peccata compendiosam nobis et facilem nobis Deus viam dedit, omnique labore vacuam. Quis labor enim injuriam inferenti dimittere? Labor utique est in non remittendo, sed retinendo inimicitiam; ut e contrario si ira deponatur, id magnam parit tranquillitatem, resque admodum est volenti facilis.

VIII. Neque enim opus est maria transfretare, neque longam peregrinationem suscipere, neque montium juga conscendere, neque pecunias impendere, neque corpus macerare, sed velle tantum sufficit, et omnia peccata solvuntur. Si vero non solum ipse non remittas, sed etiam Deum contra illum preceris, quam postea spem salutis habebis, ubi quando illum placare oportuit, tunc ipsum exasperasti; supplicis habitu feræ vocem emittens, et tela maligni illius contra teipsum ejaculans. Ideo Paulus, cum de oratione mentionem faceret, nihil magis requisivit, quam legis hujus observationem : « Levantes, inquit, puras manus sine ira et disceptatione[1]. » Si enim cum misericordia

[1] 1 Tim. II, 8.

opus habes, ne tunc quidem iram remittis, sed illam memoria retines, etsi scias te contra teipsum gladium impellere, quando poteris esse misericors, et hoc malum nequitiæ venenum evomere? Quod si nondum absurditatis hujusce magnitudinem videas, idipsum apud homines factum cogita, et tunc videbis contumeliæ vim magnam. Si enim te hominem adiret quispiam supplicans, ut ejus miserearis; deinde, cum humi stratus jaceret, inimicum videret, et te precari desinens, illum percuteret; annon hinc majorem iram conciperes? Hoc cogita et in Deo accidere. Nam tu quoque dum Deo supplicas, supplicatione interim relicta, inimicum dictis verberas, et Dei leges contumelia afficis, dum illum, qui lege præcepit ut iram adversus eos, qui nos injuria affecerint, deponamus, invocas, rogasque ut præceptis suis contraria faciat. Non ergo tibi ad vindictam satis est, quod legem Dei transgrediaris, sed et ipsum hoc ut faciat precaris? Numquid eorum, quæ præcepit, oblitus est? Numquid enim homo est qui hæc dixit? Deus est qui omnia novit, et qui vult leges suas accurate servari: tantumque abest ut faciat illa quæ postulas, ut etiam te, qui hæc dicis, tantum quia dicis, aversetur, odioque habeat, extremamque abs te pœnam repetat. Quomodo igitur ab illo consequi postulas, ea quæ summo studio vitare ipse præcipit? Sed quidam sunt qui ad tantam amentiam processerunt, ut non modo contra inimicos precentur, sed etiam filiis ipsorum mala imprecentur, atque etiam si liceret ipsorum carnes degustare vellent, imo et degustent. Ne mihi dixeris te dentes non infixisse in corpus ejus qui læsit: nam multo ferocius, quantum in te fuit, in illum sæviisti, rogans desuper iram in illum immitti, et immortali tradi supplicio, cumque tota domo everti. Quibus hæc morsibus graviora non sunt? Quibus telis non acerbiora? Non hæc te docuit Christus, non sic os cruentare jussit. Nam hujus-

modi linguæ cruentatis humano sanguine buccis sunt deteriores. Quomodo igitur fratrem amplecteris? Quomodo sacrificium tanges? Quomodo Sanguinem dominicum degustabis, tam dirum animo venenum servans? Quando enim dicis : « Discerpe illum, ejus domum everte, omnia perde, » et exitia mille imprecaris, nihil ab homicida differs, nec a fera humanas carnes vorante.

IX. Hunc itaque morbum deponamus atque furorem; et benevolentiam, ut jussit, exhibeamus erga illos qui nos læserunt, ut similes simus Patris nostri qui in cœlis est. Deponemus autem, si peccata nostra in memoriam revocemus; si delicta omnia nostra diligenter examinemus, quæ intus, quæ foris, quæ in foro, quæ in Ecclesia : nam si non aliam ob causam, ob negligentiam tamen, quam hic exhibemus, extremis digni sumus pœnis. Nam Prophetis psallentibus, Apostolis hymnos canentibus, Deo loquente, foris vagamur, et sæcularium rerum tumultum in nos inducimus, neque tantum quietis et silentii adhibemus ad Dei leges audiendas, quantum in theatris spectatores adhibent, dum imperatoriæ litteræ leguntur. Illic enim et consules et præfecti, et senatus et populus stant omnes cum quiete omnia audientes. Et si quis inter altum illud silentium repente insiliens clamaverit, utpote qui imperatorem injuria affecerit, extremas luit pœnas. Hic vero dum cœlestes illæ litteræ leguntur, multus undique oritur tumultus, cum is qui litteras misit longe major sit imperatore, et theatrum honorabilius : non modo enim homines, sed et Angeli astant; et victoriæ præmia, quæ hisce litteris nuntiantur, longe majora terrenis illis triumphis. Quapropter non homines tantum, sed et Angeli, Archangeli et cœlestes populi, et quotquot etiam in terra sunt, laudare jubentur : « Benedicite, inquit, Domino omnia opera ejus[1]. » Etenim

[1] Psal. cii, 22.

non exigua sunt illa quæ fecit, sed omnem sermonem superant, atque mentem intelligentiamque humanam. Et hæc quotidie prædicant Prophetæ, diverse singuli splendidum illud tropæum celebrantes. Nam hic ait : « Ascendens in » altum captivam duxisti captivitatem, cepisti dona in ho» minibus [1]. » Et : « Dominus fortis et potens in prælio [2]. » Hic vero dicit : « Et fortium dividet spolia [3]. » Ad hoc enim venit, ut prædicaret captivis remissionem, et cæcis visus restitutionem, et de victa morte triumphali voce jubilans dicebat : « Ubi est, mors, victoria tua? ubi, inferne, stimu» lus tuus [4] ? » Alius rursum profundam pacem evangelizans dicebat : « Confringent gladios suos in aratra, et lanceas » suas in falces [5]. » Et hic quidem Jerusalem sic alloquitur : « Lætare multum, filia Sion, quia ecce rex tuus venit tibi » mansuetus, sedens super subjugalem et pullum novel» lum [6]. » Alius vero secundum ejus adventum prædicat his verbis : « Veniet Dominus, quem vos quæritis, et quis sus» tinebit diem ingressus ejus? Exultate sicut vituli a vin» culis absoluti [7]. » Et alter rursus de his obstupescens dicebat : « Hic est Deus noster, nec reputabitur alter cum » illo [8]. » Attamen cum hæc et multo plura dicantur, cum par esset horrere, et putare nos in terra non esse; quasi in medio foro tumultuamur, turbamus, de iis quæ nihil ad nos spectant garrientes, totum insumimus collectæ tempus. Cum itaque et in exiguis et in magnis, et in auditu, et in actu, et foris et intra Ecclesiam, ita simus desides, præter hæc omnia etiam contra inimicos precamur : unde spem salutis habebimus, cum tot tantisque peccatis additamentum aliud gravissimum, par prioribus, iniquam nempe illam orationem adjiciamus? An ergo mirandum, si

[1] Psal. LXVII, 19, et Ephes. IV, 8. — [2] Psal. XXIII, 8. — [3] Isaï. LIII, 12. — [4] 1 Cor. XV, 55. — [5] Isaï. II, 4, et Joël. III, 10. — [6] Zach. IX, 9. — [7] Malach. III, 2. — [8] Baruch. III, 36.

quid nobis mali inexpectatum accidit, cum contra mirandum esset si non acciderit? Illud enim ex consequentia rerum est; hoc autem præter rationem et expectationem esset. Etenim præter rationem esset, inimicos Dei effectos, illumque ad iram provocantes sole frui et pluviis aliisque omnibus, homines immanitate feras superantes, et alios contra alios stantes, ac proximi sui morsu laniati sanguine linguam cruentantes; post mensam illam spiritualem, et tot beneficia, innumeraque præcepta. Hæc itaque cogitantes, virus evomamus, solvamus inimicitias; et præces, quæ consentaneæ nobis sint, fundamus, ac vice dæmoniacæ illius feritatis, Angelorum mansuetudinem assumamus : et quantiscumque injuriis simus affecti, quæ ipsorum sunt nostra esse cogitantes, nec non mercedem nobis pro hoc servato præcepto repositam, sedemus iram, fluctus reprimamus, ut præsentem vitam sine perturbatione emetiamur, et illuc advenientes talem experiamur Dominum, quales nos erga conservos fuerimus. Quod si grave illud et terribile sit, leve idipsum et desiderabile faciamus, et splendidas fiduciæ erga illum nostræ januas aperiamus; ac quod non potuimus assequi abstinendo a peccatis, hoc assequamur per mansuetudinem nostram erga eos, qui in nos peccaverunt. Neque enim grave illud vel molestum est. Ac beneficia inimicis nostris conferentes, multam nobis conciliemus misericordiam. Sic enim et in præsenti vita ab omnibus amabimur, et præ cæteris omnibus Deus ipse nos amabit et coronabit : nosque futuris omnibus bonis dignabitur; quæ utinam omnes assequi possimus gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XX.

CAPUT VI.

Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes[1].

I. Hic acerbe gemere et ejulare nos convenit. Non solum enim hypocritas imitamur, sed etiam superamus illos. Novi enim, novi certe multos, non modo qui jejunant et sese ostentant, sed etiam qui non jejunant et jejunantium personam præ se ferunt, peccatoque ipso graviorem excusationem afferunt. Hoc facio, inquiunt, ne multis offendiculo sim. Quid dicis? Divina lex est quæ hoc præcipit, et tu offendiculum memoras? Et si custodias illam, offendiculo esse putas; si non custodias, secus? Ecquid sit hac purgatione deterius? Annon desines hypocritis esse pejor, duplicemque hypocrisim usurpare, ac tantum vitii cacumen excogitare? Num sine pudore dicti hujus emphasim percipies? Non solum enim, inquit, simulant, sed ut illos vehementius pungat: «Exterminant enim facies suas,» id est, corrumpunt, perdunt. Si autem hoc est faciei exterminatio, ad vanam gloriam sese pallidum exhibere, quid dicendum de mulieribus, quæ facies suas pigmentis et fucis corrumpunt ad perniciem impudicorum juvenum? Illi enim sibi ipsis tantum nocent: hæ vero et sibi et iis qui ipsas conspiciunt. Quapropter et hanc et illam pestem omnino fugere par est. Non solum enim jussit non sese ostentare, sed etiam

[1] Matth. VI, 16.

id studere, ut lateant : quod et ipse antea fecerat. De eleemosyna porro, non simpliciter ita posuit; sed cum dixisset : « Attendite ne eleemosynam faciatis coram homi» nibus, » adjecit : « Ut videamini ab eis [1]. » De jejunio autem et oratione nihil simile decrevit. Cur illud? Quia eleemosyna latere nequit, jejunium autem et oratio occultari potest. Sicut itaque cum dixit : « Nesciat sinistra tua quid » facit dextera tua [2], » non de manibus locutus est, sed significat oportere omnes celari. Et cum jussit in cubiculum intrare, non illud præsertim præcipit, ut ibi precemur, sed idipsum etiam subindicavit. Sic et hoc loco cum jejunantem sese ungere jussit, non omnino præcipit, ut nos inungamus. Nam omnes hanc transgredi legem deprehenderemur, maximeque ii imprimis qui jejunium servare student, monachorum populi, qui montes occupant. Non itaque hoc præcipit. Verum quia apud veteres mos fuit, ut sese ungerent cum in gaudio et lætitia versarentur, quod in Davide et in Daniele clare discitur, ungere se oportere dixit, non ut hoc omnino faciamus, sed ut cum omni studio atque diligentia hoc bonum servemus. Atque ut discas rem ita se habere, ille ipse, qui hoc verbis præceperat, et de facto executus est, cum per quadraginta dies jejunavit, jejunando latuit, neque sese unxit, neque sese abluit. Et tamen etiamsi hoc non fecerit, sine vana gloria maxime omnium totum perfecit : quod etiam nobis præcipit, hypocritis in medium adductis, et auditoribus duplici præcepto in contrarium avocatis, aliquid etiam per illud nomen, hypocritarum videlicet, subindicavit. Neque enim solum quod res esset ridicula, neque quod damnum inferret maximum, sed etiam quod hujusmodi fallacia temporanea exhibeatur, a prava illa concupiscentia abducit. Hypocrita enim tandiu clarior apparet, quandiu theatrum

[1] Matth. vi, 1. — [2] Ibid. 3.

sederit : imo vero neque tunc apud omnes. Norunt enim plurimi spectatorum, qui cum sint illi qualia simulent; cæterum soluto theatro, manifestissime omnibus revelantur. Hoc igitur gloriæ cupidos pati necessarium prorsus est. Imo etiam plurimis palam est, non esse illos id quod esse videntur, sed larva solum obtegi. Multo magis autem postea capientur, quando omnia nuda et aperta erunt. Aliunde autem rursum illos ab hypocritis abducit, cum ostendit non onerosum esse præceptum. Neque enim jejunium extendit, neque longius fieri jubet; sed ne ejus corona pereat insistit. Itaque quod solum onerosum videtur, et nobis et hypocritis commune est. Nam et illi jejunant : quod autem est levissimum ipsisque proprium, ne scilicet laborantes corona priventur, illud est, inquit, quod jubeo : laboribus nihil addens, mercedesque vobis colligens cum tutissima cautela, nec sinens incoronatos abire, sicut illi abeunt, qui nolunt eos qui in olympicis ludis decertant, imitari, qui tanto populo, tot principibus sedentibus, uni volunt placere qui coronam ipsis tribuat, licet ille longe sit inferior. Tu vero cum duas habeas victoriæ ipsi monstrandæ causas, tum quod ille præmia distribuat, tum quod spectantes omnes sine ulla comparatione superet, aliis te ostentas, qui non modo nihil tibi prodesse possunt, sed qui te maxime lædunt.

II. Attamen, inquit, ne hoc quoque impedio. Nam si hominibus te ostendere velis, expecta; nam hoc ego tibi abundantius præstabo, et cum magno lucro. Nunc enim te hoc ab ea, quæ apud me est, gloria divellit, sicut id despicere te mecum copulat. Tunc vero omnibus frueris cum libertate omni, nec parvum ante fructum hic excepturus es, quod nempe omnem humanam gloriam conculces, et a gravi illa hominum servitute libereris, veræ virtutis exercitio præstans. Nunc contra si illo affectus sis modo, et si

in deserto sis, omni vacuus virtute eris, non habens spectatores : quod certe est virtuti magnam inferre contumeliam, si non propter ipsam, sed propter funarios, ærarios, aliudque forense vulgus illam adeas ; ut et improbi, et qui ab illa longe distant te admirentur, inimicosque ejus vocas ad ostentationem et spectaculum. Ac si quis pudice agere velit, non propter ipsum pudicitiæ bonum, sed ut placeat impudicis. Et tu ergo virtutem non elegisses, nisi ob virtutis inimicos, cum oporteret eam vel inde mirari, quod inimicos suos etiam laudatores habeat. Admirari ergo illam oportet, ut par est, non propter alios, sed propter ipsam. Quandoquidem nos etiam quando non propter nos ipsos, sed propter alios amamur, contumeliam id esse putamus. Hoc ipsum itaque de virtute etiam reputa, neque propter alios illam sequare, neque propter homines Deo obsequaris, sed propter Deum hominibus ; si vero contrarium facias, licet virtutem adire videaris, perinde illum in iram concitasti, ac si quis illam non adiret. Quemadmodum enim ille eo quod non faceret, inobsequens fuit ; sic et tu eo quod non rite facias. « Nolite thesaurisare vobis thesauros in terra[1]. » Quia enim vanæ gloriæ morbum expulit, opportune jam de divitiarum contemptu sermonem inducit. Nihil enim ita ad divitiarum amorem concitat, ut vanæ gloriæ cupiditas. Ideo namque servorum greges, eunuchorum agmina, equos aureo ornatu insignes, argenteas mensas, aliaque magis ridenda excogitant homines, non ut necessitatem expleant, neque ut voluptate fruantur, sed ut plurimis sese ostentent. Superius igitur tantum dixit misericordem esse oportere, hic vero docet quantum misereri oporteat his verbis : « Nolite thesaurisare. » Quia enim non ita facile erat initio divitiarum contemptus doctrinam inducere propter vim morbi, postquam paulatim id vitii rese-

[1] Matth. VI, 19.

cuerat et ad libertatem homines revocaverat, id in mentem auditorum immittit, ut jam facilius accipiant. Propterea primo dixit : « Beati misericordes [1] ; » postea autem, « Esto » consentiens adversario tuo [2] ; » deinde, « Si quis voluerit » tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, da ei » et pallium [3]. » Hic vero illis omnibus majus quidpiam effert. Illic enim dixit : « Si litem intentari videas, hoc fac : melius enim est non retinere, et a lite liberari, quam retinere et litigare. » Hic vero nec adversarium, nec lite contendentem ponens, neque alium quempiam similem memorans, divitiarum contemptum duntaxat docet, ostendens se non tam propter eos, qui ex aliorum misericordia allevantur, quam propter eos, qui largiuntur, has leges ferre : ut etiamsi nemo injuriam inferat, nemo ad judicium trahat ; quæ adsunt bona contemnamus, egenisque tradamus. Neque hic totum confertim posuit, sed paulatim. Etsi vero in deserto certamina has circa res cum vi magna exhibuisset, attamen id non affert, neque in medium adducit : nondum enim tempus erat hæc revelare ; sed ratiocinia quædam excutit, consulentis potius quam legislatoris munus obiens. Cum dixisset enim : « Nolite thesaurisare in terra; » subjunxit, « Ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et » furantur [4] ; » nunc ostendit terreni thesauri noxam, et cœlestis utilitatem, tum a loco, tum ab ipsa rerum excellentia. Neque hic gradum sistit, sed aliud inducit ratiocinium, et quidem primo ab illis quæ maxime timent, cohortans illos. Quid, inquit, times? Ne insumantur pecuniæ si dederis eleemosynam? Da ergo eleemosynam, et tunc non absumentur. Quodque majus est, non modo non absumentur, sed etiam additamentum majus accipient : etenim bona cœlestia adjicientur. Verum id adhuc non dicit, sed sub hæc adjicit.

[1] Matth. v, 7. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 40. — [4] Id. vi, 19.

III. Interim vero id quod illos maxime cohortari poterat, in medium adducit, nempe thesaurum intactum servari, et utrinque illos attrahit. Non enim dicit tantum: « Si eleemosynam erogaveris, ea servatur; » sed contrarium comminatur: « Si non dederis, perit tibi. » Et vide ineffabilem prudentiam. Non dixit: « Aliis illa dimittes: » quia sæpe illud hominibus suave est. Attamen illos aliunde terret, ostendens divitias ne illius quidem, qui possidet, esse; licet enim homines iis non noceant, erunt tamen omnino qui noceant, tinea scilicet et ærugo. Quamvis enim vitari facile posse videatur hæc pernicies, attamen inexpugnabilis est, nec impediri potest, et quantumvis cogites, non poteris hoc arcere damnum. Quid igitur? aurum-ne a tinea corrumpitur? si non a tinea, a furibus certe asportatur. Quid ergo? an omnes spoliati a furibus sunt? si non omnes, at plurimi: ideoque aliud, de quo jam dixi, inducit ratiocinium dicens: « Ubi thesaurus hominis, ibi et cor ejus [1]. » Etiamsi nihil horum accidat, inquit, non parum accipies nocumenti, si terrenis affixus sis, et ex libero servus effectus, et si ex cœlestibus excidas, nihilque ex sublimibus possis cogitare, sed pecunias semper, usuras, fœnora, lucra, cauponarias illiberales: quo quid miserabilius fuerit? Etenim qui hujusmodi est, in graviorem cadit servitutem quam servus quilibet, quodque funestius est, prodit hominis nobilitatem atque libertatem. Nam quantacumque tibi dicantur, si mens pecuniis affixa fuerit, nihil tibi profuturum audire poteris; sed quemadmodum canis in fossa ligatus, pecuniarum tyrannide gravius quam catena quapiam constrictus, contra adeuntes te omnes oblatrabis, hoc unum perpetuo opus exequens, ut deposita conserves aliis: quo quid unquam miserius fuerit? Attamen quia hoc sublimius erat, quam ut posset auditorum mens attingere: neque

[1] Matth. VI, 21.

inde ortum damnum a multis facile poterat intelligi, neque lucrum ex contemptu ortum percipi; sed philosophia opus erat, ut hoc utrumque perspici posset; hoc post illa manifestiora posuit dicens : « Ubi est thesaurus hominis, ibi » est et cor ejus. » Illud etiam postea clarius efficit a spiritualibus ad sensibilia sermonem traducens his verbis : « Lu» cerna corporis tui est oculus tuus [1]. » Quod autem dicit hujusmodi est : « Ne defodias aurum in terra, nec quidpiam simile, nam tineæ, ærugini et furibus hæc congregas. » Etiamsi vero hæc damna effugeris, id tamen non effugies, quod cor tuum in servitutem redigatur, et terrenis infigatur: « Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum. » Si porro in cœlo deponas, non hunc modo fructum percipis, quod præmia pro his parata consequaris, verum hic jam mercedem accipis, quod illo translatus sis, quod cœlestia sapias et de illis sollicitus sis. Palam enim est te illo animum transtulisse, ubi thesaurum deposuisti. Cæterum si in terra deposueris, contraria experieris. Quod si tibi jam dicta obscura sint, audi sequentia : « Lucerna corporis » tui est oculus. Si igitur oculus tuus simplex fuerit, totum » corpus tuum lucidum erit. Si vero oculus tuus fuerit ne» quam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen » quod in te est tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt [2] ?» Ad magis sensilia sermonem deducit. Quia enim de mente jam locutus erat, ut in servitutem redacta et captiva, id quod a multis non facile poterat intelligi, ad externa et oculis subjecta sermonem transfert, ut ab his illa intelligere possent. Nam si non nosti, inquit, quid sit mentis damnum, a corporeis hoc edisce : quod enim oculus est corpori, hoc mens est animæ. Quemadmodum enim nunquam optes auro ornari, et sericis indui vestibus, simulque excæcari oculis ; sed horum incolumitatem toti hujusmodi apparatui

[1] Matth. VI, 22. — [2] Ibid. 23.

anteponendam existimes : nam si visum perdas, nihil tibi reliqua vita prodest. Sicut enim excæcatis oculis, reliquorum fere membrorum operatio abscedit, extincta luce ; sic corrupta semel mente innumeris vita malis replebitur. Quemadmodum ergo in corpore hoc curamus, ut oculus sit sanus, sic de mentis sanitate curandum. Si hanc excæcemus quæ aliis lucem ministrare debet, unde jam aspicere poterimus? Sicut enim qui fontem aufert, fluvium exsiccat; sic qui mentem obruit, omnes ejus in hac vita operationes obscuravit. Ideo ait : « Si lumen quod in te est » tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ? » Nam cum gubernator submergitur, et lucerna extinguitur, et dux capitur, quæ spes postea subditis?

IV. Quapropter missis insidiis per divitias structis, pugnis, litibus; hæc enim superius subindicavit dicens : « Tra» det te adversarius judici, et judex ministro [1], » his omnibus sæviora proferens, sic abducit a mala concupiscentia. Etenim longe deterius est mentem huic morbo subjici, quam in carcere degere. Et alterum quidem non semper accidit; alterum vero est semper cum pecuniarum cupiditate conjunctum. Quamobrem hoc post illud ponit, utpote gravius et omnino subsequens. Nam Deus, inquit, mentem nobis indidit, ut ignorantiam dissipemus, et rerum judicium rectum teneamus, atque contra omnia molesta noxiaque, hoc quasi telo et lumine utentes, in tuto maneamus. Nos vero donum hoc prodimus ob quædam supervacanea et inutilia. Quid enim opus militibus auro onustis, quando dux captivus est? Quod lucrum ex ornatissima navi, quando gubernator submersus est? Quid plus habeas corpore recte constituto, si oculi sint excæcati? Quemadmodum igitur medicum, quem bene valere oportet, ut aliorum curet morbos, si quis in morbum conjiciat,

[1] Matth. v, 25.

et in argenteo lecto aureoque thalamo jacere jubeat, prorsus inutilem ægris reddit ; sic si postquam mentem corruperis, quæ animi morbis mederi possit, thesauro assidere eam curaveris, non modo nihil illam juvasti, sed damno affecisti, et toti animæ tuæ nocuisti. Vidisti-ne quomodo per quæ homines ad nequitiam ubique cupiditate feruntur, per hæc maxime ab illa abstrahat, et ad virtutem reducat? Cur, inquit, pecunias concupiscis? Nonne ut voluptate deliciisque fruaris? Id certe tibi non inde proveniet, sed contrarium prorsus. Quemadmodum enim, oculis avulsis, nihil suave sensu percipimus, ob hujusmodi calamitatem ; multo magis in mentis eversione et cæcitate hæc patiemur. Qua de causa defodis in terram? Ut tuto servetur? Verum hic etiam contrarium accidet, inquit. Sicut enim cum, qui propter vanam gloriam jejunat, dat eleemosynam, et precatur, ab iis ipsis, quæ maxime cupit, a vana gloria retraxit ; nam cur, inquit, ita precaris, et das eleemosynam? annon quia hominum gloriam diligis? Noli ergo sic orare, et tunc illam consequeris, in futuro nempe die; sic et pecuniæ cupidum, per ea quibus maxime studebat, per eadem et cepit. Quid vis, inquit, pecunias tibi servari? Annon ut deliciis, gloria et voluptate fruaris? Hæc ambo tibi copiosissime præbebo, si illic deponas aurum ubi jubebo. Apertius autem in sequentibus, damnum inde menti illatum ostendit, cum spinarum mentionem fecit; interim vero idipsum hic non perfunctorie subindicavit, cum ostendit obtenebratum esse eum, qui circa hæc fureret. Ac quemadmodum ii, qui in tenebris sunt, nihil clare vident, sed si funem viderint, putant esse serpentem; si montes et valles, pavore moriuntur ; sic et isti, quæ videntibus formidabilia non sunt, suspecta habent : nam paupertatem metuunt; imo non paupertatem tantum, sed vel leve quodpiam detrimentum. Etenim si modicum quid

amiserint, magis lugent ac cruciantur, quam ii, qui necessario cibo egent. Multi certe ex hujusmodi divitibus tale non ferentes infortunium, ad laqueum accurrerunt. Contumeliæ autem et damna ita illis intolerabilia videntur, ut ea de causa item multi ex hac vita abrepti fuerint. Ad omnia quippe molles divitiæ reddiderunt, præterquam ad illarum ministerium. Quando enim illæ ipsos ut sibi serviant compellunt, tunc illi audacter pericula mortis adeunt, verbera, opprobria, omneque ignominiæ genus. Quod sane extremæ genus est miseriæ, ubi philosophari oporteret, mollissimos esse; ubi autem pios et verecundos esse par esset, ibi impudentissimos et sævissimos exhiberi. Etenim idipsum illis contingit, ut si quis post bona indecenter absumpta mala patiatur. Ille namque, instante tempore quo necessaria est expensa, cum nihil possit ultra impendere, intolerabilia patitur mala, cum jam omnia male absumpta fuerint.

V. Ac quemadmodum in scena histriones in malis quibusdam artibus instructi, in his multa stupenda et periculosa sustinent; in aliis vero utilibus necessariisque rebus prorsus inepti ac ridiculi sunt. Sic et hi de quibus agimus. Etenim histriones illi, qui per tensum funem ambulant, et tantam ibi fortitudinem exhibent, quando quidpiam ex necessariis rebus audaciam requirit ac fortitudinem, ne cogitare quidem aliquid possunt. Sic divites, qui omnia propter pecunias audent, ad philosophandum nec magnum nec parvum quidpiam pati possunt: ac sicut illi et lubricam et infructuosam rem tractant; sic et hi pericula multa tolerant et præcipitia adeunt, quæ omnia inutili fine claudantur: ac duplici caligine involvuntur, tum quod eversa mente excæcati sint, tum quod ex fallaci sollicitudinum mole tenebris obruantur. Quapropter ne respicere quidem facile possunt. Nam qui in tenebris est tantum, sole illu-

cescente, ab iis liberatur; qui vero oculis excæcatus est, neque sole lucente videt: id quod et ipsi patiuntur. Neque enim, Sole justitiæ fulgente, et hortante, audiunt, divitiis oculos ipsorum claudentibus. Quapropter duplicem sustinent cæcitatem, aliam ex seipsis; aliam quod Magistro suo non attendant. Attendamus itaque diligenter dictis illius, ut sero tandem videamus. Et quomodo videre possumus? Si discas quomodo excæcatus sis. Quomodo igitur excæcatus es? A mala concupiscentia. Sicut enim malignus humor in pupillam oculi puram influens, sic pecuniarum amor densam nubem in mente tua fecit. Verum hanc nubem dissipare et dirumpere facile est, si Christi doctrinæ radium excipiamus; si audiamus illum monentem ac dicentem: «Nolite thesaurisare vobis thesauros in terra[1].» Et quid mihi proderit doctrinam audire, cum a cupiditate detinear? Sane quidem frequens doctrinæ auditus cupiditatem dissolvere poterit. Quod si detentus permaneas, cogita rem illam non esse amplius cupiditatem. Quæ enim cupiditas durissimæ servituti esse subjectum, tyrannidi subjacere, et undique alligari, in tenebris versari et tumultu plenum esse, labores ferre infructuosos, aliis pecunias servare, sæpe autem inimicis? Qua ergo hæc concupiscentia digna sunt? imo qua non fuga et cursu sunt relinquenda? Quæ concupiscentia thesauros inter fures recondere? Si enim omnino pecunias concupiscis, illas eo transfer ubi possunt tutæ et integræ manere. Certe quæ nunc facis, non sunt concupiscentis pecunias, sed servitutem, damna, mulctas, doloremque perpetuum. Tu vero, si quis tibi homo locum in terra inviolabilem ostenderet, etiamsi te in desertum educeret, promittens pecuniis tuis securitatem, non cunctareris, neque recusares, sed pecunias ibi cum fiducia deponeres: Deo autem non homine id

[1] Matth. vi, 19.

tibi promittente, nec desertum, sed cœlum proponente ; contraria accipis : quanquam etiamsi tutissime jaceant repositæ, tu nunquam sollicitudine vacuus esse possis. Etiamsi enim non perdas, nunquam a sollicitudine liberaberis. Illic autem nihil prorsus tale patieris : atque quod est majus, aurum non defodis tantum, sed seminas. Idipsum enim est et thesaurus et semen ; imo utroque majus. Semen quippe non manet semper, ille vero thesaurus manet perpetuo. Rursum thesaurus hic non germinat, ille vero immortales tibi fructus parit. Quod si tempus mihi objicias, et dilationem reditus ; possum ego tibi demonstrare quanta etiam hic accipias : præter hæc autem ex ipsis sæcularibus te confutare tentabo, et ostendere te frustra hæc objicere.

VI. Multa enim in præsenti vita paras, quibus nunquam frueris. Et si quis te hac de re arguat, filios et nepotes proferens, idoneam tibi videris superfluorum laborum consolationem reperisse. Cum enim in extrema senectute splendidas construis ædes, quæ antequam perficiantur sæpe tu decedis, et arbores seris, quæ post multos annos fructum allaturæ sunt. Cum in agro arbores plantas, quæ post multa annorum curricula fructum ferent ; cum prædia emis et hæreditates, quorum dominium multo post tempore habiturus es, aliaque multa paras, quorum nunquam frueris, an pro te vel pro successoribus hæc agis ? Quomodo igitur non extremæ dementiæ est, hic non ægre ferre temporis dilationem, etsi per illam dilationem a mercede laborum nos privandos esse expectemus ; cum de cœlo autem agitur propter dilationem torpere, cum tamen illa dilatio majus tibi lucrum afferat, nec ad alios bona transmittat, sed tibi dona tradenda custodiat ? Præter hæc autem non longa est ista dilatio. Nam ad fores res ipsæ sunt : nec scimus num forte in hac generatione omnia nostra finem habitura sint,

et dies ille tremendus sit adventurus, horrendum illud, et nullam personarum acceptionem habens tribunal ostensurus. Nam pleraque signa jam perfecta sunt, ac demum Evangelium per totum orbem prædicatum fuit, ac bella, terræ motus et fames evenerunt, nec magnum jam intervallum est. Sed signa non vides? Et hoc ipsum magnum signum est. Neque enim qui Noë tempore erant proœmia generalis interitus viderunt; sed interim ludentes, edentes, uxores ducentes, consuetaque omnia agentes, sic a terribili illa ultione deprehensi sunt. Similiterque in Sodomis, deliciis operam dantes, nihilque eorum quæ postea facta sunt suspicantes, ab immissis fulminibus combusti sunt. Quæ omnia cogitantes, ad profectionem hinc parandam nos convertamus. Etiamsi enim communis ille consummationis non instet dies; uniuscujusque finis in januis est, sive senex, sive juvenis sit, neque tunc oleum emere licebit, neque petentes impetrare veniam, etsi Abraham precetur, etsi Noë, etsi Job, etsi Daniel. Donec igitur tempus habemus, multam nobis paremus fiduciam, oleum nobis copiosum comparemus, omnia transferamus in cœlum, ut in opportuno tempore, quo maxime his egemus, omnibus fruamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

CAPUT VI.

Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut unum sustinebit, et alterum contemnet[1].

I. Vides[2] ut paulatim a præsentibus rebus abducat, ac pluribus de contemptu divitiarum sermonem instituat, et tyrannidem cupiditatis dejiciat? Neque enim contentus iis, quæ superius dixit, etiamsi multa et præclara illa sint, alia adjicit plura et terribiliora. Quid enim iis, quæ nunc dicuntur, terribilius, si propter pecunias a Christi servitute excidere debeamus? Quid desiderabilius, si, iis contemptis, strictam erga eum benevolentiam et charitatem habituri simus? Quid enim semper dico, hoc et nunc dicam, ipsum per utraque auditorem acuere ad obsequendum dictis, et per utilia et per noxia: quemadmodum optimus medicus, et morbum ex negligentia, et sanitatem et obedientia commonstrans. Vide igitur quantum hic lucrum rursus ostendat, et quomodo utilia paret, dum contraria tollit. Neque enim, inquit, divitiæ ideo tantum nocent vobis, quod fures contra vos armis instruant, neque quod mentem omnino tenebris offundant; sed etiam quod ex servitute Dei vos dejiciant, inanimatis pecuniis vos captivos tradentes et utrinque nocentes, et quod servos efficiant eorum quibus imperare deberemus, et quod vos a servitute Dei dejiciant, cui maxime servire necesse vobis est. Quemadmodum enim

[1] Matth. VI, 24. — [2] Vide D. Guillon, tom. XII, pag. 49-60.

illic etiam duplex esse nocumentum ostendit, et quod ibi deponantur ubi ærugo corrodit; et quod ibi non deponantur ubi tuta custodia; sic et hoc loco duplicem noxam ostendit, et quod a Deo abstrahant, et quod mammonæ subjiciant. Sed non statim id ponit, sed id prius ex communibus parat ratiociniis, sic dicens : « Nemo potest duobus dominis » servire : » duos hic dicens qui contraria præcipiant. Nam si id non esset, non duo forent. Nam « Multitudinis creden- » tium erat cor unum et anima una [1] : » licet enim essent in plura corpora divisi, attamen concordia plurimos unum efficiebat. Deinde illa cumulans, dicit : « Non modo non serviet, sed etiam odio habebit et aversabitur : « Aut enim » unum odio habebit, inquit, et alterum diliget; aut unum » sustinebit, et alterum contemnet. » Ac videtur quidem bis idipsum dixisse; sed non sine causa sic rem concinnavit, sed ut ostenderet facilem esse mutationem in melius. Ne diceres enim : « Semel servus factus sum, divitiarum tyrannide oppressus, » ostendit posse in aliam converti partem : et sicut ex ista in illam, sic ex illa in istam venire. Cum ergo hoc indefinite dixisset, quo auditori suaderet ut æquum se dictorum judicem gereret, et ex ipsa rerum natura calculum ferret, postquam illum sibi consentientem habuit, tunc seipsum revelat; subjunxit enim : « Non po- » testis Deo servire et mammonæ [2]. » Exhorrescamus cogitantes quid Christum dicere coëgimus, ita ut cum Deo aurum poneret. Quod si illud horribile, longe horribilius est hoc reipsa fieri, et Dei timori auri tyrannidem anteferri. Quid igitur? Annon apud veteres idipsum fieri potuit? Minime. Quomodo ergo Abraham, quomodo Job virtute claruere? Ne mihi divites memores, sed divitiis servientes. Nam Job dives quidem erat, sed non serviebat mammonæ; divitias habebat et tenebat, ac dominus, non servus erat : etenim

[1] Act. IV, 32. — [2] Matth. VI, 24.

sicut alienarum pecuniarum dispensator, sic illa omnia possidebat : non modo aliena non rapiens, sed etiam sua egentibus largiens. Quodque majus est, nec de præsentibus gaudebat, ut ille declarat dicens : « Si lætatus sum quod » multæ mihi essent divitiæ [1] ; » ideoque illis amissis non doluit. At non tales hodie divites sunt ; sed captivis quibuslibet deterius affecti, mammonæ, quasi tyranno cuidam acerbo, tributa pendentes. Nam quasi arcem quamdam ipsorum animum amor pecuniarum invasit, et mandata omni plena iniquitate inde ipsis mittit quotidie : nemoque est qui ipsi non obtemperet. Ne itaque in vanum philosopheris. Nam semel Deus sententiam tulit, dixitque non posse hanc et illam servitutem una concurrere. Ne dicas ergo tu posse concurrere. Cum enim ille rapere, hic sese expoliare jubeat ; hic castum esse, ille fornicari ; hic inebriari et mensæ deliciis frui, ille ventrem moderari ; hic despicere præsentia, ille iis hærere : ille ipse marmora mirari et ornatos parietes atque laquearia, hic illa despicere et philosophiam colere, quomodo possunt hæc convenire?

II. Hic porro dominum mammonam vocavit, non quod natura talis sit, sed ob eorum, qui sese illi subjecere, miseriam. Sic etiam ventrem deum vocat, non a dignitate dominantis, sed a servientium miseria, quod omni supplicio pejus est, et ante supplicium potest captivum ulcisci. Quibus enim damnatis miseriores non fuerint ii, qui Deum dominum habentes, a tam mansueto illo regno ad gravissimam se tyrannidem transferunt subigendi, cum tantum hinc detrimentum etiam in terra accipiant? Nam hinc damnum ingens, lites, molestiæ, concertationes, labores, animæ cæcitas, et quod omnium gravissimum est, illa mammonæ servitus a supernis bonis nos dejicit. Cum igitur ex iis omnibus ostendisset quanta utilitas ex pecuniarum

[1] Job. XXXI, 25.

contemptu proveniret et ad ipsam pecuniarum custodiam, et ad animæ voluptatem, et ad philosophiæ possessionem, et ad pietatis tutelam; demum probat ipsam rem, de qua admonet, posse fieri. Hæc enim legis ferendæ optima ratio est, non modo utilia præcipere, sed etiam possibilia reddere; ideoque sic pergit : « Nolite solliciti esse animæ »vestræ, quid manducetis [1]. » Ne enim dicerent : « Quid ergo? si omnia projiciamus, quomodo vivere poterimus? » Huic objectioni opportune occurrit. Sicut enim si a principio dixisset : « Nolite solliciti esse, » molestus sermo visus esset; sic postquam ostendit perniciem ex amore pecuniæ partam, captu facilem postea hortationem adhibet. Ideoque non modo dixit : « Nolite solliciti esse, » sed addita causa, sic præceptum extulit. Cum enim dixisset : « Non potestis »Deo servire et mammonæ, » subjunxit, « Propterea dico »vobis : Nolite solliciti esse? » Propterea, quare? Propter ingens damnum. Neque enim in pecuniis tantum noxa est, sed etiam in præcipuis plaga infligitur, etiam ex salutis amissione. Nam vos a Deo creatore, curatore, amatore dejiciunt. « Propterea dico vobis : Nolite solliciti esse. » Quoniam enim nocumentum ostendit, præceptum extendit. Non modo enim bona ejicere jubet, sed etiam de necessario cibo sollicitos esse vetat, dicens : « Nolite solliciti »esse animæ vestræ quid manducetis [1]. » Non quod anima cibo egeat, incorporea enim est; sed communi loquendi more usus est. Etiamsi enim cibo non egeat, non potest in corpore manere, nisi ipsum nutriatur. Postquam hoc dixit, non simpliciter loquitur, sed hic etiam utitur ratiociniis, quorum alia ex iis, quæ apud nos sunt, alia ex aliis exemplis sumuntur. Ex iis quæ apud nos sunt, sic ait : « Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam »vestimentum [2]? » Qui igitur id quod majus est dedit, quo-

[1] Matth. VI, 25. — [2] Ibid.

modo quod minus est non dabit? Qui carnem, quæ alitur, efformavit, quomodo ipsi escam non præbebit? Ideo non simpliciter dixit : « Nolite solliciti esse quid manducetis, » aut quo induamini; » sed addit : « Corpori et animæ, » quia ex ipsis erat exempla sumpturus, per comparationem procedens. Sed animam quidem semel dedit, et manet illa ut data est, corpus vero dat quotidie. Quod utrumque ut ostendit, et illius immortalitatem, hujusque fluxam naturam declaravit, hæc subjungit : « Quis potest ex vobis » adjicere staturæ suæ cubitum unum [1]? » De anima tacens, quæ incrementa non caperet, de corpore tantum disseruit. Ex quo illud ostendit, nempe non cibo illud augeri, sed Dei providentia. Quod etiam per alia Paulus demonstrans dicebat : « Igitur neque qui plantat, neque » qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus [2]. » Ab iis igitur, quæ in nobis sunt, ita cohortatus est; ab aliis vero exemplis : « Aspicite volatilia cœli [3], inquit. » Ne quis diceret utile nobis esse si solliciti simus, et a majori et a minori ipsos dehortatur; a majori, nempe ab anima et corpore; a minori, ab avibus. Si enim etiam de longe inferioribus tantam gerit curam, quomodo vobis non idipsum præstabit? inquit. Et hæc quidem illis; erat quippe turba populi, diabolo autem non sic respondit, sed quomodo? « Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo » quod procedit de ore Dei [4]. » Hic autem volatilia memorat, sed modo ad cohortandum optimo, qui in admonitione maximam vim habeat. Sed in tantum insipientiæ quidam impii venerant, ut exemplum reprehenderent. Neque enim oportuit, inquiebant, eum, qui voluntates excitaret, ex naturalium rerum exemplis id agere, quippe quæ id habeant ex natura.

[1] Matth. VI, 27. — [2] 1 Cor. III, 7. — [3] Matth. VI, 26. — [4] Id. IV, 4.

III. Quid igitur ad hæc dicamus? Etiamsi id ex natura insit illis, posse id etiam nobis ex studio voluntatis accedere. Non enim dixit : « Respicite volatilia quomodo volent, quod non potest homo; sed quod sine sollicitudine alantur : » Quod nobis etiam licet, si volumus. Idque comprobarunt ii qui id opere exibuerunt. Quapropter summe admiranda est legislatoris prudentia, qui cum ex hominibus proferre posset exemplum, et in medium adducere Heliam, Moysem, Joannem, aliosque similes qui de cibo non solliciti fuerant; ut illos magis perstringeret, irrationabilia animalia memoravit. Si enim justos illos allegasset, dicere potuissent : « Nondum ad illorum virtutem pertigimus. » Nunc autem cum illos tacuit, et volatilia cœli induxit, omnem illis occasionem succidit, hac in re veterem legem imitatus. Nam Vetus Testamentum ad apem mittit, ad formicam, ad turturem, ad hirundinem. Nec parvum hoc est homini honoris argumentum, quando quæ illa ex natura habent, nos possumus ex voluntatis arbitrio nancisci. Si igitur illorum, quæ propter nos creata sunt, tantam gerit providentiam, quanto magis nostrum? si servorum, quanto magis herorum? Ideo dicebat : « Respicite volati» lia : » Nec addidit : « Quod non cauponentur vel negotientur: » hæc quippe admodum reprobata erant; sed, « Quod non » serant, neque metant. » Quid igitur? inquies, annon serendum erit? non dixit non esse serendum, sed non sollicitum esse oportere; neque dixit non operandum, sed non pusillanimum esse, neque sese sollicitudinibus macerare. Nam alimenta sumere præcipit, sed absque sollicitudine. Hunc porro sermonem jam præmittit David, sic ænigmatice loquens : « Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedic» tione [1] : » et rursus, « Qui dat jumentis escam ipsorum, et » pullis corvorum invocantibus eum [2]; » Et quinam sunt,

[1] Psal. CXLIV, 17. — [2] Id. CXLVI, 10.

inquies, qui non solliciti fuerunt? Non audisti quot viros protulerim? Annon cum illis jam memoratis vidisti Jacobum nudum ex paterna domo profectum? Non audis eum precantem ac dicentem : « Si dederit mihi Deus panem ad » manducandum, et vestimentum quo operiar [1] ? » Id quod non solliciti, sed a Deo totum quærentis erat. Hoc et Apostoli fortiter egerunt, omnibus relictis nihil solliciti : sic illa quinque millia, sic tria millia hominum. Si vero his auditis, non sustines adhuc hæc dura vincula solvere, cognita saltem curæ inutilitate, solve sollicitudinem. « Quis » enim ex vobis, inquit, sollicite cogitans potest adjicere ad » staturam suam cubitum unum [2] ? » Vide quomodo ex eo quod manifestum, id quod occultum erat clarum effecerit. Quemadmodum enim corpori, inquit, ne minimum quidem staturæ adjicere cogitans poteris; sic nec alimenta congregare, etiamsi te posse existimes. Hinc autem planum est, non curam nostram, sed Dei providentiam, in iis etiam quæ opera nostra fieri putamus, totum perficere : ita ut si nos ille relinqueret, nec cura, nec sollicitudo, nec labor, nec aliud quidpiam simile successurum esset, sed omnia pessum abirent.

IV. Ne itaque putemus præcepta impleri non posse. Multi enim nunc etiam sunt, qui illa exequuntur. Si tu hoc ignoras, nihil mirum, siquidem Helias se solum esse putabat; sed audivit : « Reliqui mihi septem millia virorum [3] . » Unde planum est etiam nunc esse qui apostolicam ducant vitam, quemadmodum et tunc ter mille et quinquies mille homines. Si autem non credimus, non quia desunt qui recte vivant, sed quia longe ab illis absumus, ita affecti sumus. Sicut is qui ebrius est, non facile credat esse hominem qui ne aquam quidem degustet : etiamsi hoc nostro tempore multi monachorum fecerint. Et qui cum

[1] Gen. XXVIII, 20. — [2] Matth. VI, 27. — [3] 3 Reg. XIX, 18.

innumeris coït mulieribus, non credet facile esse virginitatem servare : nec qui aliena rapit, credet esse quempiam qui sua facile largiatur. Sic neque ii qui se quotidie mille sollicitudinibus macerant, facile hanc suscipient doctrinam. Quod autem multi sint qui ad hanc perfectionem devenerint, ab illis ipsis demonstrare possumus, qui ætate nostra hanc sunt philosophiam professi. Sed vobis interim satis erit si discatis non avaritiæ studere, bonamque esse eleemosynam, si discatis ex bonis nostris erogandum esse. Hæc enim si exequaris, dilecte, cito ad illa pervenies. Interim ergo superfluam illam pompam deponamus, mediocritate contenti simus, et discamus ex justis laboribus omnia, quæ habituri sumus, acquirenda esse : quandoquidem beatus Joannes, cum eos, qui in telonio sedebant et milites alloquebatur, illis ut contenti suis stipendiis essent præcipiebat [1]. Volebat quidem illos ad majorem aliam philosophiam deducere; quia vero nondum ad id erant idonei, minora dicit, quia si sublimiora disseruisset, non illis attendissent, et ex his minoribus excidissent. Idcirco etiam nos in hisce inferioribus vos exercemus. Interimque scimus facultatum deponendarum onus fortius esse, quam ut vos ferre possitis; et quantum distat cœlum a terra, tantum vos distare ab illa philosophia. Itaque ultima saltem præcepta servemus, neque enim hæc parva consolatio est : etiamsi apud Græcos quidam illud, quod diximus, executi sunt, omniaque reliquerunt, licet non eo, quo par erat proposito. Attamen sat nobis erit si eleemosynam large spargatis : cito enim postea ad illa perveniemus, si ita procedamus. Sin ne hoc quidem faciamus, qua erimus venia digni, qui jussi Sanctos veteris legis superare, Græcis philosophis minores videamur? Quid dixerimus, si cum Angeli et filii Dei esse debeamus, ne homines quidem esse

[1] Luc. III, 14.

videamur? Nam rapere et aliena expetere, non ad hominum mansuetudinem, sed ad ferarum immanitatem pertinet. Imo feris deteriores sunt qui aliena invadunt. Feris namque id a natura inditum est : nos autem qui ratione ornati sumus, et præter naturam in ignobilitatem delabimur, qua fruemur venia? Considerantes igitur propositæ nobis philosophiæ mensuras, saltem ad media perveniamus, ut et a futuro supplicio liberemur, et progressi ad ipsum bonorum culmen ascendamus : quæ omnia utinam assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

CAPUT VI.

Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua vestitus erat sicut unum ex istis [1].

I. Postquam [2] de necessario cibo dixit, et ostendit non oportere de illo sollicitos esse, ad leviora transit. Neque enim ita necessaria vestis est, ut alimentum. Cur itaque hic non eodem utitur exemplo volucrum; neque affert nobis pavonem, aut cycnum, aut ovem? Nam plurima hinc exempla mutuari licebat. Quia utrinque rei magnitudinem vult ostendere, tum a vilitate eorum, quæ tanto decore fulgent, tum ab excellentia ornatus liliis tributi. Ideo postquam hanc descriptionem concinnavit, non amplius lilia vocat ipsa, sed « Fœnum agri. » Neque hoc nomine

[1] Matth. VI, 28, 29. — [2] Vide D. Guillon, tom. XII, pag. 61-67.

contentus est, sed aliam adjicit vilitatem dicens : « Quod » hodie est. » Neque addit : « Cras non est, » sed quod longe vilius, « In clibanum mittitur. » Neque simpliciter dixit : « Vestit, » sed, « Sic vestit. » Vides ubique multos ad ulteriora et majora progressus? Id porro agit ut illos perstringat; ideoque subjunxit : « Quanto magis vos [1] ? » Illud quippe magnam emphasim continet. Nam, « Vos, » nihil aliud subindicat, quam ipsum genus humanum magno honore, magna cura dignatum fuisse : ac si diceret : « Vos, quibus animam dedit, quibus corpus efformavit, ad quorum usum visibilia omnia creavit, propter quos Prophetas misit et legem dedit, innumeraque bona contulit ; propter quos unigenitum Filium tradidit, et millia per ipsum munera largitus est. » Et postquam hæc clare ostenderat, tunc illos increpat dicens : « Modicæ fidei. » Talis quippe est qui consilia sua offert, postquam rem clare demonstravit, non modo hortatur, sed etiam pungit, ut magis ad parendum dictis excitet. His autem nos docet non modo ut ne solliciti simus, sed ut ne admiratione capiamur cum magnifica vestimenta conspicimus : nam hic decor florum est, herbarumque pulchritudo; imo pretiosius fœnum est hoc vestimento. Quid igitur magnum sapis de re, in qua ab herba longe superaris? Et vide quomodo a principio præceptum leve facileque esse ostendat, dum illos rursum a contrariis et ab iis, quæ maxime timent, deducit. Cum enim dixisset : « Considerate lilia agri, subjunxit : « Non labo- » rant. » Itaque nos a laboribus eripere volens, hæc præcepit. Non ergo labor est has res non curare, sed curare et sollicitum esse. Ac quemadmodum cum dixit : « Non se- » runt, » non sementem sustulit, sed curam nimiam : sic cum ait : « Non laborant, neque nent, » non opus sustulit, sed sollicitudinem. Si autem Salomon illorum decore

[1] Matth. VI, 30.

superatus est, neque semel aut bis, sed per totum regni sui tempus : neque enim potest quis dicere ipsum nunc alio modo indutum fuisse : sed neque uno die tanto decore fulsit ; id enim indicavit dicens : « In toto regno suo ; » neque uni tantum flori cessit, alterum vero imitatus est, sed omnibus simul cessit, quapropter dixit : « Sicut unum ex » istis : » Quantum enim distat veritas a mendacio, tantum est inter vestimenta illa, et hos flores intervallum. Si ergo ille se victum confessus est, omnium qui unquam fuere, regum splendidissimus, quandonam tu vincere poteris, aut ad illum decorem vel tantillum accedere? Hinc nos instituit ut ne hujusmodi decorem unquam ambiamus. Vide ergo finem ejus post victoriam, in clibanum mittitur. Quod si erga istæc et ad nullius momenti usum Deus tantam exhibet providentiam, quomodo te negliget omnium maxime necessarium animal? Quare ergo tam pulchra fecit illa? Ut suam ostenderet sapientiam, et vim potentiæ suæ, quo undique ejus gloriam ediscamus. Neque enim cœli tantum enarrant gloriam Dei, sed etiam terra : idque significans David dicebat : « Laudate Dominum ligna fruc- » tifera, et omnes cedri [1]. » Alia enim per fructum, alia per magnitudinem, alia per pulchritudinem, Creatori laudem emittunt. Magnæ quoque illud sapientiæ est et potestatis signum, cum etiam ea quæ vilissima sunt ; quid enim vilius illo quod hodie est, cras minime? tanta decorat pulchritudine. Si igitur fœno, quod nullius usus est, id dederit, quid enim puchritudo ejus ad ignis alimentum confert? Quomodo tibi, qui opus habes, non dabit? Si quod omnium vilissimum est abundanter ornavit, et hoc non ad aliquem usum, sed ad magnificentiam, multo magis te omnium pretiosissimum in iis, quæ ad usum pertinent, honorabit.

[1] Psal. CXLVIII, 9.

II. Quoniam igitur multam ostendit Dei providentiam, et increpare illos postea oportebat, hic tamen lenitate utitur, non incredulitatem, sed modicam fidem illis imputans. « Si enim fœnum agri, inquit, Deus sic vestit, multo » magis vos, modicæ fidei [1]. » Atqui hæc omnia ipse operatur; nam « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso » factum est nihil [2]. » Attamen nihil usquam de se commemorat. Sufficiebat enim interim ad demonstrandam auctoritatem suam, quod diceret ad singula præcepta, « Audistis » quia dictum est antiquis. Ego autem dico vobis [3]. » Ne itaque mireris cum in sequentibus sese occultat, aut humile quidpiam de se loquitur. Unum quippe interim curabat, ut acceptus et probabilis illis sermo esset, ac per omnia ostenderet se non esse Deo adversarium, sed cum Patre consentientem et concordem. Quod etiam hic facit. Post tot enim sermones frequenter illum in medium adducit, admirans ejus sapientiam, providentiam in omnibus, in majoribus et in minoribus. Nam cum de Jerosolyma diceret, civitatem magni regis ipsam vocavit : et cum cœlum commemoraret, solium Dei appellavit : et cum de mundi administratione verba faceret, ipsi rursum omnia ascribit dicens : « Qui solem suum oriri facit super ma- » los et bonos, et pluit super justos et injustos [4]. » Et in oratione sic dicere docuit : « Quia ejus est regnum, et po- » tentia et gloria. » Hic quoque de illius providentia disserens, et ostendens ipsum vel in parvis optimum opificem esse, ait : « Fœnum agri vestit. » Ac nusquam Patrem suum vocat, sed illorum : ut et hoc honore permoveret, et cum Patrem suum postea diceret, non indignarentur. Si vero de vilibus et necessariis sollicitum esse non oporteat, qua excusatione digni sunt qui de magnificis curam habent? imo potius qua excusatione digni sunt, qui non dormiunt,

[1] Matth. VI, 30. — [2] Joan. I, 3. — [3] Matth. V, 27. — [4] Ibid. 45.

ut aliena bona rapiant? « Nolite ergo solliciti esse, dicentes : » Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operie- » mur? Hæc enim omnia mundi gentes inquirunt [1]. » Vides- ne quomodo rursus illos et magis increpaverit, et declaraverit se nihil onerosum vel durum præcepisse? Sicut igitur cum diceret : « Si diligitis diligentes vos, nihil mag- » num facitis, nam et ethnici hoc faciunt [2] : » ab ethnicorum commemoratione ipsos ad meliora excitavit. Sic et nunc illos in medium adducit, perstringens eos, et ostendens se necessarium a nobis debitum exigere. Si enim plus quam Scribas et Pharisæos exhibere oporteat, qua pœna digni erimus, qui non modo illos non superamus, sed et in ethnicorum vilitate manemus, et illorum pusillanimitatem imitamur? Nec satis habuit increpasse, sed cum perstrinxisset illos, excitasset ac pudore affecisset cum vehementia, aliunde illos consolatur dicens : « Scit enim Pater » vester cœlestis, quia his omnibus indigetis [3]. » Non dixit : « Scit Deus, » sed, « Scit Pater; » ut illos ad majorem spem erigat. Si enim pater est, et pater talis, non poterit despicere filios in extremis malis versantes : quando ne homines quidem patres hoc patiuntur. Aliudque postea inducit ratiocinium. Quodnam illud? « Quia his omnibus indigetis. » Hoc autem vult significare. Num superflua sunt hæc, ut despiciat? Atqui ne in superfluis quidem despexit, ut in fœno : nunc autem et necessaria sunt. Itaque quod putas causam esse sollicitudinis, id dico idoneum esse ad abigendam tibi hanc sollicitudinem. Quod si dicas : « Ideo me sollicitum esse oportet, quia necessaria sunt : » ego contra respondeo : « Ideo ne sollicitus sis, quia necessaria sunt. » Si enim superflua essent, neque sic desperandum esset, sed confidendum ea tibi suppeditari posse; quia vero necessaria sunt, non ultra ambigere oportet. Quis enim pater negligat fi-

[1] Matth. VI, 31, 32. — [2] Id. V, 46. — [3] Id. VI, 32.

liis suis necessaria præbere? ideoque omnino Deus id daturus est. Nam ipse naturæ creator est, et quid ipsi necessarium sit accurate novit. Neque enim dicere possis ipsum quidem esse patrem, et necessaria esse ea quæ requiruntur, sed ignorare cum nos ipsis egemus. Nam qui naturam ipsam novit, et creator ejus est, illamque hoc modo formavit, necessitatem ejus, ut palam est, melius novit quam tu, qui in necessitate constitutus es. Nam ipsi sic placuit ut in hujusmodi necessitate esses. Non ergo contrarius erit iis quæ voluit; ita ut te in necessitate constituat, et a necessariis privet.

III. Ne itaque solliciti simus, neque enim quid amplius consequemur, quam quod nos curis distendamus. Cum enim nobis sive sollicitis, sive non sollicitis, imo potius non sollicitis, id præstet, quid tibi amplius ex sollicitudine manebit, quam quod pœnas a teipso superfluas exegeris? Neque enim quis ad lautum convivium accessurus, de cibis unquam sollicitus erit, neque is qui ad fontem accedit, de potu erit anxius. Ne itaque nos, quibus affluentior adest rerum copia, quam in mille fontibus et conviviis, nempe Dei providentia, solliciti vel pusillanimes simus. Cum supradictis enim aliud in cunctis rebus fidendi argumentum suggerit dicens : « Quærite regnum cœlorum, »et hæc omnia adjicientur vobis [1]. » Postquam enim animum a curis levavit, tunc cœlos etiam commemoravit. Venit quippe vetera soluturus, et ad meliorem vocaturus patriam. Propterea nihil non agit ut nos a supervacaneis et a terrenarum rerum affectu liberet. Idcirco ethnicos memoravit, cum ait gentes ea inquirere, quarum omnis labor et studium circa præsentem vitam versaretur, quibus nulla futurorum vel cœlorum ratio. Vobis autem non hæc sunt præcipua, sed alia. Neque enim ideo creati sumus ut eo

[1] Matth. VI, 33.

medamus, bibamus et vestibus operiamur; sed ut placeamus Deo, et futura consequamur bona. Sicut igitur hæc perfunctorie curanda, ita et perfunctorie petenda sunt. Ideoque dicebat : « Quærite regnum cœlorum, et hæc omnia adjicientur vobis. » Non dixit : « Dabuntur, » sed, « Adjicientur, » ut discas inter ea, quæ dantur, præsentia nihil esse, si cum magnitudine futurorum comparentur. Ideo non illa petere, sed alia postulare jubet, et confidere hæc prioribus esse addenda. Quære igitur futura, et præsentia accipies : ne quæras visibilia, et prorsus illa consequeris. Nam indignum te est Dominum adire pro rebus hujusmodi. Etenim qui omne studium, omnem curam adhibere debes pro ineffabilibus illis bonis, teipsum dedecoras, dum in cupiditate fluxarum rerum teipsum consumis. Cur ergo, inquies, jussit panem petere? Sed addidit, « Quotidianum [2], » et hoc rursum addit, « Hodie : » quod ipsum hic etiam observat. Non enim solum dixit : « Nolite solliciti esse; » sed, « Nolite solliciti esse in crastinum, » simul nobis libertatem donans, et animam nostram rebus magis necessariis adducens. Nam illa petere ideo jussit, non quod Deus admonitu indigeret, sed ut discamus nos ejus auxilio bona agere omnia, et ut assiduitate petendi nos ei familiares reddamus. Vides-ne quomodo per hæc suadeat, doceatque ipsos præsentia quoque accepturos esse? Qui enim majora præbet, multo magis minora dabit. Non ideo enim, inquit, præcepi ne solliciti sitis, vel ne petatis, ut miseri sitis et nudi ambuletis, sed ut hæc quoque abundanter suppetant. Id quod certe maxime illos attrahere poterat. Sicut ergo eleemosyna eroganda, vetans sese hominibus ostentare, hac ratione maxime suadebat illis hæc sibi cum majori copia et magnificentia reddenda esse; (Nam ait, « Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in mani

[2] Luc. xi, 3.

» festo '; ») sic et hoc loco abstrahens eos a perquisitione præsentium, illud maxime suadet hæc non quærentibus cum majore abundantia promitti. Ideo, inquit, jubeo non quærere, non ne accipias, sed ut abundanter accipias ; ut accipias modo tibi competenti, cum utilitate congruenti : ne sollicitus et discissus harumce rerum curis, et iis ipsis rebus et spiritualibus te indignum constituas, ne superfluam patiaris ærumnam, et a re proposita excidas. « Nolite ergo solliciti » esse in crastinum. Sufficit enim diei malitia ejus [2] ; » id est, miseria atque contritio. Non sufficit tibi in sudore vultus tui comedere panem tuum [3] ? Cur aliam adjicis ex sollicitudine miseriam, qui a prioribus es laboribus liberandus?

IV. Malitiam autem hic vocat, non improbitatem, absit; sed miseriam, laborem, ærumnas; sicut et alibi ait : « Si » est malitia in civitate, quam Dominus non fecerit [4]. » Non rapinas significat, non avaritiam, neque quidpiam simile, sed plagas divinitus immissas. Ac rursum : « Ego, inquit, » faciens pacem, et creans malum [5]. » Neque enim hic malitiam dicit, sed famem, pestilentias, quæ mala esse existimantur a vulgo. Mos quippe est, ut multi ea esse dicant mala. Sic enim illi quinque satrapiarum sacerdotes et vates, cum vaccas arcæ junctas sine vitulis quo vellent ire permiserunt [6], divinitus immissas plagas illas, mœroremque ac dolorem inde partum, malitiam vocabant. Idipsum itaque significat dicens : « Sufficit diei malitia sua. » Nihil enim perinde animum cruciat, atque cura et sollicitudo. Sic et Paulus ad virginitatem hortans, consilium ita efferebat : « Volo autem vos sine sollicitudine esse [7]. » Cum porro dicit diem crastinam sibi sollicitam fore, non id ait, quod dies ipsa de se sollicita sit, sed quia ad imperitam

[1] Matth. VI, 4. — [2] Ibid. 34. — [3] Gen. III, 19. — [4] Amos III, 6. — [5] Isaï. XLV, 7. — [6] 1 Reg. VI. — [7] 1 Cor. VII, 32.

plebem sermo erat, cum vellet hæc cum emphasi proferre, tempus personæ more repræsentat, secundum plurimorum morem ipsos alloquens. Et hic quidem consilium profert, progressus autem idipsum ut legem statuit dicens : « Nolite » possidere aurum, neque argentum, neque peram in via[1]. » Postquam enim idipsum operibus exhibuerat, tunc demum verbis legem statuit firmiorem, unde et sermo acceptus et comprobatus erat, ipsius nempe operibus jam firmatus. Ubinam igitur operibus demonstravit? Audi ipsum dicentem : « Filius hominis non habet ubi caput re- » clinet [2]. » Neque hoc tamen dixisse contentus, in Discipulis suis horum exemplum suppeditat, cum ipsos ad hanc formam redegit, et nullo egere permisit. Perpende autem ejus providentiam, quæ omnem patris cujusvis affectum superat. Hoc jubeo, inquit, non aliam ob causam, quam ut vos ab omni supervacua sollicitudine expediam. Nam si hodie sollicitus sis de crastino, cras rursum sollicitus eris. Quid ea in re supervacaneum? Cur cogis diem majori, quam ipse sortitus sit, miseria affligi; et cum propriis sibi laboribus etiam sequentis diei onus imponis? Et hoc, cum per additamentum hujusmodi sequentis diei sarcinam non minuas, sed labores tantum laboribus adjicias. Ut enim illos magis perstringeret, tempus ipsum quasi animatum et læsum induxit, contra ipsos clamans ob superfluam molestiam. Nam diem accepisti, ut quæ ad ipsum pertinent cures : cur sequentis diei curas ipsi adjicis? Annon sufficiens ipsi est onus sollicitudo sui? cur ergo illi majus imponis onus? Cum autem legislator sit is qui sic loquitur, et ipse de nobis judicaturus sit, cogita quam bonam nobis spem proponat, cum ipse testificetur hanc vitam esse miseram et laboriosam; ita ut unius diei sollicitudo sufficiat ad afflictionem contritionemque nostram?

[1] Luc. x, 4. — [2] Id. ix, 58.

Attamen cum tot tantaque dicta sint, nos de his solliciti sumus, cœlestia autem non curamus, sed ordinem invertimus, utrinque contra supra dicta pugnantes. Perpende namque: dicit ille : « Ne omnino præsentia quæratis : » nos autem illa assidue quærimus. Quærite cœlestia, inquit : nos autem ne parvo quidem horæ unius spatio illa quærimus ; sed quantam de sæcularibus sollicitudinem exhibemus, tantam in spiritualibus negligentiam ostendimus, imo multo majorem : sed non semper hæc nobis prospere procedent ; neque semper ita possunt evenire. Ecce decem diebus contemnimus, ecce viginti, ecce centum : annon necesse prorsus est obire, et in judicantis manus incidere? Sed dilatio consolationem affert. Et quæ consolatio cum quotidie expectatur supplicium et ultio? Si velis enim ex hac dilatione consolationem aliquam accipere, accipe eam, quæ pœnitentiæ fructus est, emendationem. Nam si ex eo quod ultio differatur, aliquam prodire putas consolationem, multo majus lucrum est non incidere in ultionem. Utamur ergo hac dilatione, ut omnino ab imminentibus pœnis liberemur. Ex iis enim quæ præcepta sunt nihil vel onerosum vel molestum est ; sed omnia ita pervia et facilia, ut si promptam solum voluntatem afferamus, omnia valeamus perficere, etiamsi millibus simul peccatis obnoxii. Manasses enim execranda facinora ausus, qui adversus sancta manus extenderat, et abominationes in templum induxerat [1], cædibusque urbem repleverat, multaque alia fecerat quæ veniam non merebantur, attamen post talem tantamque iniquitatem omnia illa scelera abluit. Quomodo et qua ratione? Per pœnitentiam ac bonum propositum.

V. Non est enim, non est certe peccatum, quod non cedat vi pœnitentiæ ; imo potius gratiæ Christi. Nam si modo

[1] 4 Reg. XXI, 4.

convertamur, ille nobis adest opitulator : ac si velis bonus esse nemo impedit ; imo potius est qui impedire conetur diabolus, neque potest, te optima eligente, sicque Deum ad patrocinium attrahente. Sin tu nolueris, sed resilieris, quomodo tibi patrocinabitur? Neque enim vi aut necessitate, sed libentem te vult salutem consequi. Nam si tu servum haberes te odio habentem et aversantem, sæpeque recedentem ac fugientem, nolles certe retinere, etsi ejus ministerio opus haberes ; multo magis Deus, qui non ob suam aliquam necessitatem, sed ob salutem tuam omnia facit, nollet te vi retinere. Cum contra si voluntatem tantum exhibeas, nunquam te ille deseret, quantumlibet diabolus adversum nitatur. Itaque nos causa perniciei nostræ sumus. Neque enim ad illum accedimus, neque supplices adimus, neque rogamus ut par esset. Sed etiamsi accedamus, hoc ita facimus quasi non impetraturi, nec cum fide congruenti, neque quasi exigentes ; sed oscitantes, ac torpentes omnia facimus. Atqui Deus vult nos quasi exigentes precari, et tunc gratias tibi magnas habet. Hic quippe solus debitor, quando exigimus, gratias habet, et ea quæ non mutuo dedimus reddit. Et si valde instantem viderit eum qui exigit, etiam ea, quæ non accepit a nobis, solvit. Si vero segnius, ille differt : non quod dare nolit, sed quia libenter videt nos ab ipso exigere. Ideoque tibi exemplum attulit amici illius noctu accedentis, et panem petentis, nec non judicis qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur. Neque in exemplis substitit, sed id ipse quoque operibus exhibuit, quando Phœnissam illam mulierem magno honoratam dono remisit. In hac vero ostendit se etiam illa, quæ non congruere videntur, instanter petentibus largiri. « Non est, inquit, bonum tollere panem filiorum, et proji- » cere canibus [1]. » Attamen dedit, quia illa vehementer pe-

[1] Marc. VII, 27.

tebat. Per Judæos autem significavit se desidiosis ne illa quidem dare, quæ ad ipsos pertinebant. Itaque illi nihil acceperunt, sed etiam sua perdiderunt. Et hi quidem, quia non petierunt, ne sua quidem accepere : illa vero quia vehementer institit, aliena potuit sibi vindicare, et quæ filiorum erant catellus accepit. Tantum bonum est assiduitas. Etsi enim canis fueris, si frequenter instes, filio desidi anteponeris : quæ enim non perfecit amicitia, id perfecit assiduitas precandi. Ne dicas igitur: « Inimicus mihi est Deus, nec exaudiet me. » Cito tibi respondebit, si frequenter illum interpelles et urgeas, etsi non ob amicitiam, certe ob assiduitatem : ac neque inimicitia, neque importunitas, neque aliud quidpiam impedimento esse poterit. Ne dicas : « Non sum dignus, ideo non precor : » nam talis erat Syrophœnissa. Ne dicas : « Multum peccavi, nec possum iratum rogare : » non enim dignitatem Deus spectat, sed voluntatem. Nam si principem illum qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur, vidua inflexit, multo magis bonum sibi attrahet assidua supplicatio. Ita ut etiamsi non amicus sis, etiamsi non debita exigas, etiamsi paterna bona absumpseris, multoque tempore absens fueris, etiamsi degener omniumque postremus, etiamsi iratum indignantemque convenias ; in animum inducas tantum precari atque ad illum redire, et omnia accipies, atque iram damnationemque statim extingues. « Atqui precor, inquies, et nihil proficio. » Sed non precaris ut Syrophœnissa, dico, ut amicus intempesta nocte veniens, ut vidua quæ frequenter judicem urgebat, ut filius qui paterna bona absumpserat. Nam si sic orares, cito impetrares. Etenim etiamsi contumelia affectus sit, at pater est : etiamsi iratus est, at filios amat, atque unum tantum quærit, non de contumeliis pœnas exigere, sed te conversum et supplicantem videre.

VI. Utinam nos ita arderemus, ut viscera illa ad dilec-

tionem erga nos inflammantur. Sed ignis ille occasionem solum requirit. Et si parvam illi scintillam præbeas, ingentem beneficiorum flammam accendis. Neque enim quod contumelia affectus sit indignatur, sed quia tu contumeliosus es, et ut ebrius furis. Si enim nos, mali cum simus, si contumeliosi sint filii, pro illis dolemus ; quanto magis Deus qui injuria affici nequit, pro teipso contumelioso indignatur? Si nos qui natura diligimus, multo magis ille qui ultra naturam diligit. Nam, « Etsi obliviscatur, inquit, mu» lier infantium uteri sui, sed ego non obliviscar tui, dicit » Dominus[1]. » Accedamus igitur ad eum et dicamus : « Etiam, » Domine, nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de » mensa dominorum suorum[2]. » Accedamus itaque opportune importune ; imo vero nunquam possumus importune accedere : importunum quippe est non assidue adire. Nam eum, qui dare gestit, opportunum est semper rogare. Quemadmodum enim respirare nunquam importunum est, sic et petere nunquam, sed non petere est importunum. Etenim sicut hac respiratione opus habemus ; sic et ejus auxilio : ac si velimus, facile ipsum ad nos attrahemus. Et hoc indicans Propheta, declaransque Deum ad beneficia præstanda semper paratum, dicebat : « Sicut diluculum para» tum inveniens eum[3]. » Quoties enim ad eum accesserimus, nostra expectantem videbimus. Quod si nihil ex ejus virtute ceu fons scaturiente hauriamus, nostra culpa est omnino. Hoc enim Judæos incusans dicebat : « Misericor» dia autem mea ut nubes matutina, et sicut ros mane per» transiens[4]. » Quod autem dicit, hujusmodi est. Ego quidem quæ mea erant omnia præstiti : vos vero, quemadmodum sol ardens superveniens et nubem et rorem dissipat et occultat, sic ob multam nequitiam ineffabilem reprimitis liberalitatem. Id quod tamen providentiæ est. Nam cum in-

[1] Isaï. XLIX, 15. — [2] Matth. XV, 27. — [3] Osee VI, 3. — [4] Ibid. 4.

dignos ridet nos qui bonis afficiamur, beneficia retinet, ne nos desides efficiat. Si autem vel parum convertamur, tantum videlicet quantum opus est ut cognoscamus nos peccasse, plus quam fontes scaturit, plus quam pelagus diffluit : et quanto majora acceperis, tanto magis gaudet : hincque ad plura danda se comparat. Nam divitias suas nostram putat esse salutem, et ipsam dandi petentibus largitatem : quod etiam Paulus sic declarabat : « Dives in om-» nes, et super omnes qui invocant illum [1]. » Cum enim non petimus, tunc irascitur : cum non petimus, tunc aversatur. Ideo pauper fuit, ut nos divites essemus : ideo illa omnia pertulit, ut nos ad petendum vocaret. Ne itaque desperemus. Sed has occasiones et bonam spem habentes, etiamsi per singulos dies peccamus, accedamus rogantes, obsecrantes, peccatorum remissionem petentes. Sic enim et ad peccandum tardiores efficiemur, et diabolum depellemus, ac Dei misericordiam provocabimus, futuraque consequemur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

CAPUT VII.

Nolite judicare, ne judicemini [2].

1. Quid igitur? Non oportet peccantes accusare? Nam et Paulus hoc ipsum dicit, imo et Christus per Paulum his verbis : « Tu quid judicas fratrem tuum? Et tu quid sper-» nis fratrem tuum? Et tu quis es, qui judicas alienum ser-

[1] Rom. x, 12. — [2] Matth. vii, 1.

» vum[1] ? » Et iterum : « Nolite ante tempus judicare, quoadus-
» que veniat Dominus[2]. » Cur autem alibi dicit : « Argue, ob-
» secra, increpa[3] ? » Et alibi, « Peccantes coram omnibus
» argue[4]. » Et Christus Petro : « Vade, corripe illum inter
» te et ipsum solum : si non audierit, alium tecum adjunge;
» si vero neque sic cesserit, Ecclesiæ nuntia[5] : » et tam mul-
tos constituit increpantes, nec solum increpantes, sed etiam
punientes? Nam cum, qui nullum horum audisset, jussit ha-
beri quasi ethnicum et publicanum. Cur autem illis cla-
ves dedit? Nam si judicaturi non sunt, nullam habebunt
auctoritatem, et frustra ligandi atque solvendi auctorita-
tem acceperunt. Et alioquin si hoc obtineat, omnia pessum
ibunt, et in Ecclesiis, et in civitatibus, et in domibus. Nam
dominus servum et domina ancillam, pater filium, amicus
amicum nisi judicaverint, nequitia augebitur. Et quid dico,
amicus amicum? Inimicos si non judicemus, nunquam po-
terimus inimicitias solvere, sed susdeque omnia vertentur.
Quid ergo sit hoc, quod dicitur, diligenter attendamus, ne
remedia salutis et leges pacis putet quispiam esse leges sub-
versionis et confusionis. Nam iis, qui intelligentia valent,
in sequentibus maxime hujusce legis virtutem ostendit di-
cens : « Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem
» autem, quæ est in oculo tuo, non consideras[6] ? » Quod si
multis tardiorum dictum adhuc obscurius esse videatur,
rem a principio solvere tentabo. Hic certe, ut mihi quidem
videtur, non omnia peccata jubet non judicare, neque om-
nino vetat illud agere ; sed illos respicit qui innumeris onusti
vitiis, aliis ob levia quæque insultant. Videtur autem hic
Judæos subindicare, qui cum acerbi essent de rebus mini-
mis nulliusque momenti proximi sui accusatores, magna illi
sine ullo sensu crimina admittebant : quod etiam in fine ex-

[1] Rom. XIV, 4 et 10. — [2] 1 Cor. IV, 5. — [3] 2 Tim. IV, 2. —
[4] 1 Tim. V, 20. — [5] Matth. XVIII, 15-17. — [6] Id, VII, 3.

probrans illis dicebat : « Alligatis onera gravia et importa-» bilia : vos autem non vultis ea digito movere [1]. » Et, « De-» cimatis mentham et anethum, et dereliquistis ea quæ » graviora sunt legis, judicium, misericordiam et fidem [2]. » Judæos igitur videtur in animo habere, jam ante illos reprimens ob ea de quibus Discipulos accusaturi erant. Etsi enim illi nihil tale peccaverant, quædam tamen ipsis peccata videbantur esse, ut, sabbatum non observare, illotis manibus manducare, cum publicanis recumbere, quod et alibi ait : « Excolantes culicem et deglutientes camelum [3]. » Cæterum communem de his legem constituit. Corinthiis vero scribens Paulus, non simpliciter prohibet judicare, sed eos qui ipsis præerant judicare vetat, etiam in re manifesta ; itemque in occultis et incertis, nec simpliciter vetat peccantes emendare. Neque tunc omnes sine discrimine increpabat; sed discipulos qui magistros arguerent coërcebat, nec non eos qui innumerorum rei malorum, innoxios criminabantur : id quod etiam hic Christus subindicavit, nec modo subindicavit, sed et multum incussit timorem, indixitque supplicium inevitabile. « In quo enim judicio, inquit, » judicaveritis, judicabitur de vobis [4]. » Non enim illum condemnas, inquit, sed teipsum et formidandum tibi paras tribunal, accuratioremque reddendam rationem. Quemadmodum enim in remissione peccatorum, principia a nobis petuntur, sic et in hoc judicio, damnationis mensuræ ponuntur a nobis. Non enim exprobrare oportet vel insultare, sed admonere : non maledicere, sed consilium dare : nec arroganter insurgere, sed cum dilectione corrigere. Non enim illum, sed te extremo trades supplicio, dum non parcis illi quando oportuit de illius delictis ferre sententiam.

II. Vides-ne quomodo hæc duo præcepta et levia sint, et

[1] Matth. XXIII, 4, et Luc. XI, 46. — [2] Matth. XXIII, 23. — [3] Ibid. 24. — [4] Id. VII, 2.

magnorum obsequentibus causæ bonorum, ut et malorum non attendentibus? Nam et qui proximo dimittit, se magis quam illum sine ullo labore reatibus liberat ; et qui indulgenter peccata aliorum examinat, magnum sibi veniæ fœnus ex tali allato calculo parat. Quid igitur, inquies, si fornicatus fuerit? non dicam malam rem esse fornicationem, neque corripiam lascivientem? Corripe quidem, sed non ut hostis vel inimicus ultionem exposcens, sed ut medicus remedia apparans. Neque enim dixit: «Ne cohibeas peccantem, sed ne judices ; id est, ne acerbus sis judex. » Alioquin autem non de magnis rebus aut prohibitis, ut dixi, sed de iis, quæ non videntur esse crimina, hoc dictum fuit. Quamobrem dicebat: « Quid vides festucam in oculo fratris tui [1] ? » Etenim multi nunc id faciunt, qui si viderint monachum superfluo vestitu indutum, legem illi dominicam objiciunt, licet ipsi millia abripiant, ac quotidie divitias accumulent : et si viderint largiore uti cibo, acerbi instant accusatores, licet quotidie ipsi crapulæ et ebrietati dent operam, ignorantes se propriis onustos peccatis, majorem hinc sibi ignem colligere, ac sese omni excusatione privare. Quod enim tua accurate sint examinanda, tu prius hanc legem posuisti, cum ita de proximo tuo judicasti. Ne itaque illud grave esse existimes, si tales et ipse pœnas daturus sis. « Hypocrita, ejice primo trabem ex oculo tuo [2]. » Hic iram vult exhibere plurimam, quam concipit erga illos qui tali se gerunt modo. Nam quotiescumque vult ostendere magnum esse peccatum, multamque pœnam et ultionem ipsi paratam, a convitio orditur ; quemadmodum et contra illum, qui centum denarios exigebat, indignans dicebat : « Serve nequam, omne debitum illud dimisi tibi [3]. » Sic et hoc loco dicit : « Hypocrita : » non enim curam æqui hæc sententia exhibet, sed inhumanitatem. Et larvam qui-

[1] Matth. xxiii, 3. — [2] Ibid. 5. — [3] Id. xviii, 36.

dem humanitatis præ se fert, extremam vero nequitiam exercet, dum superflua proximo opprobria atque crimina affingit, et locum magistri invadit, qui non dignus est esse discipulus : quamobrem hypocritam illum vocavit. Nam qui in alienis ita acerbus es, ut etiam exigua videas, quomodo in tuis ita negligens fuisti, ut etiam magna transcurreres? « Ejice primum trabem de oculo tuo. » Vides-ne quod non vetet judicare, sed jubeat primum ejicere trabem ex oculo tuo, et tunc aliorum errata corrigere. Nam sua quisque magis novit quam aliena, et majora videt plus quam minora ; seque magis amat, quam proximum. Itaque si curam gerens id facis, tui curam gere prius, ubi et clarius et majus est peccatum. Quod si temetipsum contemnis, palam est te non ideo de fratre tuo judicare, quod ejus curam geras, sed quod odio habeas et diffamare velis. Si enim oporteat de illo judicari; ab eo judicium ferendum, qui nihil tale commisit, non a te. Quia enim magna et sublimia posuit philosophiæ dogmata, ne quis diceret in illis sermone philosophari facile esse, ut fidenter ostendat se in supra dictorum nullo rationi reddendæ obnoxium esse, sed omnia perfecisse, hanc parabolam dixit ; nam ipse quoque postea erat judicaturus : « Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocri-» tæ[1], » inquit. At ille non erat illis, quæ dicebat, obnoxius : neque enim festucam ejecerat, neque trabem in oculis habebat ; sed in his omnibus insons et purus, sic omnium peccata corrigebat. Neque enim debet is de cæteris judicare, qui iisdem culpis ipse sit obnoxius. Et quid miraris, si hanc ipse legem posuerit, quando latro in cruce ipsam agnovit, cum alteri latroni diceret : « Neque tu times Deum : » nos in eadem damnatione sumus[2] : » Christi sententiæ consona dicens. Tu vero trabem tuam non modo non ejicis, sed ne vides quidem ; fratris vero festucam non modo

[1] Matth. XXIII, 14. — [2] Luc. XXIII, 40.

vides, sed judicas, illamque ejicere conaris. Ac si quis aut hydropisi, aut alio morbo incurabili admodum laborans, id negligeret, incusaretque alium qui levem aliquem tumorem non curaret. Si vero malum est sua peccata non videre, duplex triplexque malum est de aliis judicare eos, qui sine ullo doloris sensu trabes in oculis suis gestant. Peccatum quippe trabe gravius est.

III. Hoc igitur per ea, quæ dicta sunt, præcepit, nempe eum, qui sexcentis vitiis sit obnoxius, alienæ culpæ non severum esse judicem oportere, si maxime aliorum peccata sint levia. Non quod vetet arguere et emendare, sed quod prohibeat propria mala negligere et alienis insultare. Etenim illud in magnum vergeret nequitiæ augmentum, duplicemque inveheret malitiam. Nam qui peccatis suis, etsi gravibus, neglectis, aliorum vitia parva leviaque acerbius discutere studeret, in duplicem incurreret labem; et quod propria peccata negligeret contemneretque, et quod omnium offensionem inimicitiamque in se concitaret, atque in extremam inhumanitatem feritatemque quotidie procederet. His itaque omnibus per hanc pulchram legem sublatis, hoc aliud subjungit præceptum : « Nolite sancta dare » canibus, neque projiciatis margaritas vestras ante porcos [1]. » Atqui in sequentibus, inquies, præcipit, « Et quod » in aure auditis, prædicate super tecta [2] : » verum hoc priori non est contrarium. Neque illic omnibus jubet prædicare, sed iis quibus prædicandum est, cum fiducia id facere. Canes autem hic vocat qui in impietate vitam ducunt incurabili, et in quibus spes nulla mutationis in melius; porcos vero illos, qui luxuria perditam semper vitam agunt, quos omnes hujusmodi doctrina dicebat indignos. Hoc enim etiam Paulus significat his verbis : « Animalis autem homo non percipit ea quæ spiritus sunt : stultitia enim

[1] Matth. VII, 6. — [2] Id, X, 27.

» est illi [1]. » Alibi quoque sæpe dicit vitæ corruptionem in causa esse cur perfectiora dogmata non recipiantur. Quare vetat ipsis januas aperiri : siquidem postquam didicerint ferociores evadunt. Hæc quidem probis ac mente valentibus revelata, veneranda videntur : socordibus vero magis honorantur ignorata. Iis igitur, quia non possunt ex natura illa ediscere, occultentur, inquit, ut saltem ex ignorantia illa revereantur. Neque enim porcus novit quid sit margarita. Quia igitur non novit, ne videat quidem, ne conculcet ea quæ non novit. Nihil enim accedit iis qui ita sunt affecti si audiant, nisi majus damnum. Etenim sancta ab iis temerantur, utpote illa ignorantibus, et ipsi ferocius contra nos insurgunt armati. Hoc enim significat illud : « Ne » conculcent eas, et conversi dirumpant vos [2]. » Sed ita fortiter hærere debebant, ut semel tradita invicta manerent, nec ansam illis contra nos præberent. Non præbent autem illa ansam, sed hi qui porci sunt. Quemadmodum margarita pedibus calcata, non quod spernenda sit conculcatur, sed quia in porcos incidit. Ac pulchre dixit : « Conversi dirumpant vos. » Modestiam quippe simulant, ut discant ; postquam vero didicerunt, alii ex aliis effecti illudunt nobis, traducunt et irrident nos quasi deceptos. Ideoque Paulus Timotheo dicebat : « Quem et tu devita : valde enim restitit verbis » nostris [3]. » Rursusque alibi, « Et hos devita [4]. » Et, « Hæ- » reticum hominem post unam et alteram admonitionem » devita [5]. » Non igitur ab illis armantur, sed eorum occasione stulti evadunt, majori arrogantia repleti. Ideoque non parum lucri inde accedit si in sua ignorantia maneant : sic enim non ita despicient. Si vero discant, duplex emergit damnum. Illi enim inde nihil fructus percipient, imo magis lædentur, tibique mille negotia suscitabunt. Audiant ii

[1] 1 Cor. II, 14. — [2] Id. VII, 6. — [3] 2 Tim. IV, 15. — [4] Id. III, 5. — [5] Tit. III, 10.

qui impudenter omnibus se admiscent, et veneranda quæque spernenda reddunt. Nam mysteria ideo januis clausis celebramus, et non initiatos abigimus, non quod infirmitatem quamdam in illis deprehendamus, sed quia multi imperfectiores sunt, quam ut ipsis possint adesse. Ideo illo multa in parabolis loquebatur Judæis, quia videntes non videbant. Quapropter Paulus scire jussit quomodo oporteat unicuique respondere. « Petite, et dabitur vobis; quærite, » et invenietis; pulsate, et aperietur vobis [1]. » Quia enim magna et admiranda præcepit, omnibus jussit affectibus esse superiores, ad ipsum cœlum adduxit, ac studere præcepit, non ut Angelis et Archangelis, sed ipsi Domino, quantum fieri licet, similes simus. Discipulos vero non hoc solum perficere, sed et alios emendare jussit, ac discernere inter malos et bonos, inter canes et non canes; multa autem sunt in hominibus occulta, ne dicerent hæc dura et intolerabilia esse. Nam in sequentibus hæc Petrus loquitur : « Quis potest salvus esse? » Et rursus : « Si ita est » causa hominis, non expedit nubere [2]. »

IV. Ne igitur hæc etiam nunc dicant, cum jam in præcedentibus ostendisset illa esse facilia, ratiociniis frequentibus adductis, quæ id suadere possent, demum facilitatis coronidem apponit, non vulgari excogitata in laboribus consolatione, nempe assiduarum precum auxilio. Non satis enim esse dicit, si id perficere curemus, sed supernum esse auxilium implorandum : quod utique veniet et aderit, inque certaminibus non juvabit, et omnia facilia reddet. Ideo petere jussit, ac se daturum spopondit. Verum postulare jussit non obiter, sed cum assiduitate et contentione magna. Hoc enim significat illud, « Quærite. » Nam qui quærit, aliis omnibus ex mente eliminatis, rei tantum quæsitæ dat operam, nullamque præsentium habet rationem. Norunt

[1] Matth. VII, 7. — [2] Id. XIX, 10 et 25.

certe illud quotquot vel auro vel servis amissis, hæc postea quærunt. Illud indicat per vocem illam, « Quærite; » cum vero dicit : « Pulsate, » vehementer et ardenti animo accedendum esse significat. Ne itaque concidas, mi homo, neque minorem de virtute curam exhibeas, quam de pecuniis : has quippe sæpe quærens non invenisti ; et tamen cum probe scias te forte non inventurum, omnem exploras quærendi modum. Hic vero sponsionem habens te prorsus accepturum esse, ne minimam quidem illius studii partem exhibes. Si vero non statim accipias, ne desperes. Ideo enim dixit : « Pulsate, » ut ostendat, quamvis non statim aperiat, manendum tamen esse. Si autem meæ non credas sponsioni, saltem huic exemplo crede. « Quis ex vobis, inquit, » pater, cui si filius petat panem, numquid lapidem dabit » ei [1] ? » Apud homines quidem si id frequenter facias, molestus et onerosus videris : apud Deum autem, si hoc non facias, magis ad iram commoves. Si autem petendo permaneas, etiamsi non statim accipias, accipies tamen. Ideo namque clausa est janua, ut te ad pulsandum inducat. Ideo non statim annuit, ut petas ; mane igitur id agens, et procul dubio accipies. Ne enim dicas : « Quid igitur si petam, et non accipiam? » per parabolam te in spe firmavit, ratiociniis rursum usus, atque humanis exemplis te ad fiduciam ea in re sumendam inducens, dum per hæc ostendit non modo petendum esse, sed quæ petenda sint. « Quis enim » ex vobis est pater, cui si filius petat panem, numquid la- » pidem dabit illi? » Itaque si non accipis, ideo non accipis, quia lapidem petis. Etiamsi enim filius sis, id non sufficit ad accipiendum : imo illud ipsum impedit quominus accipias, quod filius cum sis, illa petas quæ non tibi expediant. Et tu itaque nihil mundanum petas, sed spiritualia omnia, et certo accipies. Etenim Salomon quia illa petiit quæ pe-

[1] Matth. VII, 9.

tere oportebat, vide quam cito acceperit. Duo igitur observare oportet orantem, ut et vehementer petat, et ea petat quæ sibi expediunt : quandoquidem et vos, inquit, etiamsi patres sitis, filios vestros petere sinitis ; et si damnosum sit illud quod petunt, negatis ; sin utile sit, annuitis et datis. Tu igitur hæc cogitans, ne absistas, donec acceperis ; ne recedas donec incederis ; ne studium remittas, donec aperiatur janua. Si enim hoc animo accesseris, dixerisque : « Nisi recipiam non abeo, » prorsus accipies, si tamen illa petas, quæ et ei a quo petis et tibi expedit ut dentur. Quænam porro sint hæc? Si spiritualia petas omnia ; si postquam offensas remisisti, sic accedas remissionem petens ; si absque ira et disceptationibus sanctas manus attollamus. Si sic petamus, accipiemus. Nunc vero nostra petitio, irrisio est, potiusque ebriorum hominum, quam sobriorum. Quid igitur, inquies, si spiritualia petam, nec accipiam? Non studiose procul dubio postulasti, vel teipsum indignum fecisti qui acciperes, aut citius quam par erat abscessisti. Et cur, inquies, non dixit quæ oporteat petere? Certe jam omnia prius dixit, et ostendit pro quibus accedere oporteat. Ne itaque dicas : « Accessi et non accepi. » Non enim per Deum stetit quominus acceperis, qui adeo diligit, ut patres hac in re tantum vincat, quantum hanc nequitiam bonitas superat. « Si enim vos, cum sitis mali, nostis bona data dare » filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis [1] ? » Hæc porro dixit, non vituperans humanam naturam, nec genus nostrum malum esse pronuntians ; absit : sed amorem paternum, si cum bonitate Dei comparetur, malitiam appellans : tanta scilicet inest illi benignitas.

V. Vidisti-ne invictum argumentum, quod possit etiam desperantem in bonam spem revocare? Hic quidem exemplo patrum bonitatem Dei ostendit : superius autem ex do-

[1] Matth. VII, 11.

nis suis majoribus, ex anima, ex corpore; et nusquam caput bonorum affert, neque ipsius adventum in medium adducit : nam qui filium occidendum dedit, quomodo nobis non omnia donabit? Hæc vero nondum evenerant. Sed Paulus illud affert his verbis : « Qui proprio Filio non peper- » cit, quomodo non etiam cum eo omnia nobis donabit [1]? » Ipse vero Christus ex humanis adhuc cum illis disserit. Deinde ostendens nec orationi fidendum esse, si ea quæ in nobis sunt negligamus, neque si illa curemus, nostræ curæ ac diligentiæ tantum fidendum esse, sed supernum esse requirendum auxilium, et nostra simul afferenda esse, et hoc et illud frequenter apponit. Nam post multa monita, modum orandi docuit, et postquam id docuerat, rursus ad agendum cohortatus est; ab hinc iterum monuit orandum esse frequenter, cum dixit: « Petite, quærite, pul- » sate; » sub hæc rursum, virtutis studiosos esse oportere; nam ait : « Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis » homines, et vos facite illis [2]; » in brevi spatio cuncta resumens, ostendensque compendiosam, facilem, omnibusque notam esse virtutem. Neque simpliciter dixit : « Quæ- » cumque vultis; » sed, « Omnia ergo quæcumque vultis. » Nam illud, « Ergo, » non sine causa adjecit, sed hoc subindicans : « Si vultis, inquit, audiri cum illis, quæ dixi, et hæc facite. » Quænam illa? « Quæcumque vultis ut faciant » vobis homines. » Vides-ne quomodo ostenderit, cum oratione etiam probo vitæ instituto nobis opus esse? Neque dixit : « Quæcumque volueris tibi a Deo fieri, hæc fac et proximo : » ne diceres : « Et quomodo hoc effici potest? » Ille Deus est, et ego homo. Sed quæcumque volueris tibi fieri a conservo, hæc et tu proximo tuo exhibeas. Quid hac re levius? quid justius? Deinde ante præmia grande encomium. « Hæc est enim lex, et Prophetæ [3]. » Unde manifes-

[1] Rom. VIII, 32. — [2] Matth. VII, 12. — [3] Ibid.

tum est secundum naturam nobis inesse virtutem, et nos a nobis ipsis quid sit agendum scire, neque posse ad ignorantiæ excusationem unquam confugere. « Intrate per angustam portam, quoniam lata est porta et spatiosa via est » quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui ingrediuntur » per eam : et arcta est porta et angusta via quæ ducit ad » vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam [1]. » Atqui postea dicit : « Jugum meum suave est, et onus meum leve [2]. » Atque etiam in iis, quæ paulo ante dicta sunt, idipsum subindicavit. Quomodo autem hic arctam illam angustamque dicit esse? Certe si attenderis, hic etiam declarat illam admodum esse levem et facilem. Et quomodo, inquies, illa quæ arcta et angusta, facilis erit? Quia via est et porta; sicut etiam illa alia, etsi lata et spatiosa, via est et ipsa. In his autem nihil manet, sed transeunt omnia ad hanc vitam pertinentia, sive tristia, sive prospera. Nec ideo tantum facilis est virtus; sed a fine etiam facilior redditur. Neque enim tantum quod labores et sudores transeant, sed etiam quod bono fine, vita nempe, terminentur; id consolationem decertantibus parere debet. Itaque et brevitas laborum et æternitas coronarum, et quod hæc sint priora, illa vero posteriora; hæc certe omnia maximam in laboribus afferant consolationem. Quapropter Paulus levem tribulationem vocavit, non ob naturam accidentium rerum, sed ob promptam voluntatem certantium, et spem futurorum. « Leve tribulationis, inquit, supra modum, æter- » num gloriæ pondus operatur : non considerantibus nobis » quæ videntur, sed quæ non videntur [3]. » Nam si fluctus et maria nautis, ac cædes vulneraque militibus, hiems atque gelu agricolis, pugilibusque frequentes plagæ, leves tolerabilesque videntur, ob spem præmiorum, quæ tamen fluxa perituraque sunt; multo magis quando cœlum nobis,

[1] Matth. VII, 13, 14. — [2] Id. XI, 30. — [3] 2 Cor. IV, 17, 18.

ineffabilia bona, præmiaque immortalia proponuntur, nullum quis præsentium malorum sensum percipiat.

VI. Quod si qui, iis etiam positis, viam illam laboriosam esse putant, ex illorum desidia tantum oritur hæc suspicio. Vide enim quam levem illam alio modo efficiat, cum jubet non commisceri canibus, neque porcis se tradere, et cavere a pseudoprophetis, dumque nos undique sollicitos reddit. Hoc ipsum vero quod illam arctam appellat, maxime confert ad eam facilem reddendam, admonens illos ut vigilent. Sicut enim Paulus cum dixit: « Non est nobis colluctatio » adversus sanguinem et carnem [1]; » non ut dejiciat, sed ut erigat militum animos id dicit; sic ipse Dominus ut viatores a somno excitet, asperam dicit viam : neque hoc tantum modo ad vigilandum inducit, sed etiam cum adjicit multos esse qui supplantare studeant; quodque gravius est, non aperte irrumpunt, sed sese occultant. Hujusmodi namque est pseudoprophetarum genus. Sed ne illud consideres, inquit, quod sit aspera et arcta, sed quo desinat perpende; neque quod contraria via sit lata et spatiosa, sed quem finem habeat. Hæc porro omnia dicit, ut nobis animum erigat, ut et alibi dicebat: « Violenti rapiunt illud [2]. » Nam qui ad certamen ingreditur, ubi clare videt agonothetam certaminum laborem admirantem, alacrior efficitur. Ne igitur animum despondeamus, cum multa nobis hinc tristia acciderint. Arcta enim est via, et angusta porta: at non civitas illa. Ideoque non hic speranda quies est, neque illic putandum aliquid inesse triste. Cum dixit autem: « Pauci » sunt qui inveniunt eam, » rursus multorum hic ignaviam declarat, et auditores instituit, ne multorum rebus prosperis animum adhibeant, sed paucorum laboribus. Plurimi namque, ait, non modo per illam viam non incedunt, sed nec illam eligunt quidem, quod extremum insipientiæ est.

[1] Ephes. VI, 12. — [2] Matth. XI, 12.

Verum non est multitudini attendendum; neque inde turbari oportet, sed paucos illos imitari, et undique sese colligentes sic per eum incedere. Nam præterquam quod angusta illa est, multi sunt qui supplantare student, ne illo intretur; quamobrem subjunxit : « Attendite a falsis prophetis. » Venient enim ad vos in vestimentis ovium : intrinsecus » autem sunt lupi rapaces [1]. » Ecce cum canibus et porcis aliud insidiarum genus, multo periculosius illo. Illi enim sunt manifesti, et palam aggrediuntur; hi vero occulti. Ideo ab illis quidem abstinere jussit, ab his vero diligentissime cavere, ac si difficile sit ad primum illos congressum explorare : ideoque dixit: « Attendite, » ut ad illos internoscendos redderet diligentiores. Deinde ne audientes in arcta et angusta multisque contraria via incedendum esse, a porcis et canibus cavendum, insuperque a maligniori genere, nempe luporum; ne tristium rerum multitudine concidant, in contrariam multis incessuri viam, prætereaque his de rebus solliciti futuri, quædam tempore patrum suorum gesta memoravit, pseudoprophetas in medium adducens, prisce namque talia contigerunt. « Nolite ergo ter» reri [2], » inquit : nihil enim novum, nihil inauditum accidet. Veritati namque fallaciam semper substituit diabolus. Pseudoprophetas autem hic, non hæreticos mihi subindicare videtur; sed eos, qui cum corrupti moribus et vita sint, virtutis larvam circumferunt, quos seductores vocare multi solent. Quamobrem subjunxit dicens : « Ex fructibus » eorum cognoscetis eos [3]. » Nam apud hæreticos quidem honesta vita sæpe reperitur, apud hos autem, quos dixi, nunquam. Quid igitur, inquies, si mores fingant honestos? Sed facile capientur. Talis quippe est hujus viæ natura, qua incedere jussi, laboriosa nempe et dura. Hypocrita vero laborem ferre nolit, sed simulare tantum; ideoque

[1] Matth. vii, 15. — [2] Luc. xxi, 9. — [3] Matth. vii, 16.

facile deprehenditur. Quia enim dixit : « Pauci sunt qui » inveniunt eam, » secernit eos ab illis, qui cum non invenerint, invenisse tamen se simulant, jubens non ad illos, qui larvam circumferunt, respicere, sed ad illos qui vere et ex animo in illa incedunt. Et qua de causa, inquies, non illos notos fecit, sed nos in explorandi curam conjecit? Ut vigilemus, et solliciti semper simus, dum cavemus non modo ab inimicis illis qui palam tales sunt, sed ab iis etiam qui sese occultant : quos subindicans Paulus dicebat : « Et » per dulces sermones seducunt corda innocentium [1]. » Ne itaque turbemur, cum multos hujuscemodi etiam nunc videmus. Nam et illud supra Christus prædixit.

VII. Et perpende ejus mansuetudinem. Non enim dixit: « Punite illos, » sed « Cavete ne ab illis lædamini, ne incauti in illos incidatis. » Deinde ne dicas non posse hujusmodi homines internosci, ab hominum exemplo rursus ratiocinium adhibet dicens : « Numquid colligunt de spinis uvas, aut de » tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit; » mala autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor » bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos » facere [2]. » Quod autem dicit hujusmodi est : nihil habent mite vel dulce; pellem solum ovis gestant, ideo facile internoscuntur. Et ne vel minimum dubites, naturalibus necessitatibus comparat ea quæ aliter fieri non possunt. Quod etiam Paulus dicebat : « Sapientia enim carnis, mors est : » legi enim Dei non subjicitur : neque enim potest [3]. » Quod autem illud secundo ponat, non est superflua repetitio verborum. Ne quis enim diceret : « Arbor mala fructus quidem fert malos, sed fert etiam bonos; et cum duplices ferat, difficile est illos internoscere. » At res, inquit, non ita se habet, malos tantum affert, bonos nunquam; ut et e contrario. Quid igitur? Annon est vir bonus, qui malus effi-

[1] Rom. xvi, 18. — [2] Matth. vii, 16-18. — [3] Rom. viii, 6.

ciatur, ac vicissim dicendum e contrario : multis hujusmodi exemplis plenum est hominum genus. Sed Christus non illud dicit, nempe non posse malum hominem mutari, neque bonum cadere. Verum donec in nequitia perseverat, bonum non afferet fructum. Mutari enim potest, et ex improbo bonus effici; sed in nequitia manens, fructum non afferet bonum. Quomodo ergo David, bonus cum esset, fructum malum tulit? Non manens bonus, sed mutatus : qui si perpetuo mansisset qualis erat, nunquam talem fructum tulisset. Nam si in virtutis gradu mansisset, non ausus esset talia perpetrare. Hæc autem dicebat, ut temere obloquentium et criminantium ora frenaret. Quia enim plurimi bonos ex improbis æstimant, ut illis omnem excusationem adimeret hoc dixit. Neque enim dicere possis : « Circumventus sum atque deceptus. » Nam accuratam tibi dedi ex operibus notitiam, jubens per ipsos actus procedere, neque omnia temere turbare. Deinde quia non eos ulcisci jussit, sed cavere ab illis, ut eos qui ab illis læderentur consoletur, simulque ut lædentes deterreat et in meliora convertat, pœnam ab se ipsis infligendam statuit et firmavit dicens : « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur » et in ignem mittetur [1]. » Deinde sermonem aliquantulum temperans intulit. « Igitur ex fructibus eorum cognoscetis » eos. » Ne autem comminationem maxime videretur inducere, quasi per admonitionem et consilium videtur illorum animum movere. Hic vero mihi Judæos subindicare videtur, qui tales proferebant fructus. Ideoque Joannis dicta memoravit, per eadem ipsa nomina supplicium illis describens. Nam et ille hæc dicebat, securim, arborem excidendam et ignem inextinguibilem illis commemorans. Videturque una tantum pœna esse, nempe combustio. Si vero quis hæc accurate exploret, duplex hic supplicium est.

[1] Matth, vii, 19. — [2] Ibid. 20.

Nam qui comburitur, a regno excidit omnino. Hæc vero pœna major est. Novi certe multos ex gehennæ tantum nomine horrere. Ego tamen multo graviorem esse pœnam duco a gloria illa excidere, quam gehennam subire. Si vero id non possit sermone monstrari, nihil mirum. Neque enim novimus bonorum illorum beatitudinem, ut perditæ ipsius miseriam æstimemus : siquidem Paulus qui hæc probe noverat, sciebat excidere e gratia Christi rem esse omnium gravissimam. Et hoc nos quoque sciemus, cum in rei experimentum inciderimus.

VIII. Sed faxis ne hoc patiamur, o unigenite Dei Fili, neque intolerandi istius supplicii unquam experimentum sumamus. Quantum enim sit malum a bonis illis excidere, clare cognosci nequit. Attamen pro virili mea conabor atque contendam hoc vobis per exemplum saltem tantillum monstrare. Supponamus esse puellum mirabilem, qui virtute florens totius etiam orbis imperium obtineat, tantaque virtute præditum, ut possit omnium affectum in se ita commovere, ut universi illum paterno diligant amore. Quid non putatis patrem ejus passurum esse, ne talis filii privetur colloquio? quid aut parvum aut magnum mali non susceplurum, ut illum videat, illoque perfruatur? Hoc igitur et de gloria illa cogitemus. Neque enim filius quantalibet virtute decoretur, ita patri desiderabilis et amabilis est, ut sortem illam bonorum accipere, ac resolvi et esse cum Christo. Intolerabilis quippe est illa gehenna, illaque pœna. Attamen licet mille quis gehennas proposuerit, nihil tale dicturus est, quale est ex beata illa excidere gloria, Christo exosum esse, audire ab illo : « Non novi vos, » accusari quod esurientem illum cum videremus, cibum negaverimus. Etenim melius est mille fulminibus obrui, quam vultum illum mansuetum videre nos aversantem, et placidum oculum nos aspicere non sustinentem. Nam si me ille inimi-

cum se odio habentem et aversantem ita excepit, ut nec sibi ipsi parceret, sed se ad mortem traderet; cum post illa omnia, nec esurienti quidem panem porrigere dignatus fuero, quibus demum oculis ipsum respiciam? Hic vero perpende ejus mansuetudinem. Neque enim beneficia sua commemorat, neque te, cui tot bona contulit, illum despicere quæritur. Neque enim dicit : « Me-ne despicis, qui te ex nihilo produxi; qui tibi animam insufflavi; qui te omnibus, quæ in terra sunt, præfeci; qui propter te cœlum, terram, mare, aërem, et omnia quæ existunt feci; qui a te inhonoratus sum et diabolo vilior existimatus; qui neque sic destiti, sed millia posthæc in tui gratiam excogitavi; qui servus esse volui; qui alapis cæsus, consputus et occisus sum, mortem passus turpissimam; qui etiam in cœlo pro te supplico; qui Spiritum tibi largitus sum; qui te regno dignatus sum; qui talia promisi tibi; qui caput tuum esse volui; qui sponsus sum, vestis, domus, radix, esca, potus, pastor, rex, frater; qui te hæredem et cohæredem elegi; qui ex tenebris ad potestatem lucis te eduxi? » Cum hæc et his plura dicere posset, nihil tale dixit. Sed quid? solum illud protulit peccatum. Hic vero dilectionem ostendit et amorem, quo te prosequitur. Neque enim dixit : « Ite in ignem paratum vobis, » sed « Paratum diabolo. » Priusque dicit quænam illi peccaverint, neque tamen omnia dicere sustinet, sed pauca. Et ante hos illos vocat qui bona fecerunt, ut hinc ostenderet se recte accusare. Quanto ergo supplicio hæc verba non sint sæviora? Si quis enim hominem a quo beneficio affectus sit esurientem videns, non despiciat : quod si despiciat, exprobratus potius eligat in terram defodi, quam duobus vel tribus amicis testibus talia audire; quid nos patiemur toto orbe teste talia audientes : quæ ne quidem tunc ille diceret, nisi causam ipse suam defendere vellet? Quod enim non exprobrans id ille dicat, sed sese

purgans, et ut ostendat se non frustra vel sine causa dicere : « Discedite a me, » palam est ex ejus ingentibus beneficiis. Nam si exprobrare voluisset, illa omnia in medium adduxisset : nunc autem ea solum dicit quæ passus est.

IX. Timeamus itaque, dilecti, hæc audire verba. Non est lusus hæc vita; imo potius hæc vita lusus est, futura vero non lusus sunt. Forte autem non lusus tantum est vita, sed lusu deterior. Non enim desinit in risum, sed magnum infert damnum iis, qui non diligenter mores suos componere volunt. In quo enim, quæso, a pueris ludentibus et domos ædificantibus differimus, qui splendidas construimus ædes? Quæ differentia inter illos prandentes et nos laute convivantes? Nulla, nisi in quantum nos supplicio plectendi id facimus. Quod si nondum harumce rerum vilitatem perspicimus, non est mirandum; nondum enim ad virorum maturitatem pervenimus : cum autem pervenerimus, intelligemus hæc omnia puerilia esse. Nam et illa quando viri sumus irridemus, quæ cum pueri essemus putabamus alicujus esse momenti : testas et lutum aggerentes, non minus altum sapiebamus, quam ii qui magna septa construunt. Verum hæc statim pereunt et cadunt, neque si starent, nobis utilia essent; quemadmodum neque illæ ædes splendidæ. Nam illæ cœli civem capere non possent : neque in illis habitare dignaretur qui supernam obtinet patriam. Verum ut nos pedibus puerilia illa destruimus; sic ille animo tales ædes subvertit. Et quemadmodum nos, dum pueri de ruina plorant, ridemus; sic et isti, nobis de subversione mœrentibus, non modo rident, sed etiam plorant : quoniam eorum viscera commiseratione plena sunt, ac quia multum nobis inde oritur detrimentum. Simus ergo viri. Usquequo humi serpemus, in lapidibus et lignis altum sapiemus? Usquequo ludemus? Atque utinam solum luderemus : nunc autem nostram prodimus salutem :

ac quemadmodum pueri, cum neglectis litteris in his ludis otium consumunt, durissimis verberibus subjacent; sic et nos, qui in his totum studium consumimus, cum a nobis disciplinarum ratio per opera exigetur, quia reddere non poterimus, extremum luemus supplicium. Nemoque erit qui liberet, etiamsi pater, etiamsi frater vel quivis alius. Sed hæc omnia abscedent, pœna autem ex illis parta, æterna ac perpetua manebit : id quod etiam pueris accidit, ob quorum negligentiam patres ludicra illa puerilia de medio tollunt, ipsosque ad assiduas lacrymas compellunt. Ut autem discas ita rem se habere, id quod maxime studia hominum occupare videtur, nempe divitias, in medium adducamus, ipsisque opponamus quamcumque volueris animi virtutem, et tunc maxime earum vilitatem agnituras es. Ponamus ergo duos esse homines; necdum loquar de avaritia, sed de divitiis juste partis : ex hisce duobus alius congreget divitias, mare navibus transmeet, terram colat, multosque alios negotiationis modos inveniat; etiamsi nesciam utrum hæc faciens possit juste lucrari; attamen supponamus hæc lucra legitima esse : agros emat, servos, et similia multa, nullaque sit in his rebus injustitia. Alter vero æque dives, vendat domos et vasa aurea argenteaque, egenis largiatur, pauperesque foveat, ægros curet, in necessitate positos solvat, alios a vinculis eximat, ad metalla damnatos liberet, laqueo se suspendentes dejiciat, captivos a pœnis liberet. Cujus ergo partis esse mavultis? Nondum tamen de futuris, sed de præsentibus locuti sumus. Quam igitur partem amplecti mavultis? An aurum congregantis, an aliorum calamitates solventis? An agros ementis, an ejus qui sese portum humano generi constituit? Ejus qui multo circumdatur auro, an ejus qui mille laudibus coronatur? Annon ille quidem Angelus est, qui de cœlo ad cæterorum emendationem descendit, hic vero non homine, sed puero

cuidam similis, omnia frustra colligenti? Si vero etiam juste pecunias colligere, res adeo ridicula et extremæ dementiæ est, quando quis non juste colligit, quomodo non omnium miserrimus fuerit? Si autem res adeo sit ridicula, cum etiam his accedat et gehenna et regni amissio, quot ille lacrymis dignus fuerit et vivus et mortuus?

X. Sed aliam quoque, si vis, virtutis partem exploremus. Rursus alium in medium agamus hominem, in potentia constitutum, omnibus imperantem, dignitate magna stipatum, præconem splendidum habentem, balteum item, lictores, magnumque clientium numerum: annon hoc magnum videtur esse et felicitate plenum? Age, et illi rursum opponamus alterum patientem, mitem, humilem, et magnanimum: hic vero injuriis impetatur, vapulet, et hæc patienter ferat, atque hæc inferentibus benedicat. Uter, quæso, mirabilis, ille ne inflatus et tumens, an hic ita dejectus? Annon hic similis est cœlestibus Virtutibus, quæ nullo animi motu turbantur; ille autem vesicæ inflatæ, aut homini hydropico, atque admodum tumenti? nonne hic medico spirituali, ille autem puero buccam inflanti et ridiculo? Cur altum sapis, o homo! An quod sublimis in curru veheris? An quod te trahit mulorum jugum? Ecquid hoc? Idipsum in lignis et in saxis videre est? An quia magnifico fulges vestitu? Sed respice illum virtute vestimentorum vice amictum, et te videbis fœno putrido similem, illum vero arbori pulchrum emittenti fructum, qui multam spectantibus lætitiam afferat. Tu quidem vermium escam circumfers, atque tincarum, quæ, si te aggrediantur, cito te hoc nudatum ornatu reddent. Nam vestimentum, aurum et argentum, aliud quidem vermium filis constat, aliud terra, et pulvis est, iterumque terra, et præterea nihil. Qui autem virtute circumornatur, talem habet vestem, quam non modo tinea, sed ne mors quidem ipsa la-

befactare valeat, et jure quidem merito. Neque enim hæ animi virtutes ex terra exordium ducunt, sed sunt fructus Spiritus; quaproter vermium ori non patent : nam in cœlo hujusmodi vestimenta texuntur, ubi nec tinea, nec vermis, nec aliquid simile est. Quid igitur, quæso, melius, divitem, an pauperem esse? an potentem? an inhonoratum esse? lauta frui mensa, an famem experiri? Procul dubio, in honore, deliciis, divitiisque vivere. Si ergo res ipsas, non nomina velis, terra atque terrenis relictis, in cœlum te transfer. Siquidem præsentia umbra sunt, illa vero, res immotæ, firmæ, quæ non abripi possint. Hæc nos igitur cum studio deligamus, ut et a tumultu præsentium rerum liberemur, et ad tranquillum portum appellentes, cum multis sarcinis et ineffabilibus eleemosynæ opibus illic appareamus; quibus utinam omnes pleni ad horrendum tribunal adducti, regnum cœlorum consequamur gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIV.

CAPUT VII.

Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est [1].

I. Cur non dixit : «Sed qui facit voluntatem meam?» Quia hoc interim poterant libentius accipere. Illud enim, perpensa illorum infirmitate, tunc magnum admodum erat.

[1] Matth. VII, 21.

Alioquin vero per illud hoc ipsum etiam subindicavit. Ad hæc autem illud insuper dicendum non esse aliam Filii, aliam Patris voluntatem. Hic vero mihi maxime videtur Judæos perstringere, qui in dogmatibus summam rerum ponebant, nec de vita probe agenda curabant. Ideo illos Paulus coarguit dicens : « Ecce tu Judæus cognominaris, » et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem [1]. » Verum nihil tibi ex illa accedit, quando vitæ et operum exemplum non adest. Ille autem non hic substitit, sed quod multo majus erat dixit : « Multi enim dicent mihi » in die illa : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus [2] ? » Non enim solum, inquit, qui fidem habet, si vita negligatur, ex cœlis excluditur; sed etiamsi cum fide multa signa ediderit, nec boni quidpiam fecerit, a sacris similiter portis repelletur. « Multi enim mihi dicent » in die illa : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus ? » Vides-ne quomodo sese latenter postea simul inducat ? Postquam totam absolvit concionem, se quoque judicem ostendit ? Nam quod ultio peccatores sit invasura, jam prius ostenderat : quis autem ultor futurus esset, hic demum revelat ; nec clare dixit : « Ego sum ; » sed, « Multi dicent mihi, » idipsum rursus indicans. Nisi enim ipse judex esset, quomodo dixisset eis : « Et tunc confitebor » eis, discedite a me, nunquam novi vos [3] ? » Non solum in die judicii, sed neque etiam cum miracula ediderit is. Ideoque Discipulis dicebat : « Nolite gaudere quia dæmo- » nia vobis subjiciuntur, sed quia nomina vestra scripta » sunt in cœlis [4]. » Et ubique multam jubet vitæ curam agere. Neque enim fieri unquam potest, ut homo recte vitam instituens, et omnibus animi morbis liberatus, despiciatur ; sed etsi aliquando erraverit, cito illum Deus ad

[1] Rom. II, 17. — [2] Matth. VII, 22, — [3] Ibid. 23. — [4] Luc. X, 20.

notitiam veritatis pertrahet. Verum quidam sunt, qui dicunt ipsos ita dixisse mentiendo, ideoque salutem non esse consecutos. Ergo contra, quam voluerat, astruit. Illud quippe vult hic ostendere fidem nihil sine operibus valere. Deinde id extendens, signa addidit : ostendens non modo fidem, sed etiam signorum operationem operanti prodesse nihil sine virtute. Nisi autem illi signa fecissent, quomodo hæc stare hoc loco potuissent ? Alioquin autem non ausi fuissent, præsente judicio, his illum alloqui. Ipsa autem responsio, tum etiam quod ipsi interrogando loquantur, ostendit ipsos id vere fecisse. Quia enim expectationi suæ contrarium finem esse videbant, et hic mirabilia patrando conspicui, illic se supplicio plectendos cernebant, stupefacti et mirantes dicunt : « Domine, Domine, » nonne in nomine tuo prophetavimus? » Quomodo ergo nunc nos aversaris? Quid sibi vult inexpectatus ille finis? Sed illi quidem mirantur, quod post talia edita opera puniantur. Tu vero ne mireris. Omnis quippe gratia, ex dantis munere prodit : illi vero nihil a seipsis attulerunt, ideoque jure supplicio traduntur, eo quod erga eum, qui sic illos honoraverat, ut indignis talem gratiam tribueret, ingrati fuerint. Cur ergo, inquies, iniquitati dantes operam, talia signa edebant? Sunt qui dicant eos, quo tempore miracula patrabant, inique non egisse : sed postea mutatos mala fuisse operatos. Verum si hoc ita esset, non posset stare sententia. Nam quod Christus demonstrare volebat, hoc erat, neque fidem, neque miracula valere, vita non consentiente : quod et Paulus dicebat : « Si habuero fidem » ita ut montes transferam, et novero mysteria omnia et » omnem notitiam, charitatem autem non habeam, nihil » sum [1]. » Quinam igitur, inquies, isti sunt? Multi credentium dona acceperant ; qualis erat ille, qui cum ipsum non

[1] 1 Cor. XIII, 2.

sequeretur, tamen dæmonia ejiciebat : qualis erat Judas : nam hic quoque, cum malus esset, donum acceperat. In veteri quoque lege id reperire est, gratiam nempe in indignis sæpe operantem, ut aliis beneficia conferret. Quia enim non omnes ad omnia idonei erant ; sed alii quidem vitam puram agebant, neque tanta fide prædili erant, alii vero e contrario ; et his utitur, ut illos moneat, ut multam fidem exhibeant, et illos per ineffabile hoc donum evocat, ut meliores evadant.

II. Ideoque abunda.ntissime gratiam dabat. « Virtutes, » inquiunt, multas fecimus. Sed confitebor illis tunc : Non » novi vos. » Nunc quidem se amicos meos esse putant ; tunc vero cognoscent me illis non ut amicis dedisse. Ecquid miraris si viris quidem in ipsum credentibus, sed vitam non habentibus consonam, munera illa dedit ; quando in iis quoque qui utroque hujusmodi bono vacui erant, invenitur operatus? Balaam quippe et a fide et a bona vita alienus erat [1] ; attamen gratia in illo ad aliorum res providendas operata est. Etiamque Pharao talis erat, et tamen ipsi quoque futura ostendit. Et Nabuchodonosori iniquissimo ea, quæ post multas generationes futura erant revelavit [2]. Ipsius quoque filio qui patrem iniquitate superabat, futura ostendit, mirabiles magnasque res ita dispensans. Quia igitur prædicationis exordia tum erant, multaque oportebat ejus potentiæ argumenta monstrari, multi ex indignorum etiam numero dona accipiebant. Attamen illi ex istiusmodi signis nihil lucrabantur, sed etiam graviori supplicio puniuntur. Ideoque hanc terribilem vocem emisit ipsis, « Nunquam novi vos. » Multos enim hic odit, et ante judicium aversatur. Timeamus itaque, dilecti, et multam instituendæ vitæ curam impendamus : neque putemus minus nos habere, quia signa nunc non facimus. Nihil enim

[1] Num. XXIV. — [2] Dan. II.

unquam amplius ex signis nobis reddetur, sicut nihil minus eo quod signa non edamus si virtutibus omnibus demus operam. Signorum quippe debitores non sumus, pro bona autem vita et operibus, Deum habemus debitorem. Quia igitur ille cuncta perfecit, et de virtute accuratissime disseruit, ac virtutem simulantes a probis diversos esse ostendit; illos nempe qui jejunarent vel orarent ad ostentationem, eos qui sub pelle ovium accederent, eos qui virtutem labefactarent, quos et porcos et canes vocavit; ostendens demum quantum esset vel in hac vita virtutis lucrum, quantumque emergeret ex improbitate nocumentum, dicit: « Omnis qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur » viro sapienti [1]. » Nam qui verba ejus non observant, etiamsi signa faciant, quæ passuri sint audistis. Sciatis autem oportet, quibus fruentur bonis ii, qui dictis omnibus obsequuntur, non in futuro tantum sæculo, sed etiam in præsenti. « Omnis, inquit, qui audit verba mea hæc, et facit ea, as- » similabitur viro sapienti. » Vides quomodo sermonem variet, modo dicens : « Non omnis qui dicit mihi, Domine, » Domine, » seseque revelans : modo autem, « Qui facit vo- » luntatem Patris mei : » et rursus se judicem declarans. « Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in » nomine tuo prophetavimus? Et dicam eis: Non novi vos. » Hic quoque ostendit se omnium potestatem habere. Quapropter dicebat : « Qui audit verba mea hæc. » Quia enim omnia de futuris disseruit, et regnum memorans, et mercedem ineffabilem, et consolationem et similia, vult eos hinc proferre fructus suos, et ostendere quanta sit in præsenti vita virtutis vis. Quæ ergo est virtutis vis? Cum securitate vivere, nullis cedere ærumnis, lædentibus omnibus superiorem esse. Cui quid par esse possit? Illud enim ne is quidem qui diademate redimitur, sibi potest comparare,

[1] Matth. VII, 24.

sed ille solus qui virtuti dat operam. Ipse quippe solus hæc cum magno cumulo possidet, in hoc præsentium rerum Euripo multa fruens tranquillitate. Nam quod mirabile est, cum nulla serenitas sit, sed tempestas vehemens et multa perturbatio, plurimæque tentationes, non potest ipse vel tantillum nutare. Nam ait : « Descendit pluvia, venerunt »flumina, flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, »et non cecidit : fundata enim erat supra petram[1]. » Pluviam hic et flumina, et ventos metaphorice vocans humanas calamitates et ærumnas, videlicet calumnias, insidias, luctus, mortes, domestica damna, molestias ab alienis creatas, omniaque cætera mala in præsentem vitam ingruentia. Sed hujusmodi anima, inquit, nulli rei cedit. Hujus autem rei causa est quod sit supra petram fundata. Petram autem vocat doctrinæ suæ firmitatem. Etenim petra fortiora sunt præcepta, hominemque faciunt humanis omnibus fluctibus superiorem. Qui enim hæc diligenter observat, non modo hominibus nocere tentantibus superior erit, sed etiam ipsis dæmonibus insidiantibus.

III. Quod autem hæc non per jactantiam sint dicta, testis nobis est Job, qui omnes diaboli impetus excepit, immotusque mansit, testificari possunt et Apostoli, qui, omnibus orbis fluctibus in se irrumpentibus, populis item, tyrannis, domesticis et alienis, dæmonibus, diabolo, omnique admota machina, his solutis omnibus, petra firmiores steterunt. Quid igitur hujusmodi vita beatius esse possit? Hoc enim non divitiæ, non corporis robur, non gloria, non potentia, neque aliud quidpiam, sed sola virtutis possessio poterit conciliare. Non potest enim, non potest certe alia reperiri vita malis omnibus libera, nisi hæc una tantum. Vos quoque testes estis, qui videtis in regia insidias, qui tumultus et perturbationes conspicitis in divitum ædibus.

[1] Matth. VII, 25.

Sed apud Apostolos nihil simile. Quid igitur, an nihil tale experti sunt? nihil-ne molestum ab aliquo sunt perpessi? Sed hoc omnium mirabilissimum est, quod multas passi sint insidias, quod multæ tempestates in eos irruperint, quæ ipsorum animum non everterunt, neque illorum constantiam fregerunt, imo etiam nudis corporibus pugnantes, vicerunt, superioresque evaserunt. Et tu itaque si velis hæc accurate observare, omnia deridebis : modo enim harum adhortationum philosophia munitus sis, nihil te in mœrorem conjicere poterit. In quo enim te lædet, is qui insidias struxerit? An pecunias auferet? sed ante minas illius jussus es illas contemnere, et ita ab illis animum abducere, ut nunquam a Domino hujusmodi quidpiam petas. Sed te in carcerem conjiciet? At ante carcerem ita te vivere præcepit, ut mundo omnino crucifixus sis. Sed male de te loquitur? Verum hoc te dolore liberavit Christus, dum tibi multam, citra laborem, patientiæ pollicitus est mercedem, atque ita te purum ad hujusmodi ira et labore reddidit, ut jusserit etiam pro inimicis orare. Sed pellit te et innumeris obsidet malis? At splendidiorem tibi parat coronam. Sed te occidit et jugulat? Sic ideo maxime tibi beneficium præstat, Martyrum tibi præmia parans, et citius te mittens in tranquillum portum, majorisque tibi retributionis dans occasionem, ac tibi providens, ut a communi illa reddenda ratione te expedias. Idque maxime omnium mirandum est, quod nempe non modo nihil lædant insidiatores, sed etiam splendidiores illos reddant quos impetunt. Cui bono quid par unquam fuerit, quando talis deligitur vita, qualis hæc sola existit? Quia enim dixerat arctam et angustam esse viam, hinc laboris consolationem afferens, ostendit magnam in illa esse securitatem, magnam voluptatem, sicut in contraria magnam pravitatem, ingens damnum. Quemadmodum enim hinc virtutis præmia monstravit, sic et ne-

quitiæ retributionem. Nam quod dicere consuevi, hoc etiam nunc dicam, ex utroque salutem auditorum ubique operatur, ex virtutis studio, et ex odio nequitiæ. Quia enim quidam futuri erant qui dicta quidem mirarentur, neque tamen bona exhiberent opera, illos præveniens terret ac dicit : etiamsi pulchra sint ea, quæ dicuntur, non sufficere tamen auditum ad salutem, sed oportere per opera obsequi : totum autem hac in re præcipue versatur, atque hic sermonem concludit, validumque ipsis timorem relinquit. Quemadmodum enim cum de virtute ageretur, non solum ex futuris incitabat, regnum memorans, cœlos, mercedem ineffabilem, consolationem, innumeraque bona, sed etiam a præsentibus, dum firmitatem immobilitatemque petræ ostendit; sic et cum de malitia agitur, non modo terret ab iis quæ expectantur, ut ab excisa arbore, igne inextinguibili, ingressu regni intercluso, ab hoc dicto : « Non novi » vos ; » sed etiam ex præsentibus, nempe ex ruina domus. Ideoque cum majori emphasi sermonem instituit, parabola illum exornans. Non enim satis erat dixisse virtute præditum invictum fore, improbum captu facilem; sed petram posuit, domum, flumina, pluviam et ventum, ac similia. « Omnis, inquit, qui audit sermones hos meos, et non facit » eos, assimilabitur viro stulto, qui ædificavit domum suam » super arenam [1]. » Recte autem stultum hunc vocavit. Quid enim stultius fuerit homine super arenam ædificante, et laborem quidem ferente, fructu vero et requie sese privante, proque hac re supplicium sustinente? Quod autem ii, qui nequitiæ se dedunt, laborent, nemini non notum est : nam raptor, adulterus, sycophanta, multum laborant multaque sustinent, ut malitiam suam ad finem deducant; sed non modo nullum referunt fructum, verum etiam damnum grande patiuntur. Nam et Paulus idipsum subindi-

[1] Matth. VII, 26.

cans dicebat : « Qui seminat in carne sua, de carne sua » metet corruptionem [1]. » Huic similes sunt qui super arenam ædificant; verbi gratia, qui in fornicatione, qui in luxuria, qui in ebrietate, qui in iracundia, qui in aliis omnibus.

IV. Talis erat Achab; sed non talis Elias. Etenim e regione ponentes virtutes et vitia, illorum differentiam accuratius agnoscemus. Ille namque super petram ædificavit, hic vero super arenam. Ideoque rex cum esset, Prophetam metuebat et formidabat, qui Propheta melote tantum erat indutus. Tales erant Judæi, sed non Apostoli. Quamobrem hi pauci cum essent et vincti, firmitatem petræ ostendebant; illi vero etsi multi et armati, infirmitatem arenæ. Dicebant enim : « Quid faciemus hominibus istis [2] ? » Videsne illos in angustia versari; non autem eos qui captivi erant et vincti, sed qui detinebant et vinxerant? Quo quid insolentius videatur? Tu detines et dubitas? jure quidem. Quia enim omnia super arenam ædificaverant; ideo infirmiores omnibus erant. Idcirco dicebant denuo : « Quid » facitis volentes inducere super nos sanguinem hominis » hujus [3] ? » Quid dicit? Tu cædis, terres, lædis, et tu times? Tu judicas, et tu tremis? Sic infirma est malitia. Sed Apostoli non sic : « Non possumus nos quæ audivimus, » et vidimus non loqui [4]. » Vidisti-ne animum sublimem? Vidisti-ne petram fluctus ridentem? Vidisti-ne domum immobilem? Quodque mirabilius, non modo timidi non erant, quod insidiæ ipsis pararentur, sed etiam majorem fiduciam capiebant, illosque in majorem angustiam conjiciebant. Nam qui adamantem percutit, ipse est qui percutitur, et qui contra stimulum calcitrat, ipse est qui pungitur, et gravia accipit vulnera; et qui virtute præditis insidiatur, ipse est qui periclitatur. Malitia quippe tanto

[1] Galat. VI, 8. — [2] Act. IV, 16. — [3] Id. V, 28. — [4] Id. IV, 20.

infirmior efficitur, quanto magis contra virtutem aciem instruit. Ac quemadmodum qui ignem ligat in vestimento, flammam quidem non extinguit, sed vestimentum consumit; sic qui virtute præditos lædit, detinet, ligat; illos quidem splendidiores efficit, sese vero perdit. Etenim quanto graviora passus fueris, dum probe vitam ducis, tanto fortior evadis; quanto magis enim philosophiam colemus, tanto magis nullius egebimus : et quanto magis nullo egebimus, tanto fortiores erimus, et omnibus superiores : talis erat Joannes. Quamobrem nemo illi molestiam creabat; ille autem molestus erat Herodi, et qui nihil habebat, adversus regnantem insurrexit, qui diademate purpura multoque ornatu fulgens, omnibus nudatum timebat formidabatque, neque illum capite truncatum poterat sine metu respicere. Quod enim etiam post mortem non parvo timore affectus esset, audi quid dicat : « Hic est Joannes, quem occidi ego [1]. » Illud autem, « Occidi, » non est vox sese efferentis, sed metum suum solantis, et turbato animo suadentis, ut recordaretur homicidii in illum perpetrati. Tanta est virtutis fortitudo, ut etiam post mortem viventibus sit potentior. Ideoque ad eum dum viveret, qui multis erant pecuniis instructi, accedentes dicebant : « Quid faciemus? » Tot habetis, et ab eo qui nihil habet vultis ediscere viam vestræ felicitatis? A paupere divites? ab eo qui ne domum quidem habet, milites? Talis quoque erat Helias. Quamobrem cum eadem libertate ac fiducia populo loquebatur : ille namque dicebat, « Genimina viperarum [2] : » hic vero, « Usquequo » claudicatis utroque poplite vestro [3]? » Hic item dicebat, « Occidisti, et possedisti [4]; » ille vero, « Non licet tibi ha» bere uxorem Philippi fratris tui [5]. » Vidisti-ne petram?

[1] Luc. IX, 9. — [2] Matth. III, 7. — [3] 3 Reg. XVIII, 21. — [4] Id. XXI, 19. — [5] Matth. XIV, 4.

Vidisti-ne arenam quomodo facile decidat? quomodo calamitatibus cedat, quomodo subvertitur, etsi apud regem, etsi apud populum sit, etsi cum potentia? Illos enim, qui se adeunt, omnium stolidissimos reddit. Neque solum decidit, sed et cum multa calamitate. Etenim « Facta est, » inquit, ruina ejus magna valde [1]. » Neque enim in re vilis pretii periculum est, sed de anima agitur, de amissione cœlorum, et bonorum immortalium. Imo vero etiam ante illa omnia miseriorem hic vitam ducet ille malitiæ sectator, in mœroribus assiduis, timoribus, sollicitudinibus, certaminibus vitam agens : quod Sapiens quispiam subindicans dicebat : « Fugit impius nemine persequente [2]. » Hujusmodi quippe homines umbras tremunt, amicos suspectos habent, hostes, servos, notos sibi, ignotos, et ante supplicium hic extremas dant pœnas. Hæc porro omnia significans Christus dicebat : « Fuit ruina illius magna » valde : » consentaneo fine hæc pulchra præcepta claudens, et vel admodum incredulis suadens etiam ex præsenti rerum statu, ut fugiant nequitiam. Etiamsi enim major sit de futuris sermo, attamen hic magis idoneus sermo est ad crassiores homines cohibendos et a nequitia abducendos. Ideoque tali sine sermo clausus est, ut menti hærentem hinc utilitatem carperent. Hæc itaque omnia scientes tam præsentia quam futura, fugiamus malitiam, virtuti studeamus, ne frustra laboremus, sed et hic securitate fruamur, et illic gloriæ consortes simus. Quam utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. VII, 27. — [2] Prov. XXVIII, 1.

HOMILIA XXV.

CAPUT VII.

Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, mirabantur turbæ super doctrina ejus [1].

I. Certe [2] consequens erat, ut de oneroso sermone dolerent, torperentque ob præceptorum sublimitatem. Jam vero tanta erat docentis virtus, ut multos eorum caperet, atque in admirationem ingentem abriperet, suaderetque propter voluptatem ex sermone partam (2), ut ne postquam finem dicendi fecerat, ab illo discederent. Neque enim cum ex monte descendit, auditores abscesserunt, sed totum auditorum theatrum secutum est : tantum illis indiderat doctrinæ suæ amorem. Admirabantur autem maxime illius potestatem. Non enim ad alium dicta referens loquebatur ut Moyses, sed ubique ostendebat seipsum esse qui auctoritatem haberet. Nam cum leges sæpe pronuntiaret, adjiciebat : « Ego autem dico vobis : » et cum diem illum commemoraret, seipsum monstrabat judicem, et per supplicia et per præmia. Atqui hinc consequens videbatur esse, ut illi turbarentur. Nam si Scribæ, qui viderant illum per opera potentiam suam ostendere, lapidibus eum impetierunt et expulerunt, quomodo ubi verba tantum erant, quæ illam exhiberent, non verisimile erat hæc illis offendiculo fore, cum maxime hæc in exordio dicerentur, priusquam ille potentiæ suæ experimentum dedisset? Attamen nihil horum patiebantur : quando enim animus pro-

[1] Matth. VII, 28. — [2] Vide D. Guillon, tom. XII, pag. 436-443, et tom. XIV, pag. 75-80.

bus et frugi est, veritatis doctrinæ facile obtemperat. Quapropter illi quidem etiamsi ejus potentiam signa prædicarent, offendebantur; hi vero sermonem tantum audientes, obtemperabant et sequebantur. Hoc enim subindicans Evangelista dicebat: « Secutæ sunt eum turbæ multæ; » non aliqui ex principum et Scribarum numero, sed quotquot a nequitia liberi erant, sinceroque animo. Per totum autem Evangelium hos vides ipsi hærentes. Nam cum loquerentur, silentes audiebant, non interrumpentes, non interpellantes loquentem, non tentantes, nec occasionem captantes, quemadmodum Pharisæi. Post habitam porro concionem admirabundi sequebantur. Tu vero mihi consideres velim Domini prudentiam, quomodo variet ad audientium utilitatem, quomodo a miraculis ad verba, et mox a verbis ad miracula transeat. Nam priusquam ad montem ascenderet, multos curavit, ut iis quæ dicenda erant viam pararet. Et postquam hanc longam quæstionem absolverat, rursus ad miracula venit, factis dicta confirmans. Quia enim « Tan» quam potestatem habens docebat [1], » ne hic docendi modus fastum saperet aut ostentationem, operibus idipsum facit, et tanquam potestatem habens, morbos curat, ut ne ultra turbarentur ipsum videntes ita docentem, cum miracula sic ederet. « Cum descendisset enim de monte, » secutæ sunt eum turbæ multæ, et accessit leprosus di» cens : Domine, si vis, potes me mundare [2]. » Magna prudentia et fides accedentis : neque enim doctrinam interpellavit, neque auditorum theatrum secuit, sed opportunum expectavit tempus, et ubi Christus descendisset, accessit. Nec perfunctorie, sed multo cum fervore, et ante genua ejus ipsi supplicat, ut ait alter Evangelista, ac cum sincera fide, et congruenti circa illum opinione. Neque enim dixit: « Si Deum precatus fueris, » neque, « Si oraveris; » sed,

[1] Matth. VII, 29. — [2] Id. VIII, 1, 2.

« Si vis, potes me mundare [1]. » Neque dixit : « Domine, munda me, » sed ipsi cuncta committit, atque curandi dominum illum esse et potestatem ejus summam testificatur. Quid igitur, inquies, si falsa erat leprosi opinio? illam confutare oportuit, ipsumque increpare ac corrigere. Num igitur illud fecit? Nequaquam : imo dictum confirmat et roborat. Ideoque non dixit : « Mundare; » sed, « Volo, » mundare [2]; » ut non illius opinione, sed Christi sententia dogma firmaretur. At non sic Apostoli : sed quomodo? quia populus totus stupebat, dicebant illi : « Quid nobis » attenditis, quasi propria virtute vel potestate fecerimus » hunc ambulare? » Dominus vero, etsi multa modeste sæpe dixerat, quæ gloriæ suæ inferiora essent, idque ut veritatis doctrinam firmaret, quid dicit hic iis qui de potestate ipsius stupebant? « Volo, mundare : » Etsi cum tot tantaque signa fecisset, nunquam sic locutus fuisse videatur.

II. Hic vero, ut et populi et leprosi de potestate sua opinionem firmaret, ideo præmisit, « Volo. » Neque dixit, ut non faceret; sed statim opus secutum est. Si vero ille non bene dixisset, si blasphemiam protulisset, cohibendum erat opus. Nunc autem jussa natura cessit cum ea qua par erat celeritate, imo majore, quam Evangelista expresserit. Nam illud « Statim, » longe tardius est, quam operis celeritas fuit. Neque solum dixit: « Volo, mundare, » sed etiam « Ex- » tendens manum apprehendit eum. » At quod magis inquisitione dignum est. Cur voluntate ac verbo curans illum, manus tactum adjecit? Non alia de causa, arbitror, quam ut indicaret se non legi subjectum, sed supra legem esse; ac mundo deinceps nihil immundum fore. Elisæus quippe legi obsequens Naamanum ne respexit quidem, ut autem offensum audivit, quod non egressus esset, nec se tetigisset, ut legem accurate servaret, domi manens, misit eum

[1] Marc. I, 40. — [2] Matth. VIII, 3.

ad Jordanem, ut sese ablueret. Dominus vero ostendit se non ut servum, sed ut dominum curare, tangitque leprosum. Neque enim manus per lepram immunda facta est; sed leprosum corpus a sancta manu mundatum est. Non enim corpora curaturus tantum advenerat, sed animam quoque ad philosophiam deducturus. Sicut ergo non lotis manibus manducare, non ultra prohibitum esse dicit, cum optimam illam de ciborum indifferentia legem inducit; sic et hoc loco agit, docetque animum oportere curari, sublatisque externis illis purificationibus, illam esse abstergendam, ipsiusque tantum lepram esse timendam, quæ est peccatum. Nam leprosum esse, nullum ad salutem impedimentum affert. Primus ipse leprosum tangit, et nemo criminatur. Neque enim corruptum erat tribunal, neque invidia correpti spectatores erant. Ideoque non modo non calumniati sunt; sed stupore perculsi de miraculo, cesserunt, ex dictis et factis invictam ejus potentiam adorantes. Cum corpus ergo curasset, præcepit ut nemini diceret, sed « Ostenderet se sacerdoti, et munus offerret, quod præ» cepit Moyses in testimonium illis [1]. » Quidam dicunt ideo illum præcepisse ut nemini diceret, ne maligne agerent circa mundationis examen; sed hæc insipienter admodum suspicantur. Neque enim ita mundavit, ut aliquis maneret de mundatione dubitandi locus. Sed nemini dicere jubet, docens ut a fastu et ambitione abstineatur. Certe noverat ille ipsum non esse taciturum, sed benefactorem esse celebraturum. Attamen quod penes se erat fecit. Cur ergo, inquies, alibi publicare jussit? Non secum pugnans, neque contraria jubens, sed ut doceret gratos esse oportere. Neque enim ibi præcepit ut se celebrarent, sed ut darent gloriam Deo. Per hunc quidem leprosum docens nos ut sine fastu simus et vanam gloriam fugiamus; per illum vero, ut

[1] Matth. VIII, 4, et Levit. XIV, 2.

grati et beneficiorum memores, atque nos instituens ubique ut laudem Domino referamus. Quia enim homines, ut plurimum, cum morbo laborant, Dei recordantur; morbo autem depulso, segniores evadunt; jubens et ægros et sanos assidue in mente Dominum habere, dicit : « Da gloriam » Deo. » Cur autem præcepit ut ostenderet se sacerdoti, et donum offerret? Ut hic legem impleret. Neque enim ubique solvebat illam, ut nec semper servabat : sed modo illud, modo aliud. Illud ut futuræ philosophiæ viam pararet; istud ut impudentem interim Judæorum linguam coërceret, et ad illorum infirmitatem se demitteret. Ecquid miraris, si in principio id egerit, quando et Apostoli postquam jussi sunt ad gentes migrare, et portas aperire ad doctrinam per totum orbem spargendam, legem excludere, præcepta renovare, vetera abrogare omnia; modo legem servare, modo illam transgredi deprehenduntur? Et quid hoc, inquies, ad legis custodiam confert, quod dicat : « Ostende » te sacerdoti? » Non parum confert. Erat quippe lex vetus, ut leprosus mundatus, ne sibi probandæ mundationis auctoritatem arrogaret, sed se ostenderet sacerdoti, ipsiusque rei demonstrationem præberet, ut ipsius calculo mundis annumeraretur. Nisi enim sacerdos dixisset mundatum fuisse leprosum, is cum immundis extra castra mansisset. Ideo ait : « Ostende te sacerdoti, et offer donum, quod præ- » cepit Moyses. » Non dixit: « Quod præcepi ego; » sed interim ad legem remittit, ut undique os ipsorum claudat. Ne dicerent enim ipsum sibi sacerdotum honorem rapuisse, opus ipse implevit, probationem ipsis remisit, et illos miraculorum suorum judices constituit. Tantum abest, inquit, ut pugnem vel cum Moyse, vel cum sacerdotibus, ut eos, qui a me beneficio affecti sunt, mittam qui illis obtemperent.

III. Quid porro illud est, « In testimonium illis? » In redargutionem, in accusationem, si non probe se gesserint.

Quia enim dicebant : « Ut seductorem et deceptorem persequimur, ut Deo adversarium et legis transgressorem. Tu mihi, inquit, testis eris illo tempore me non esse legis transgressorem : nam postquam te curavi, te ad legem remitto, atque ad sacerdotum probationem, » id quod erat colentis legem, et Moysem honorantis, nec antiquis dogmatibus adversantis. Quod si nihil inde lucri percipere debebant, hinc maxime tamen discas quantus penes illum sit legis honor, quia cum præsciret illos nihil inde fructus percepturos esse, tamen quæ penes se erant omnia implebat. Nam hoc ipsum præsciebat et prædicebat. Neque enim dicebat, in emendationem eorum, neque in doctrinam eorum ; sed, « In testimonium illis ; » id est, in accusationem, in confutationem et in testimonium, quod tibi a me omnia facta sint. Cum præscirem eos sine emendatione mansuros, ne sic quidem quæ facere oportebat omisi ; illi vero in malitia sua perstiterunt. Hoc et alibi dicitur : « Prædicabi- » tur hoc evangelium in universo mundo, in testimonium » omnibus gentibus, et tunc veniet finis [1], » gentibus scilicet non obedientibus, non obtemperantibus. Ne quis enim diceret : « Cur omnibus prædicas, cum non omnes credituri sint? » Ut omnia mea, ait, præstitisse videar, et nemo me postea incusare possit, quod non audierit. Nam ipsa prædicatio testimonium contra feret, nec poterunt postea dicere : « Non audivimus : » nam sermo pietatis in fines orbis terræ progressus est [2].

IV. Hæc igitur nos quoque cogitantes, quæ nostra sunt omnia erga proximum impleamus, Deoque semper gratias agamus. Etenim absurdum esset, cum quotidie ejus beneficiis fruamur, ne verbo quidem ejus gratiam confiteri, cum maxime confessio illam magnam nobis utilitatem afferat. Neque enim ille rebus eget nostris, sed nos ejus opibus

[1] Matth. xxiv, 14. — [2] Psal. xviii, 5.

egemus. Nam gratiarum actio illi quidem nihil adjicit, sed nos ipsi magis familiares facit. Nam si hominum beneficia in mentem revocemus, magis eorum amore succendimur, multo magis si Domini erga nos beneficia assidue in mente versemus, ad ejus mandata servanda studiosiores erimus. Ideo Paulus dicebat : « Grati estote [1]. » Beneficii enim optima custodia est beneficii memoria, et assidua gratiarum actio. Ideoque horrenda illa mysteria, tam salutaria, quæ in singulis collectis celebramus, Eucharistia appellantur, quia beneficiorum multorum commemoratio sunt, caputque ipsum divinæ providentiæ ostendunt, nosque per omnia apparant ad gratias agendas. Nam si ex Virgine nasci magnum est miraculum, ac stupore perculsus Evangelista dicebat : « Hoc autem totum factum est [2]; » immolari pro nobis in quo, quæso, statuemus loco. Nam si nasci « Totum » vocatur, crucifigi, et sanguinem pro nobis effundere, ac seipsum dare in cibum et convivium spirituale, quo nomine appellandum? Gratias ergo illi assidue agamus; hoc præcedat et verba et opera nostra. Gratias autem agamus non pro nostris tantum, sed etiam pro alienis bonis; ita enim et invidiam tollere poterimus, charitatemque fovere, sincerioremque facere. Neque enim poteris deinceps invideri in iis, de quibus gratias agis Domino. Idcirco sacerdos pro orbe, pro iis qui ante fuerunt, pro iis qui nunc sunt, pro iis qui jam nati, pro futuris nos gratias agere jubet, sacrificio illo proposito. Hoc enim nos et a terra liberat, et in cœlum transfert. Angelosque ex hominibus facit. Nam et illi statuto choro, pro beneficiis nobis collatis gratias agunt Deo dicentes : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in » hominibus beneplacitum [3]. » Et quid ad nos, inquies, qui nec in terra, nec homines sumus? Imo maxime ad nos :

[1] Colos. III, 15. — [2] Matth. I, 22. — [3] Luc. II, 14.

nam ita instituti sumus, ut conservos diligamus, ita ut illorum bona, nostra esse existimemus.

V. Ideo et Paulus in Epistolis suis ubique pro orbis totius bonis gratias agit. Nos itaque pro nostris, pro alienis, pro parvis, pro magnis assidue gratias agamus. Etiamsi enim parvum sit id quod datur, vel hinc magnum efficitur quod a Deo datum sit; imo vero nihil parvum ab illo datur, non solum quod ab illo præbeatur, sed etiam ipsa natura sua. Ut autem alia omnia mittam, quæ arenam numero vincunt, quid par est pro nobis factæ œconomiæ, sive incarnationi? Quod enim illi pretiosissimum omnium erat, Unigenitum filium pro nobis inimicis dedit: nec dedit modo nobis, sed et illum in mensam nobis apposuit, omnia pro nobis faciens, et dando, et nos pro his gratos efficiendo. Quia enim ut plurimum ingratus est homo, ubique ipse suscipit et apparat ea quæ ad nostram sunt utilitatem. Et quod Judæis agebat, ex locis, temporibus et festis beneficia ipsis in memoriam revocans, idipsum etiam hic fecit, ex sacrificii modo ad perennem beneficii hujusce memoriam nos inducens. Sic nemo ita studuit nos probos, magnos et per omnia gratos efficere, ut qui nos fecit Deus. Quapropter nos et invitos sæpe, et plurima ignorantes beneficiis afficit. Si autem id quod dictum est miraris, non in obscuro quopiam viro, sed in beato Paulo id contigisse ostendam. Etenim Beatus ille multis periculis et ærumnis exercitatus, sæpe rogabat Deum ut ab se tentationes auferret: verumtatem non ad petitionem, sed ad utilitatem ejus respexit Deus: idque declarans ait: « Sufficit tibi gratia »mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur [1]. » Itaque priusquam illi causam explicaret, invitum afficiebat beneficio, etiam ignorantem. Quid igitur magnum poscit, cum

[1] 2 Cor. XII, 9.

de tanta providentia gratos nos esse jubet? Obtemperemus itaque, et hoc ubique servemus. Etenim Judæos nihil sic perdidit, quam quod ingrati essent : multasque illas et frequentes plagas nihil aliud quam hoc induxit : imo etiam ante plagas animam eorum perdidit et labefactavit. « Ingrati » enim spes ut hibernalis pruina [1], inquit : » Ita torpere et emori cogit animam, ut illa corpora. Hoc vero procedit ex arrogantia, quod se quis putet dignum beneficio. Contritus autem, non pro bonis tantum, sed etiam pro iis, quæ adversa putantur, gratias habebit Deo, et quantumvis patiatur, non se tamen aliquid indigne passum putabit. Et nos itaque quanto magis in virtute proficiemus, tanto magis nos ipsos conteramus. Etenim hoc maxime virtus est. Sicut enim quanto acutius videmus, tanto magis ediscimus quantum a cœlo distemus; sic quanto magis in virtute proficimus, tanto magis docemur quantum sit inter Deum et nos intervallum. Nec sane minima pars est philosophiæ, cum meritum nostrum dignoscere possumus. Hic enim seipsum maxime novit, qui se nihil esse existimat. Ideoque David et Abraham, cum ad summum virtutis fastigium ascendissent, tunc maxime hanc exercuere virtutem : et hic quidem se pulverem et cinerem, ille vero se vermem vocabat : ac similiter omnes Sancti se miseros prædicant : contra vero is, qui arrogantia extollitur, sese maxime omnium ignorat. Quamobrem de superbis vulgo dicere solemus : « Non se novit, se prorsus ignorat. » Qui vero se ignorat, quem novit? Quemadmodum enim qui seipsum noverit, omnia cognoscet; sic qui se ignorat, neque alia noverit. Talis ille erat qui dicebat : « Supra cœlos » ponam solium meum [2]. » Quia enim seipsum ignoravit, cætera quoque omnia ignoravit. At non Paulus, qui se abortivum et minimum Sanctorum appellabat, neque post

[1] Sap. XVI, 25. — [2] Isaï, XIV, 13.

tot tantaque præclara opera se Apostoli nomine dignum esse putabat. Hunc itaque æmulemur et imitemur. Imitabimur autem si a terra ac terrenis negotiis liberemur. Nihil enim ita ignorantiam sui parit, ut sæcularium rerum affectus : nihilque ita sæcularium rerum affectum parit, ut ignorantia sui, siquidem unum pendet ab altero. Sicut enim is, qui externam gloriam amat, et præsentia magna esse putat, etiamsi id millies tentaverit, huic non seipsum nosce conceditur; sic qui seipsum despicit, se facile cognoscet. Cum vero sese didicerit, ad cæteras omnes virtutis partes procedet. Ut igitur pulchram hanc scientiam adipiscamur, liberati à rebus fluxis omnibus, quæ magnam in nobis succendunt flammam, et vilitatem nostram notam habentes, omnem exhibeamus humilitatem atque philosophiam, ut et præsentia et futura bona consequamur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, imperium, honor, cum sancto, bono et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVI.

CAPUT VIII.

Cum autem ingressus esset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur [1].

I. Leprosus [2] quidem cum descendisset de monte accessit : hic vero centurio postquam intrasset in Capharnaum. Cur ergo neque hic, neque ille in montem accesserunt ? Non ob

[1] Matth. VIII, 5, 6. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, p. 81-86.

segnitiem : nam uterque fide ardebat ; sed ne docentem interpellarent. Accedens autem dixit : « Puer meus jacet » in domo paralyticus, et male torquetur. » Quidam dicunt eum, ut sese excusaret, causam dixisse cur eum non adduxisset. Non enim poterat, inquiunt, paralyticus qui torquebatur, et extremum jam efflabat halitum, gestari. Nam eum jam in extremis fuisse narrat ita Lucas : « Et » moriturus erat [1]. » Ego vero id puto signum esse magnæ illius fidei, et multo majoris, quam eorum qui per tectum demiserunt. Quia enim probe sciebat solo Domini præcepto jacentem surgere posse, superfluum putabat esse ipsum adducere. Quid igitur Jesus ? Quod nusquam fecerat, hic fecit. Cum enim ubique supplicantium voluntatem sequeretur, hic prosilit, nec se curaturum tantum, sed domum quoque venturum pollicetur. Id vero facit ut centurionis virtutem discamus. Nisi enim hoc promisisset, sed dixisset : « Vade, sanetur puer tuus » nihil horum cognosceremus. Idipsum etiam erga Phœnissam mulierem fecit, etsi contrario modo. Hic enim nec vocatus in domum se esse venturum sponte dicit, ut discas centurionis fidem multamque humilitatem : in Phœnissa vero donum denegat, ipsamque perseverantem in dubium conjicit. Nam cum sagax et peritus sic medicus, contraria contrariis elicere novit. Et hic quidem per spontaneum adventum, illic vero per diuturnam dilationem et repulsam fidem mulieris aperit. Sic etiam erga Abrahamum fecit dicens : « Non celabo puerum meum Abraham [2]. » Ut discas illius amorem, et quantam de Sodomis providentiam gereret : et qui ad Lotum missi erant, ingredi domum ejus nolunt, ut Justi hospitalitatem edisceres. Quid igitur ait centurio ? « Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum [3]. » Audiamus quotquot volumus Christum excipere, ut nunc

[1] Luc. VII, 2. — [2] Gen. XVIII, 17. — [3] Matth. VIII, 8.

etiam possumus. Audiamus et imitemur, ac cum pari illum studio excipiamus : cum enim pauperem esurientem et nudum excipis, illum et excepisti et aluisti. « Sed tantum » dic verbo, et sanabitur puer meus [1]. » Vide centurionem perinde atque leprosum veram de Christo habuisse opinionem. Nam et ipse quoque non dixit : «Roga;» non dixit : «Precare, supplica ; » sed solum, « Impera. » Deinde timens ne per modestiam renueret, dixit : « Nam et ego homo sum sub » potestate constitutus, habens sub me milites ; et dico » huic : Vade, et vadit : et alii : Veni, et venit : et servo meo : » Fac hoc, et facit [2]. » Et quid inde, inquies, si centurio sic suspicatus sit? Nam id quæritur, si hoc Christus protulerit, et confirmaverit. Pulchre et admodum prudenter dicis. Ergo hoc ipsum videamus : nam inveniemus idipsum quod in leproso hic factum esse. Quemadmodum enim leprosus, « Si vis, » dixit, neque ex leproso tantum confirmatur Christi potentia, sed etiam ex Christi voce : non modo enim ejus opinionem non refutavit, sed etiam confirmavit, cum id, quod superfluum videbatur esse, adjecit, et dixit : « Volo, mundare, » ut ejus sententiam firmaret. Sic et hoc loco explorandum est num quid simile factum sit : nam inveniemus idipsum hic accidisse. Cum enim centurio talia dixisset, et tantæ potestati testimonium dedisset, non modo non reprehendit, sed et approbavit, imo amplius quidpiam fecit. Neque solum dixit Evangelista Christum ejus dicta laudasse ; sed et laudis sublimitatem indicans, dixit eum admiratum esse, neque tantum admiratum esse, sed etiam omni præsente populo, aliis exemplum dedisse, ut illum imitarentur. Vides-ne quomodo singuli, qui testificabantur ipsi, potentiam ipsius mirabantur, et stupebant turbæ de doctrina ejus, quia tanquam potestatem habens docebat, nec solum non re-

[1] Matth. VIII, 8. — [2] Ibid. 9.

prehendit, sed etiam cum eis de monte descendit, ac leproso mundato, illorum de se opinionem firmavit. Dicebat ille : « Si vis, potes me mundare ; » Nec modo illum non increpavit ; sed etiam ut ipse dixerat, sic ille curavit. Rursum hic centenarius dicebat : « Dic verbo tantum, et sana» bitur puer meus : et admirans ipsum dicebat : Non inveni » tantam fidem in Israël [1]. »

II. Ut autem contrario exemplo illud ediscas. Quoniam Martha nihil horum dixerat, sed contrarium : « Quodcum» que poposceris a Deo, dabit tibi [2] : » non modo non laudata est, etiamsi nota Christo esset ab eoque diligeretur, et ipsa admodum coleret eum ; sed etiam ab ipso emendata fuit, ut quæ non bene dixisset. Nam dicebat illi : « Nonne » dicebam tibi : Si credideris, videbis gloriam Dei [3] ? » sic illam reprehendens quod nondum credidisset. Ac rursum, quia dicebat : « Quæcumque petieris a Deo, dabit tibi Deus : » illam a tali opinione abducens docensque sibi non opus esse ut ab alio acciperet, sed esse se bonorum fontem, dixit : « Ego sum resurrectio et vita [4]. » Id est, non ab alio operandi vim expecto, sed ex meipso omnia facio. Propterea centurionem miratur, totique populo ipsum anteponit, regni honore donat, aliosque ad eum imitandum provocat. Ut vero discas ipsum ideo hæc dixisse, ut cæteros ad fidem similem institueret, audi Evangelistæ diligentiam, quomodo nempe idipsum subindicaverit ; nam ait : « Conversus Je» sus, sequentibus se dixit : Non inveni tantam fidem in Is» raël. » Ergo magna de illo existimare, id maxime et fidem, et regnum cœlorum, et alia bona conciliat. Neque enim verborum tenus ipsum laudavit, sed propter fidem ejus ægrum ipsi sanum restituit, splendidamque ipsi nectit coronam, ac magna promittit dona his verbis : « Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham

[1] Matth. VIII, 10. — [2] Joan. XI, 22. — [3] Ibid. 42. — [4] Ibid. 25.

» et Isaac et Jacob. Filii autem regni ejicientur foras [1]. » Quia enim multa exhibuerat miracula, cum majori deinceps fiducia et libertate ipsos alloquitur. Deinde ne quis putaret se ex adulatione illa dixisse, utque omnes discerent illo vere animo fuisse centurionem, ait : « Vade, ut credi- » disti, fiat tibi [2]. » Statimque ipsum opus secutum est, quod illius animum et voluntatem testificaretur. « Et sanatus est » puer ejus ab hora illa [3]. » Quod etiam in Syrophœnissa contigit : nam dixit illi : « O mulier, magna est fides tua, » fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus [4]. » Quia vero Lucas hoc miraculum narrans, alia multa inserit, quæ videntur aliquam offerre differentiam, hæc excutienda et solvenda nobis sunt. Quid ergo dicit Lucas ? Ipsum misisse seniores Judæorum, rogantes ut veniret. Matthæus vero ait accedentem ipsum dixisse : « Non sum dignus. » Quidam vero dicunt non esse eumdem ipsum, etsi multa sint utrinque similia. De illo namque dicit : « Synagogam nobis » ædificavit, et gentem diligit : » de autem hoc dicit Jesus : « Neque in Israël tantam fidem inveni. » De illo autem non dixit : « Multi venient ab oriente, » unde verisimile sit ipsum Judæum fuisse. Quid ergo dicemus ? Sic facilem esse solutionem : quæritur autem utrum sit vera. Mihi certe videtur eumdem ipsum esse. Quomodo ergo, inquies, Matthæus dicentem illum perhibet, « Non sum dignus ut in- » tres sub tectum meum. » Lucas vero ait misisse vocatum ut veniret ? Videtur mihi Lucas adulationem judaïcam subindicare, hominesque in calamitate versantes instabiles esse, subindeque consilium mutare. Verisimile quippe est centurionem, cum abire vellet, detentum fuisse a Judæis adulantibus dicentibusque : « Nos ibimus et adducemus eum. » Vide itaque adhortationem illorum adulatione plenam. « Diligit » enim, inquiunt, gentem nostram, et synagogam nobis con-

[1] Matth. VIII, 11, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid. — [4] Id. XV, 28.

» struxit [1]. » Neque sciunt unde virum laudare par sit. Nam cum oportuisset dicere : « Voluit ipse ire rogatum, nos autem retinuimus, calamitatem considerantes, et corpus illud domi jacere videntes, » atque sic ejus fidei magnitudinem exponere, illi utique hoc non dicunt, neque enim volebant, invidia nempe moti, viri fidem declarare. Sed maluerunt ejus virtutem obtegere, pro quo supplices accedebant, ne videretur magnus esse is qui rogaret ; neu fidem ejus prædicantes, sic rem, pro qua venerant, perficerent. Livor enim mentem excæcare solet. Sed qui secreta novit, invitis illis virum celebravit. Quod autem illud verum sit, audi Lucam ipsum interpretem, qui sic ait, illo non longe distante, misisse illum qui dicerent : « Domine, noli vexari : non enim » sum dignus ut sub tectum meum intres [2]. » Cum enim a Judæorum molestia liber fuit, tunc misit qui dicerent : « Ne putes me ex segnitie non venisse ; sed me non dignum existimavi, qui te reciperem domi. »

III. Etsi vero Matthæus dicat, non per amicos, sed illum ipsum hæc dixisse, nihil id ad rem facit : quæritur enim solum num uterque viri studiosam voluntatem declaraverit, consentaneamque circa Christum ejus opinionem. Verisimile autem est, postquam amicos misisset, venisse ipsum illudque dixisse. Quod si hoc non dixerit Lucas, at neque illud Matthæus : non quod mutuo in narratione pugnent, sed quod alter prætermissa ab altero narret. Vide autem quo pacto fidem ejus Lucas alio modo prædicet dicens : « Moriturus erat puer. « Attamen neque hoc illum in desperationem conjecit, nec a spe detrusit ; sed sic etiam superstitem fore speravit. Quod si Matthæus quidem narret Christum dixisse se tantam in Israël non invenisse fidem ; quo declarat ipsum Israëlitam non fuisse, Lucas vero ipsum synagogam ædificasse : neque hæc pugnantia sunt. Potuit enim

[1] Luc. VII, 5. — [2] Ibid. 2.

non Judæus synagogam struere, gentemque diligere. Tu ejus ne perfunctiore dicta ejus explores, sed præfecturam vero adjice, et tunc viri virtutem perspicies. Etenim tantus vulgo est eorum qui præfecturas gerunt fastus, ut ne quidem in calamitatibus sese deprimant. Nam is, qui apud Joannem memoratur, illum in domum trahit et dicit : « Descende, » priusquam filius meus moriatur [1]. » Hic vero non ita : sed tam illo, quam iis qui per tectum lectulum demiserunt, præstantior est. Non enim corporalem præsentiam requirit, neque prope medicum ægrotum detulit, id quod tamen non parvam existimationem præ se ferret ; sed ea, quæ Deum decebat, opinione fultus ait : « Dic verbo solum. » Neque initio dicit : « Dic verbo ; » sed ægritudinem tantum declarat : ob magnam quippe humilitatem non putabat Christum statim rem concessurum, et domum petiturum esse. Ideo cum ipsum audivit dicentem : « Ego veniens curabo eum, » tunc ait : « Dic verbo. » Neque illum ita mœror turbavit ; sed etiam in calamitate philosophabatur ; non tam respiciens ad pueri valetudinem, quam ne quid ipse minus decenter faceret. Quanquam non ipse petebat, sed Christus sese obtulit. Attamen sic quoque timuit ne ultra quam dignitas sua postularet acciperet, neve rem gravem subiret. Vidisti-ne ejus prudentiam, perpende Judæorum stultitiam dicentium : « Dignus est cui gratiam conferat. » Cum oporteret ad misericordiam Jesu confugere, illi dignitatem obtendunt, neque quo pacto obtendere oportuit sciunt. Verum, non ita ille ; sed se omnino indignum dicebat esse, non modo beneficii, sed etiam qui Christum domi reciperet. Quamobrem cum dixisset : « Puer meus jacet, » non subjunxit, « Dic ; » metuens ne indignus esset tali dono. Sed calamitatem solum declaravit. Quia vero vidit Christum sese ad eundum parantem, ne sic quidem ille in rem obla-

[1] Joan. IV, 48.

tam insiliit : sed adhuc in gradu sibi congruenti mansit. Si quis vero dicat : « Cur Christus illum non pariter honoravit ? » dixerim ego magnum ipsi honorem retulisse. Primo quidem, quod animum pronamque voluntatem ostenderit, quæ maxime apparuit, quia ipse in domum ejus non venit; secundo, quod illum in regnum introduxerit, eumque toti judaïcæ genti præposuerit. Quia enim se indignum judicaverat qui Christum domi reciperet, etiam regno dignus effectus est, et eadem quæ Abraham consecutus est bona. Et qua de causa, inquies, leprosus, qui his majora exhibuerat, non laudatus est? Neque enim dixit ille : « Dic verbo ; » sed quod longe majus erat : « Velis tantummodo : » id quod de Patre ait Propheta : « Omnia quæcumque voluit fecit [1]. » Verum ille quoque laudatus est. Cum enim dixit : « Offer donum, quod præcepit Moyses in testimonium illis [2], » nihil aliud erat quam dicere : « Tu accusabis illos, quia credidisti. » Alioquin non perinde erat Judæum, atque extraneum gentilem credere. Quod enim centurio Judæus non esset, id liquet vel ex eo quod centurio esset, et quod Christus dixerit : Neque in Israël tantam fidem inveni. »

IV. Eratque profecto res magna, hominem qui extra Judæorum catalogum erat, tanta de Christo cogitasse. Nam, ut mihi videtur, supernos ille exercitus mente conceperat; morbosque, mortem aliaque omnia ita Christo subjecta esse, ut milites sibi. Quamobrem dicebat : « Nam ego homo sum sub potestate constitutus [3] ; » hoc est, « Tu Deus, ego homo ; ego sub potestate, tu non sub potestate. Si ego igitur homo et sub potestate, tanta possum ; multo magis ipse, qui et Deus est et sub potestate non est ; » vult enim ex summa præeminentia hoc illi suadere se non simile exemplum afferre, sed rei longe sublimioris. « Nam si ego, inquit, qui

[1] Psal. CXIII, 11. — [2] Matth. VIII, 4. — [3] Ibid. 9.

par subjectis sum, et sub potestate constitutus, ob parvam tamen præfecturæ auctoritatem, tanta possum, nemine repugnante, sed quæ impero omnia, diversa licet sint, executioni mandantur, « Alii enim dico : Vade, et vadit : alii » Veni, et venit, » longe majora tu poteris. » Quidam hunc locum ita legunt : « Si enim ego homo cum sim, » et interpunctione posita, subjungunt, « Sub potestate habens sub me » milites. » Tu vero consideres velim quomodo ostendat ipsum etiam morti ut servo imperare et præcipere ut dominum. Cum enim dicit : « Veni, et venit, » et, « Vade, et vadit ; » id significat : « Si jusseris non venire mortem super eum, non veniet. » Vides-ne quam fidelis esset ? Quod enim omnibus postea clarum futurum erat, omnibusque notum, hic jam palam facit, ipsum nempe habere potestatem mortis et vitæ, posseque ad portas mortis deducere ac reducere. Neque de militibus solum dixit, sed etiam de servis, quod majoris obsequentiæ erat. Attamen tantam habens fidem, se indignum putabat. Christus autem ostendens dignum illum esse, cujus domum intraret, multo majora ei contulit, ipsum admirans atque prædicans, pluraque dans quam petierat. Venit enim corporis salutem puero quærens, et accepto regno discessit. Vides-ne quomodo jam impletum erat illud : « Quærite regnum cœlorum et hæc omnia ad- » jicientur vobis? » Quia enim multam fidem et humilitatem exhibuerat, et cœlum dedit, et pueri sanitatem adjecit. Nec ipsum illo tantum modo honoravit, sed etiam cum ostendit quibus ejectis ille introduceretur. Atque exinde omnibus notum facit ex fide salutem esse, non ex iis, quæ secundum legem erant, operibus. Quapropter non Judæis tantum, sed etiam gentibus hoc donum propositum erit, imo his potius quam illis. Ne putetis enim, inquit, id in centurione tantum factum esse, sed in toto orbe idip-

[1] Matth. VI, 33.

sum erit. Hoc autem dixit per prophetiam de gentibus loquens, ipsisque bonam spem offerens. Etenim ex Galilæa gentium erant qui sequebantur eum. Hæc porro dicebat, gentes non sinens animum despondere, Judæorumque fastum deprimens. Ne autem his dictis offenderet auditores, neve occasionem præberet ullam, non prius de gentibus locutus, sed occasione capta ex centurione, ne nomen quidem gentium aperte ponit. Neque enim dixit: « Multi ex gentibus; » sed « Multi ex oriente et occidente, » quod gentes utique significabat, neque tamen offendebat auditores, involutum enim erat dictum. Neque hoc tantum modo lenit hanc novam insolitamque doctrinam, sed quod sinum Abrahæ pro regno posuerit. Neque enim hoc ipsis notum nomen erat: magisque illos mordebat Abraham in medium adductus. Quapropter Joannes nihil statim de gehenna dixit; sed quod magis illos pungebat attulit: « Nolite dicere: Patrem » habemus Abraham [1]. » Cum his aliud etiam providet, ne videatur veteri vivendi instituto contrarius esse. Nam qui Patriarchas admiratur, eorumque sinus sortem bonorum appellat, hanc suspicionem omnino et radicitus tollit. Nemo itaque unam esse putet comminationem. Duplex quippe est, et illis supplicium, et his lætitia; illis quidem, non quod exciderint tantum, sed quod ex propriis exciderint: his vero non quod sortem acceperint, sed quod quam non expectabant acceperint. His tertia adjicitur, quod hi ea, quæ ad illos pertinebant, acceperint. Filios autem regni vocat illos, quibus regnum paratum erat, quod maxime illos dolore afficiebat. Postquam ostendit enim illos ex promissione in sinu Abrahæ esse, hinc illos statim excludit. Deinde quia hoc dictum lata sententia erat, id signo confirmat, quemadmodum et signa ex prædictione rerum, quæ postea evenerunt, asseruntur.

[1] Matth. III, 9.

V. Qui igitur non credit tunc sanatum puerum fuisse, is vel ex prophetia, quæ jam impleta fuit, inducatur ut credat. Nam prophetia ante eventum ex signo tunc facto nota omnibus fuit. Ideoque cum hæc ante prædixisset, tunc paralyticum erexit, ut futura ex præsentibus assererentur, et a majori minus firmaretur. Nam quod virtute prædíti bonis fruantur, hisque oppositi pœnas luant, id a verisimilitudine non abhorret : imo et rationi et legum æquitati consentaneum est. Paralyticum autem firmare et curare, majus quam natura ferret erat. Attamen ad rem illam magnam atque mirabilem non parum contulit centurio, id quod etiam Christus declarans dicebat : « Vade, et sicut credidisti fiat tibi. » Vidisti ne quomodo restituta puero sanitas et Christi potentiam et centurionis fidem prædicaverit, et quod futurum erat confirmaverit? Imo vero omnia Christi potentiam prædicabant. Non enim corpus tantum pueri sanavit; sed etiam centurionis animam in fidem per miracula attraxit. Tu vero ne id tantum perpendas quod hic crediderit, ille sanatus sit, sed rei celeritatem mirare, nam hoc Evangelista declaravit : « Et sanatus est puer in illa » hora [1]. » Quod etiam de leproso dicebat : « Confestim mun» datus est [2]. » Non enim curando solum, sed etiam id inexpectato modo et in momento faciendo, potentiam ostendebat. Neque hoc modo tantum juvat utilisque est, sed quod etiam frequenter dum miracula patrat, de regno sermonem aperiat et omnes ad illud attrahat. Etenim cum se Judæos ejecturum minabatur, non ut ejiceret minabatur, sed ut metu illos in regnum per verba sua pertraheret. Quod si nihil hinc lucri fecerunt, id ipsorum crimen est, omniumque qui pari morbo laborarunt. Non enim Judæis solum id accidit, sed multis etiam eorum, qui crediderunt. Nam Judas filius regni erat et audivit cum Discipulis, « Sedebitis super sedes

[1] Matth. VIII, 13. — [2] Ibid. 3.

» duodecim [1] ; » sed factus est gehennæ filius. Æthiops autem ille barbarus cum esset, ex numero eorum, qui ab oriente et occidente venerunt, cum Abraham, Isaac et Jacob corona donabitur. Id et nunc agitur. « Multi enim, inquit, erunt » primi novissimi et novissimi primi [2]. » Hoc autem dicebat, ut neque hi negligant, ac si non possint redire, neque illi quasi stantes confidant. Hoc et Joannes ab exordio prænuntiabat dicens : « Potest Deus ex lapidibus his suscitare filios » Abrahæ [3]. » Quia enim hoc eventurum erat, diu ante prænuntiatur, ut nemo de rei insolentia turbaretur. Verum ille, utpote homo, secundum captum suum hæc dicebat; Christus autem, rem quasi futuram operibus et exemplis confirmavit. Ne igitur fidamus, etsi stemus, sed nobis ipsis dicamus : « Qui videtur stare, videat ne cadat [4]. » Ne desperemus, qui prostrati jacemus, sed dicamus : « Numquid » qui cadit, non resurget [5] ? » Etenim multi, qui ad ipsum cœli verticem ascenderant, qui patientiam magnam exhibuerant, desertum occupaverant, mulierem ne in somnis quidem viderant, ex parva negligentia supplanti sunt, et in ipsum nequitiæ barathrum dejecti. Alii contra ex eodem barathro in cœlum ascenderunt, atque a scena et orchestra ad angelicam vitam conversi sunt; tantamque virtutem exhibuerunt, ut dæmonas pellerent, multaque alia similia signa ederent. His exemplis plenæ sunt Scripturæ, plena hominum vita. Jam fornicarii et molles Manichæorum ora comprimunt, qui dicunt malitiam esse immotam, diaboli rem agentes, et eorum, qui virtuti operam dare vellent, manus dissolventes, vitamque omnem evertentes. Nam qui hæc persuadere conantur, non futura tantum pessumdant, sed præsentia quoque pro virili susdeque vertunt. Quomodo enim in nequitia vivens quispiam, virtuti operam dare stu-

[1] Matth. xix, 28. — [2] Ibid. 30. — [3] Id. iii, 9. — [4] 1 Cor. x, 12. — [5] Jer. viii, 6.

deat, si se ad illam revertere non posse putet, si non credat se in melius posse mutari? Nam si nunc, stantibus legibus, indictis suppliciis, proposita gloria, quæ multos excitare possit; cum et gehenna expectetur, et regnum promittatur, cum improbi dedecore, boni laudibus afficiantur, vix quipiam velint virtutis sudores adire; his sublatis, quid impediet quominus omnia pessum eant?

VI. Videntes itaque fraudem nequitiamque diabolicam, ipsosque nec non eos, qui fati leges statuere satagunt, adversa sentire, et contraria legislatoribus externorum, et Dei oraculis, et naturæ ratiociniis, et communi omnium opinioni, Barbaris et Scythis et Thracibus, demumque cæteris hominibus; vigilemus, dilecti, atque illis omnibus vale dicentes, incedamus per angustam viam cum fiducia et timore; cum timore quidem, ob præcipitia utrinque posita; cum fiducia vero, ob ducem viæ Jesum. Iter agamus sobrii ac vigiles. Nam si vel paululum quis dormitet, statim se præcipitem dat. Non enim sumus perfectiores Davide, qui ex parva negligentia in peccati barathrum ruit, sed statim surrexit. Ne ergo peccantem solum respicias, sed etiam peccatum abluentem. Non enim ideo tantum hæc historia scripta est, ut lapsum respicias, sed ut surgentem mireris: ut discas post lapsum quomodo resurgere oporteat. Quemadmodum enim medici gravissimos morbos in libellis describunt, atque ita medendi methodum alios docent, ut in majoribus exercitati, minores ægritudines facilius superent; sic et Deus gravissima peccata in medium adduxit; ut qui in exiguis lapsi essent, eorum exemplo faciliorem emendandi rationem invenirent. Si enim majora remedium habuerunt, multo facilius minora. Videamus igitur qua ratione ægrotaverit, qua valetudinem recuperaverit vir ille beatus. Quæ igitur morbi ratio fuit? Mœchatus est, et occidit. Non enim vereor hæc magna

voce publicare. Nam si Spiritus sanctus non turpe existimavit esse hanc totam historiam publicare, multo magis nos illam non obscure referre debemus. Quapropter non modo hæc prædicabo, sed aliud quoque adjiciam. Etenim qui hæc occultant, viri illius virtutem obscurant : ac sicut ii qui ejus cum Goliatho pugnam tacerent, non exiguam ipsi coronam adimerent, perinde facerent qui hanc historiam prætercurrerent. Annon rem vobis inexpectatam dico? Sed tantillum præstolamini, et scietis nos hæc jure in medium protulisse. Ideo namque peccatum amplifico, idque inexpectata loquendi via, ut pharmaca parem copiosiora. Quid itaque propono? Virtutem viri, id quod gravius crimen efficit. Non enim par est in omnibus et circa omnes hac in re judicium. « Potentes enim, inquit, po» tenter tormenta patientur [1]. » Et, « Qui novit voluntatem » domini sui, et non facit, vapulabit multis [2]. » Itaque major cognitio majoris est causa supplicii. Ideo sacerdos qui in paria, atque subditi, incidit peccata, non pares, sed multo graviores dabit pœnas. Fortasse dum me videtis amplificare crimen, tremitis et formidatis, et me quasi per præcipitia incedentem miramini. Ego vero tantum circa Justi virtutem et merita confido, ut etiam ulterius progrediar : quanto enim magis crimen augebo, tanto majoribus Davidem laudibus celebrare potero. Et quid his majus, inquies, proferre possis? Multo certe majora. Quemadmodum enim Caïni crimen non cædes modo erat, sed multis cædibus pejus; non enim alienum, sed fratrem, et fratrem non lædentem, sed læsum occidit; non post multas patratas cædes, sed ipse execrandum scelus prior invenit; sic in hoc quoque agimus exemplo, non cædes modo facinus hoc erat; non enim vir e trivio homicida erat, sed Propheta ; non lædentem, sed læsum occidit : læsus quippe

[1] Sap. VI, 7. — [2] Luc. XII, 47.

fuerat ex adulterio cum uxore : atque hoc etiam scelus addidit. Videtis-ne quomodo justo viro non parcam, et sine ullo temperamento scelera ejus recenseam? Attamen ita de illius purgatione confido, ut post tantum scelerum culmen, optem adesse Manichæos, qui hæc maxime traducunt, et Marcionistas, ut illorum ora egregie claudam. Illi namque dicunt ipsum et occidisse et mœchatum fuisse. Ego vero non id tantum dico, sed duplicem fuisse cædem demonstravi, tum quod ille jam ante læsus sit, tum quod tantæ dignitatis esset is qui occidit.

VII. Non enim par est crimen virum Spiritu sancto dignatum, tot beneficiis affectum, qui tantam potestatem erat adeptus, in tali ætate hæc facinora aggredi, atque idipsum perpetrari a viro, cui nihil eorum competat. Attamen hinc mirabilior evadit vir ille fortis, quod in profundum nequitiæ lapsus, non animo defecerit, non desperarit, non seipsum supinum projecerit, letali vulnere confossus a diabolo; sed cito, imo statim, magna cum vehementia majus inflixerit vulnus, quam acceperat. Perinde atque si in acie barbarus quispiam in cor vel in hepar strenui viri hastam infixerit, et secundam magis letalem plagam addiderit; tum ille lapsus plagarumque sanguine circumfusus, cito surrexerit, hastamque vibrans hostem confoderit, et occisum statim humi prostratum reliquerit; sic et nunc quo majorem Davidis plagam dixeris, eo mirabiliorem confossi animum ostendis, quod post vulnus tam grave, potuerit et surgere et in fronte valli stare, hostemque prosternere. Hoc vero quantum sit, sciunt omnes qui in gravia lapsi sunt peccata. Non enim ita fortis strenuique animi est recta incedentem præcurrere, (is enim comitem habet spem bonam concitantem nervos et alacritatem addentem;) ut post mille coronas, tropæa, victorias, graviter lapsum, eumdem denuo cursum repetere. Ut autem id quod dico

clarius evadat, aliud priore non minus exemplum in medium vobis proferre tentabo. Cogita mihi gubernatorem maria mille emensum, post tantam navigationem, post multas tempestates, scopulos, fluctus, multis instructum mercium sarcinis, in ipso portus ostio demersum, qui vix e tanto naufragio nudus effugere potuerit. Quo ille animo fuerit erga navigationem et marina pericula? Num ille voluerit unquam, nisi animi sit admodum strenui, vel littus, vel portum, vel navem ullam respicere? Non utique puto. Sed occultatus jacebit, diem in noctem vertens, omnique spe destitutus; maletque vitam mendicus agere, quam pristinos audire labores. At non talis fuit hic vir Beatus. Sed post tantum naufragium, post tot labores et sudores, non mansit occultus, sed navim extraxit, expansisque velis, et accepto gubernaculo, labores adiit, et majores quam prius divitias adeptus est. Quod si stare, et lapsum non semper jacere mirabile est, denuo excitari et talia perficere, quot coronis dignum non erit? Atqui multa erant quæ ipsum in desperationem conjicerent; primo, peccati magnitudo; secundo, quod non in primæva ætate, quando major erat spes reversionis, sed declinante jam ætate id passus esset. Neque enim mercator, qui ex portu egressus statim naufragium patitur, perinde afficitur dolore, atque is qui post multas peractas negotiationes in scopulum impingit. Tertio, quod post tantas collectas divitias id passus sit: etenim non parvæ illi tunc aderant mercium sarcinæ; nempe illa quæ in primæva ætate gesserat, cum pastor esset; pugna contra Goliathum, cum splendidum erexit tropæum; philosophia illa quam exhibuit erga Saülem. Evangelicam enim ostendit magnanimitatem, cum sexcenties hostem præ manibus habuerit: cui semper pepercit; maluitque patriam, libertatem, imo vitam amittere, quam sibi injuste insidiantem interficere. Post adeptum quoque

regnum non parva recte gessit. Supra memoratis addenda ejus apud omnes existimatio, nam quod a tanta gloria excidisset, non parvum animi motum excitare poterat. Non enim tantum ornabat purpuræ decus, quantum pudore suffundebat peccati tanti macula.

VIII. Scitis porro quam amarum sit cum peccata evulgantur, et quanto sit opus animo, ut a multis accusatus vir, totque habens scelerum testes, non prorsus concidat. Attamen strenuus ille vir, tela istæc omnia ab anima sua evulsit, deindeque ita claruit, ita maculas eluit, ita mundus apparuit, ut etiam post mortem nepotum suorum peccata obtegeret : et quod de Abrahamo dixerat Deus, id etiam de illo proferret; imo multo magis de Davide. De Patriarcha enim ait : « Recordatus sum testamenti mei quod » fuit ad Abraham [1] ; » hic vero non loquitur de testamento : sed quid? « Propter David puerum meum protegam hanc » civitatem [2]. » Salomonem etiam, qui tanta scelera admisit, ob suam erga Davidem benevolentiam non permisit Deus e regno excidere. Tantaque erat viri existimatio, ut post tot annos Petrus in concione ad Judæos diceret : « Liceat » audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam de- » functus est et sepultus [3]. » Christus quoque Judæos alloquens, ostendit eum etiam post peccatum ita Spiritus gratia dignatum, ut etiam de ipsius Divinitate prophetiam emittere meruerit : indeque ipsorum ora obturans dicebat : « Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum » dicens : Dixit Dominus, Domino meo : Sede a dextris » meis [4] ? » Et quod in Moyse factum est, hoc etiam in Davide. Quemadmodum enim Mariam, invito etiam Moyse, castigavit Deus, eo quod fratrem contumelia affecisset, quia nempe Sanctum illum admodum diligebat ; sic et hoc

[1] Exod. II, 24. — [2] 4 Reg. XIX, 34, XX, 6, et Isaï. XXXVII, 35. — [3] Act. II, 29. — [4] Matth. XXII, 43, 44.

nolente, filium rebellem ultus est. Hæc cum aliis, imo præ aliis, viri virtutem satis declarant. Nam cum Deus fert sententiam, nihil ultra explorandum. Si vultis autem ejus philosophiam minutatim ediscere, licet percurrentibus historiam eorum, quæ post peccatum gessit, videre quantam ille apud Deum fiduciam habuerit, quanta ejus benevolentia dignatus sit, quantum in virtute profecerit, quam recte ad ultimum usque spiritum vixerit. His igitur exemplis instituti, vigilemus caveamusque ne labamur. Quod si quando labi contingat, ne prostrati jaceamus. Neque enim peccata Davidis exposui, ut vos in segnitiem conjiciam, sed ut timorem incutiam. Nam si Justus ille, quia parum neglexit, tot excepit vulnera, quid passuri sumus nos, qui quotidie segnes sumus? Ne cogites ergo lapsum illum esse, ut hinc negligens evadas; sed tecum reputa quot quantaque postea fecerit, quot fletus, quantam pœnitentiam nocte dieque exhibuerit, fontes lacrymarum emittens, iisque lavans lectum suum, et hæc sacco indutus. Si autem ille tanta eguerit conversione, qua ratione poterimus nos salutem consequi, post tot peccata nullo compuncti dolore? Nam qui multis operibus bonis instructus est, facile possit hinc peccata sua obtegere: qui autem nudus est, quocumque telo impetatur, letalem plagam accipit. Ne igitur hoc accidat, nos bonis operibus muniamus, et si quod peccatum admittatur, confestim nos abluamus; ut hac vita ad Dei gloriam peracta, futura illa fruamur vita, quam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVII.

CAPUT VIII.

Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem : et tetigit manum ejus, et reliquit eam febris. Et surrexit, et ministrabat ei [1].

I. Marcus [2] ut tempus significaret, dixit : « Statim : » hic vero signum solummodo posuit, tempusque non notavit. Alii autem dicunt ægram decumbentem rogasse illum. Hic porro illud etiam tacuit : in qua re tamen nulla est discrepantia; sed aliud est brevitatis, aliud plenioris narrationis. Sed cur ingressus est in domum Petri ? Mihi quidem videtur ut cibum sumeret : id quod significat cum ait : « Surrexit, et ministrabat ei. » Nam apud Discipulos divertebat, ut et apud Matthæum, quando illum vocavit, honore illos afficiens ut studiosiores redderet. Tu vero hic mihi consideres velim Petri erga illum reverentiam. Cum enim socrum haberet domi jacentem et admodum febricitantem, non traxit eum domum; sed expectavit donec doctrinæ prædicatio absolveretur, cæterique omnes sanarentur, et tunc demum cum intrasset, illum rogavit. Sic ab initio instituebatur, ut res aliorum suis anteponeret. Itaque non Petrus ipsum induxit; sed ipse sponte intravit, postquam centurio dixerat : « Non sum dignus, ut intres sub tectum » meum [1], » declarans quantum gratificaretur Discipulo. Atqui consideres velim quales essent piscatorum horumce ædes; attamen in illorum tuguria intrare non dedignatus

[1] Matth. VIII, 14, 15. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 86-91, — [3] Matth. VIII, 8.

est; quo nos doceret ut in omnibus fastum calcemus humanum. Et modo quidem verbis tantum sanat, modo manum porrigit, modo utrumque præstat, medicinam ob oculos ducens. Non enim volebat semper stupendo modo miracula edere. Oportebat quippe interim latere, maxime præsentibus Discipulis, qui ex nimio gaudio omnia prædicassent. Illud vero hinc palam est, quod postquam venisset in montem, præciperet Discipulis, ne cui id dicerent. Tetigit ergo corpus, neque modo febrim extinxit, sed et valetudinem plene restituit : quia enim levis erat morbus, ex medendi modo potentiam suam ostendit ; id quod ars medicinæ non fecisset. Scitis, cessante febre, multo tempore opus esse, ut ægri in pristinam valetudinem restituantur. Sed tunc omnia simul facta sunt. Non hic autem solum, sed etiam in mari. Illic enim non ventos tantum et tempestatem sedavit, sed etiam motum fluctuum statim compressit, quod ipsum etiam insolitum erat : etiamsi enim tempestas cesset, multo postea tempore undæ fluctuant. Sed non ita Christi jussio operatur : omnia enim statim cessant, ut in muliere factum est. Et hoc declarans Evangelista dicebat : « Surrexit, et ministra» bat ei, » quod Christi virtutis signum erat, nec non affectus mulieris, quem erga Christum exhibuit. Aliud quoque hinc perspicimus, nempe aliorum fidei Christum aliorum curationem concedere. Nam hic alii ipsum rogabant, ut etiam in puero centurionis. Hujusmodi vero gratiam aliorum rogatu concedebat (dummodo is qui curabatur crederet), cum non poterat æger ipsum convenire, vel cum propter ignorantiam non magnum quid sentiebat de Christo, vel cum ætas ægri immatura erat. « Vespere autem facto, » obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spi» ritus eorum ab eis verbo, et omnes male habentes cura» bat, ut adimpleretur quod dictum est per Isaïam prophe-

» tam : Ipse infirmitates nostras accepit, et ægritudines » portavit[1]. » Vides-ne multitudinis fidem deinceps adauctam? Neque enim, urgente licet tempore, recedere volebant, neque intempestivum putabant si vespere ægrotos suos adducerent. Tu vero mihi perpende quantam multitudinem eorum, qui sanitatem acceperunt prætercurrant Evangelistæ, non sigillatim recensentes, sed uno verbo miraculorum pelagus immensum referentes. Deinde ne miraculi magnitudo incredulitatem pareret, quod tantum populum tam variis affectum morbis in momento temporis solverit et curaverit, rei testem adducit Prophetam, magnam ubique ex Scripturis rerum prædictionem ostendens, signis ipsis non inferiorem : hæc, inquit, Isaïas dicit : « In- » firmitates nostras accepit, et ægritudines portavit[2]. » Non dixit : « Solvit; » sed, « Accepit et portavit : » quod de peccatis potius mihi dictum a Propheta videtur, quam de morbis, et cum hoc Joannis dicto consonat : « Ecce agnus » Dei, qui tollit peccatum mundi[3]. »

II. Quomodo ergo idipsum de morbis hic ponit Evangelista? vel quod historico more et ad litteram hoc testimonium legat, vel ut ostendat plerosque morbos ex peccatis animæ proficisci. Nam si mors, quæ caput est omnium, ex peccato originem occasionemque habuit, multo magis ægritudines hinc ortæ sunt. Quandoquidem hinc etiam evenit, ut nos « Passibiles » simus. « Videns Jesus turbas » multas circum se, jussit transfretare[3]. » Vides-ne rursum quam sit ab ostentatione alienus? Nam cæteri dicunt ipsum dæmones increpasse, ne dicerent quis esset : hic vero ait ipsum amovisse turbas. Illud autem agebat tum ut nos institueret doceretque modestiam, tum ut invidiam sedaret judaïcam, doceretque nihil ad ostentationem esse fa-

[1] Matth. VIII, 16, 17.— [2] Isaï. LIII, 4.— [3] Joan. I, 29.— [4] Matth. VIII, 18.

ciendum : non enim corpora tantum curabat, sed etiam emendabat animam, ipsamque ad philosophiam instituebat : sese utroque modo exhibens, et morbos curantem, et nihil ex fastu agentem. Multi quippe ipsi hærebant amore admirationeque ducti, atque ipsum semper videre cupientes. Quis enim abscessisset, dum ille tanta miracula patraret? Aut quis noluisset faciem et os talia loquentis aspicere? Neque enim ex prodigiis tantum admirandus, sed ipsius solum conspectus gratia multa plenus erat : id quod indicans Propheta dicebat : « Speciosus forma præ » filiis hominum [1] : » Quod si Isaïas dicat : « Non habebat » speciem neque decorem [2] ; » aut illud de Divinitatis gloria ineffabili intelligit ; aut ea quæ in passione gesta sunt narrat, ignominiamque illam quam crucis tempore sustinuit, aut tenuitatem illam quam toto vitæ tempore in omnibus exhibuit. Non autem prius transfretare jussit, quam morbos curasset. Alioquin non id ferre potuissent : ut enim in monte non concionanti modo aderant, sed etiam silentem sequebantur ; sic etiam nunc non miracula edenti tantum hærebant, sed etiam post edita signa, vel ex ejus vultu et conspectu magnam carpebant utilitatem. Nam si Moyses gloria splendentem, Stephanus angelicum vultum habuit, cogita qualem tunc apparuisse communem Dominum verisimile est. Forte vero multi jam ejus videndæ imaginis cupiditate incensi sunt : sed si velimus, longe splendidiorem ipsa videbimus. Nam si cum fiducia et virtute vitam peragamus, in nubibus ipsum excipiemus, obviam ipsi venientes in immortali et incorruptibili corpore. Perpende autem quam leniter ipsos amoveat, nec deterreat. Non enim dixit : « Recedite ; » sed, transfretare jubet, spem faciens se illo trajecturum esse. Sic turbæ quidem multum exhibebant amoris, et cum affectu magno sequebantur

[1] Psal. XLIV, 3. — [2] Isaï. LIII, 2.

Unus autem pecuniarum servus, arrogantiaque plenus accessit ac dixit : « Magister, sequar te quocumque ieris [1]. » Vidisti-ne quanta arrogantia ? Ac si non dignaretur se cum turba annumerare, seque ostentans quasi non in vulgi turba computandus, sic accedit. Tales sunt judaïci mores intempestiva pleni fiducia, sic et alius postea, silentibus omnibus, insiliens ait : « Quod est primum mandatum [2] ? » Attamen Dominus importunam libertatem non corripuit, ut nos ad hujusmodi homines ferendos institueret. Ideo non palam redarguit eos qui mala cogitarent, sed eorum opinioni respondet, ipsis solis confutationem inspiciendam relinquens, duplicemque ipsis parans utilitatem, ut nempe sciant se conscientiæ secreta nosse, utque post datum indicium illud adhuc lateat, dans locum ad resipiscendum si velint. Id quod nunc etiam fecit. Hic enim multa signa videns, turbamque affluentem, sperabat se ex tot miraculis ditandum esse, ideoque illum sequi cupiebat. Undenam hoc nobis patebit ? Ex responsione Christi, qui non verbis loquentis, sed menti respondet. « Quid enim, inquit, an pecunias te collecturum speras, si me sequaris ? Annon vides mihi ne diversorium quidem esse quale ipsis avibus est ? » Nam ait : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ; » Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet [3]. » Hæc non repellentis erant ; sed malam mentem redarguentis, et potestatem dantis cum tali spe sequi si vellet. Ut autem ejus nequitiam ediscas, vide quid faciat. His auditis et sic confutatus, non dixit : « Ad sequendum paratus sum. »

III. Alibi quoque sæpe idipsum Christus facit : non aperte redarguit, sed ex responsione accedentium mentem aperit. Nam et illi qui dicebat : « Magister bone, » et ex adulatione sperabat se illum allecturum esse ad suam sen-

[1] Matth. VIII, 19. — [2] Id. XXII, 36. — [3] Id. VIII, 20, et Luc. IX, 58.

tentiam, respondit : « Cur me dicis bonum? Nemo bonus, »nisi unus Deus [1]. » Et cum dicerent ei : « Ecce mater tua »et fratres tui quærentes te [2]. » Quia illi humanum quid patiebantur, neque utilia sibi audire volebant, sed ostendere se ipsi genere proximos esse, hincque vanam gloriam carpere, audi quid dicat : « Quæ est mater mea, et qui »sunt fratres mei [3]? » Ipsisque demum fratribus suis dicentibus : « Ostende teipsum mundo [4], » ut hinc vanam sibi gloriam parerent, dicebat : « Vestrum tempus semper »est paratum, meum autem nondum adest [5]. » Per contraria quoque idipsum facit, cum de Nathanaële ait : « Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est [6]. » Et rursus : « Euntes annuntiate Joanni quæ audistis et vidistis [7]. » Neque enim hic verbis, sed menti mittentis respondit. Rursumque populo secundum illius conscientiam sic loquitur : « Quid existis in desertum videre [8]? » Qui enim videbat eos de Joanne quasi de levi et versatili quodam homine cogitare, hanc eorum opinionem corrigens dicit : « Quid existis in desertum videre? arundinem vento agi»tatam, aut hominem mollibus vestitum [9]? Per utrumque significans, ipsum neque ex se versatilem esse, neque voluptate quapiam emolliendum. Sic itaque nunc secundum mentem loquentis respondet. Ac vide quantum nunc quoque moderationem exhibeat. Neque enim dicit : « Ha»beo quidem, sed despicio, » verum dicit : « Non habeo. » Vidisti-ne quantam accurationem cum indulgentia conjunctam ostendat? Ut etiam cum comederet et biberet, ac contrariam, ut videbatur, Joanni vitæ rationem teneret. Illud autem facit pro Judæorum, imo totius orbis salute, hæreticorum simul ora comprimens, aliosque qui

[1] Matth. xix, 17, Marc. x, 18, et Luc. xviii, 19. — [2] Matth. xii, 47. — [3] Ibid. 48. — [4] Joan. vii, 4. — [5] Ibid. 6. — [6] Id. i, 47.— [7] Luc. vii, 22. — [8] Ibid. 24. — [9] Ibid. 25.

aderant insuper attrahere cupiens. Alius quispiam, ait, dicebat illi : « Domine, permitte mihi primum abire et »sepelire patrem meum [1]. » Vides-ne differentiam ? Et quomodo impudens ille dicebat : « Sequar te quocumque »ieris; » Hic vero etsi rem sanctam petens, ait : « Per- »mitte mihi? » Verum non permisit; sed quid ait : « Sine »mortuos sepelire mortuos suos, tu autem me sequere [2]. » Ubique enim voluntatem inspiciebat. Sed cur, inquies, non permisit? Quia erant qui hoc munus implerent, neque insepultus mansurus erat : atque hunc ex rebus magis necessariis avelli non opus erat. Cum dicit autem : « Mor- »tuos suos, » ostendit hunc non esse mortuum suum : nam hic, ut existimo, mortuus ex infidelium numero erat. Si porro juvenem miraris quod pro re tam necessaria Jesum rogaverit, neque sponte abierit, multo magis mirare, quod prohibitus manserit. Annon, inquies, ingratissimi filii erat patris exequiis non interesse? Si id ex negligentia fecisset, ingrati animi futurum erat; si autem res magis necessaria instabat, improbitatis summæ fuerit abiisse. Nam Jesus id prohibuit ipsi, non quod juberet honorem parentibus debitum contemnere, sed ut ostenderet nihil nobis æque necessarium esse, atque res cœlestes, iisque summa cum diligentia esse incumbendum, nec vel tantillum differendum, etiamsi admodum urgentia videantur esse ea quæ alio trahunt. Quid enim magis necessarium, quam sepelire patrem? quid facilius? neque enim multum temporis insumendum erat. Si porro non tantum temporis insumere licet quantum ad sepeliendum patrem est necessarium, et si ne tantillo quidem tempore spiritualia relinquere tutum est, cogita quibus simus digni pœnis, qui ea quæ ad Christum spectant toto ferme tempore deserimus, et necessariis vilissima anteponimus, nullaque re urgente

[1] Matth. VIII, 21. — [2] Ibid. 22.

desides sumus. Inde porro doctrinæ hujusce philosophiam mirari oportet, quod juvenem verbo Dei affixerit ; ad hæc etiam multis eripuerit malis, fletibus, luctui, aliisque inde sequentibus. Nam post sepulturam, opus erat testamentum excutere, sortes hæreditatis distribuere, et alia quæ hæc sequebantur omnia facere : sicque fluctibus alios fluctus excipientibus, procul a veritatis portu ille abductus fuisset. Ideo ipsum attrahit, et sibi jungit. Quod si adhuc miraris et ægre fers, quod prohibitus fuerit paterno adesse funeri, illud cogites velim multos esse, qui cum sciant quospiam molestius funera laturos esse, seu patris, seu matris, seu filii, seu alterius cujuscumque, non permittere ea ipsis nuntiari, neque ipsos ad sepulcrum venire : neque ideo ipsos crudelitatis inhumanitatisve accusamus, et jure quidem. Nam contra facere inhumanum esset, nempe sic affectos ad luctum educere.

IV. Quod si propinquos ita lugere et animum atteri malum est, longe pejus est a spiritualibus abduci verbis. Ideoque alibi dicit : « Nemo mittens manum suam ad ara» trum, et conversus ad posteriora, aptus est ad regnum » cœlorum [1]. » Nam longe melius est regnum prædicare, aliosque a morte retrahere, quam nihil juvantem mortuum sepelire ; cum maxime supersunt alii qui possint hoc officium implere. Nihil igitur aliud inde discimus, quam quod ne minimum quidem temporis terere oporteat : etiamsi sexcenta alia urgeant, spiritualia sunt semper cæteris vel maxime necessariis anteponenda ; sciendumque est quid vita, quid mors sit. Multi enim etiam ex iis qui vivere videntur a mortuis nihil differunt, si in nequitia vivant, imo deteriores etiam mortuis sunt. « Nam qui mortuus est, » inquit, justificatus est a peccato [2]. » Hic autem nequitiæ servit. Ne mihi dixeris illum a vermibus non corrodi, non

[1] Luc. IX, 69. — [2] Rom. VI, 7.

in sandapila jacere, non oculos clausisse, neque institis ligatum esse. Nam graviora patitur, quam mortuus, non vermibus corrodentibus, sed feris immanioribus animi affectibus ipsum discerpentibus. Si autem apertos habeat oculos, hoc item longe pejus est, quam si clausi essent. Etenim oculi mortui nihil mali vident : hic autem apertis oculis innumeros sibi attrahit morbos. Ille jacet in sandapila ad omnia immobilis; hic in sepulcro morborum mille onere obrutus est. At non vides corpus ejus putridum? Et quid hoc? Hic quippe, antequam corpus ejus putrescat, animam habet corruptam, perditam, fœtore plurimo labefactatam. Ille quidem per decem dies fœtet; hic vero per totam vitam fœtorem emittit, os habens cloacis ipsis immundius. Uno verbo tantum ab hoc ille differt, quantum ille quidem corruptionem naturæ debitam patitur, hic vero cum illa putredine, eam etiam quæ ex perdita oritur vita sibi attrahit; sexcentas sibi quotidie excogitans corruptionis species. Sed ille equo fertur? Quid hoc est? Nam hic in lecto decumbit; quodque gravius est, dum illum corruptum et fœtentem nemo videt, cum arcam habeat velo opertam, hic vivens ac fœtidus circumquaque vagatur, mortuam animam in corpore quasi in sepulcro circumferens. Ac si posset anima conspici viri in deliciis et in nequitia viventis, videres longe melius esse in sepulcro ligatum jacere, quam catenis peccatorum constringi; ac lapidem superpositum habere, quam grave illud insensibilitatis operculum. Quapropter convenit ut mortuorum horumce propinqui, quoniam illi sic sine sensu jacent, ad Jesum accedant pro illis, ut olim Maria pro Lazaro : etiamsi fœtidus, etiamsi quatriduanus sit, ne desperes : sed accede, et lapidem prius remove. Nam tunc videbis jacentem quasi in sepulcro, et fasciis ligatum. Et si placet, in medium quempiam ex viris illustribus adducamus. At ne timeatis, tacito

quippe nomine, exemplum proferam; imo si nomen dicerem, ne sic quidem metuendum esset : quis enim unquam mortuum timuit? Si quid enim fecerit, mortuus tamen manet; mortuus vero viventem lædere nullo pacto potest. Videamus itaque caput ejus ligatum : nam cum crebro sint ebrii; perinde atque mortui multis velaminibus et fasciis, sic omnes istorum sensus occluduntur et ligantur. Si lubet etiam manus videre, illas conspicias ventri alligatas, ut defunctorum manus, et vinctas non fasciis, sed avaritiæ vinculis, quod longe deterius est; neque enim permittit illa ut ad eleemosynam, vel ad aliud quodpiam opus bonum extendantur; sed inutiliores efficit, quam mortuorum manus. Vis-ne ut etiam pedes similiter vinctos videamus? Illos quoque respice curis constrictos, qui ideo non possint ad Ecclesiam Dei properare. Vidisti mortuum? Pollinctorem vide. Quis horum pollinctor est? Diabolus, qui diligenter ipsos constringit, nec sinit ut homo vere homo appareat, sed lignum aridum. Ubi enim nec oculus, nec manus, nec pedes, nec aliud hujusmodi est, quomodo esse posse homo videatur? Sic ipsorum animam fasciis devinctam conspicere est, idolum magis, quam animam. Quoniam igitur ipsi sine sensu jacent mortui, pro illis ad Jesum accedamus, precemur ut resurgant, amoveamus lapidem, solvamus fascias. Si enim abstuleris lapidem, id est, illam in malis sensuum privationem, cito illos e sepulcro eduxeris : eductos vero facilius a vinculis liberabis. Tunc te Christus agnoscet, cum surrexeris; cum solutus fueris, tunc te ad cœnam suam vocabit. Quotquot igitur Christi amici estis, quotquot discipuli, quotquot mortuum diligitis, ad Jesum supplices accedite et supplicate : etiamsi enim summopere fœtidus sit, attamen non debent propinqui ejus ipsum deserere; sed tanto magis accedere, quanto magis putredo augetur : ut tunc fecerunt La-

zari sorores; neque ante discedere, rogantes, precantes, supplicantes, quam illum viventem receperimus. Nam si sic res nostras et proximorum curemus, futuram cito vitam consequemur; qua utinam nos frui contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

CAPUT VIII.

Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum Discipuli ejus. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat [1].

I. Lucas, ne quis ab ipso temporum ordinem exigeret, sic ait: « Factum est in una dierum et ipse ascendit in na» viculam, et Discipuli ejus [2]. » Marcus quoque similiter. Hic vero non item, sed temporum quamdam servat seriem. Neque enim omnia omnes eodem modo describunt: id quod a me jam supra dictum est, ne quis ex omissione dissonantiam inter ipsos esse putaret. Turbis itaque præmissis, Discipulos secum assumpsit: nam hoc illi dicunt. Assumpsit autem non frustra, nec sine causa, sed ut futuri miraculi spectatores essent. Quemadmodum enim palæstræ magister optimus ad utrumque illos exercebat, ut in malis imperterriti essent, et in honoribus modesti. Ne altum enim saperent, quod, missis aliis, ipsos retinuisset, tempestatem permittit, tum ut hoc efficeret, tum ut eos ad ferendas fortiter ærumnas exerceret. Nam magna quidem erant priora signa; sed præsens signum non parvam quam-

[1] Matth. VIII, 23, 24. — [2] Luc. VIII, 22.

dam exercitationem afferebat, ac veteri cuidam signo simile erat. Ideoque solos secum adducit Discipulos. Nam ubi miracula edebantur, populum sinit adesse : ubi vero pericula et terrores, Discipulos, athletas nempe orbis, quos exercitaturus erat, solos secum assumit. Matthæus solum dicit ipsum dormivisse, Lucas vero addit in cervicali, ostendens quam esset a fastu alienus, et ad magnam inde philosophiam nos instituens. Oborta itaque tempestate, cum fureret mare, illum excitant dicentes : « Domine, salva » nos, perimus [1]. » Ipse vero illos primum, deinde mare increpavit. Nam, ut dixi, exercitationis causa hæc permittebantur, et figuræ erant tentationum, quæ ipsos erant invasuræ. Etenim postea sæpe permisit eos in graviores negotiorum procellas incidere, animumque ipsis indidit. Unde Paulus dicebat : « Nolo autem vos ignorare, fratres, quo- » niam valde gravati sumus supra vires, ita ut nos tæderet » etiam vivere [2] : » et postea, « Qui ex tot mortibus nos eri- » puit [3]. » Ut ostendat igitur fiducia uti oportere, etiamsi magni concitentur fluctus, ipsumque omnia utiliter dispensare, primum ipsos increpat. Nam quod turbati fuerint, id illis utile fuit, ut majus esse miraculum videretur, et perpetua servaretur rei memoria. Quando enim inexpectatum quidpiam futurum est, multa præparantur servandæ rei memoriæ opportuna, ne editum postea miraculum in oblivionem veniat. Sic Moyses serpentem primo formidavit, nec modo formidavit, sed cum magno animi terrore, tuncque vidit stupendum illud prodigium ; ita et Discipuli, cum jam de salute ferme desperassent, tunc liberantur : ut periculum confessi, miraculi magnitudinem ediscerent. Ideoque dormit : nam si vigilante illo id factum esset, vel non timuissent, vel non rogassent, vel non putassent posse illum id efficere. Ideo dormit, ut det timendi occasionem,

[1] Matth. VIII, 25. — [2] 2 Cor. I, 8. — [3] Ibid. 10.

et validiorum ipsis præsentium sensum efficiat. Neque enim quis perinde videt ea, quæ in alienis corporibus fiunt, atque ea quæ in corpore suo. Quia igitur omnes videbant beneficio affectos fuisse, se vero nihil accepisse beneficii, quasi supini manebant. Neque enim claudi erant, vel alio affecti corporis vitio : oportebatque tamen illos beneficiorum sensu affici, tempestatem oriri concedit, ut ea liberati, clariorem beneficii sensum perciperent. Ideoque non præsentibus turbis id agit, ne ut modicæ fidei damnarentur; sed solos emendat, et increpando prius mentis ipsorum quam aquarum tempestatem sedat, dicens : « Quid » timidi estis, modicæ fidei [1] ?» Simulque docet timorem non ab immissis tentationibus, sed ab animi infirmitate oriri. Quod si quis dixerit non ex timore, vel ex modica fide motos Discipulos illum excitasse, respondebo illud maxime signum esse eos non congruentem de illo opinionem habuisse. Sciebant quidem ipsum expergefactum increpare posse ; dormientem vero nondum putabant. Et quid miraris si nunc timeant, quando post multa etiam alia miracula infirmiores adhuc erant ? Quapropter sæpe increpantur, ut quando dicit : « Adhuc et vos insipientes » estis [2]. » Ne itaque mireris, cum Discipuli tam imbecilles erant, si turbæ nihil magnum de ipso opinabantur; mirabantur quippe dicentes : « Qualis est hic homo, quia et » mare et venti obediunt ei [3] ?» Christus vero non corripuit eos, quod hominem esse ipsum dicerent; sed expectabat interim per miracula docens illos falsam hanc opinionem esse. Undenam hominem illum esse putabant ? ex aspectu, ex somno, quod navi uteretur. Idcirco in stuporem conjiciebantur dicentes : « Qualis est hic ? » Somnus quippe et quidquid apparebat, hominem indicabat : mare et parta tranquillitas Deum declarabat.

[1] Matth. VIII, 26. — [2] Id. XV, 16. — [3] Id. VIII, 27.

II. Quanquam enim Moyses aliquid simile olim fecerat, vel hinc Christi eminentia declarabatur, quod ille ut servus, hic ut dominus miracula patraret. Non enim virgam extendit ut ille, neque manus expandit versus cœlum, neque precatione opus habuit : sed ut par est dominum ancillæ, et creatorem opificio præcipere ; sic illam sedavit et frenavit verbo et præcepto tantum : atque omnis subito soluta tempestas est, nec vestigium procellæ mansit. Illud enim declaravit Evangelista dicens : « Et facta est tranquil-» litas magna. » Quod de Patre quasi res grandis dictum fuerat, id ipse operibus exhibuit. Quid de Patre dictum fuerat? « Dixit, et stetit spiritus procellæ [1] : » Sic et hoc loco dixit : « Et facta est tranquillitas magna. » Propterea turbæ illum summe mirabantur : quæ non ita miratæ fuissent, si fecisset ut Moyses. Postquam a mari discessisset, aliud terribilius miraculum subsequitur : dæmoniaci enim, quemadmodum fugitivi improbi, videntes Dominum dicebant : « Quid » nobis et tibi, Jesu fili Dei? venisti huc ante tempus tor-» quere nos [2]. » Quia enim turbæ ipsum hominem esse confitebantur, venerunt dæmones Divinitatem ejus prædicantes : et qui agitato posteaque sedato mari non audierant, dæmonas hoc clamantes audierunt, quod mare tranquillum factum prædicaverat. Deinde ne hoc per adulationem dictum videretur, ex rerum experimento clamant his verbis : « Venisti huc ante tempus torquere nos. » Ideo prius inimicitiam fatentur, ne suspecta eorum supplicatio videretur. Etenim invisibiliter verberabantur, et plus quam mare fluctuabant confixi, combusti, atque ex tali præsentia intolerabilia patientes. Quia enim dæmoniacos illos nemo offerre audebat, Christus illos adit. Et Matthæus quidem scribit dixisse illos : « Venisti huc ante tempus torquere nos ; » alii vero addiderunt eos adjurasse ac rogasse illum, ne se in

[1] Psal. cvi, 25. — [2] Matth. viii, 29.

abyssum conjiceret: putabant enim jam instare sibi supplicium, et timebant quasi jam in tormenta demissi. Quod si Lucas unum tantum memoret[1], hic autem duos, neque sic dissonantia aliqua indicatur. Si enim dixisset unum tantum fuisse, nec alterum extitisse, tunc videretur a Matthæo differre : cum vero ille unum, hic duos memorat, non pugna hæc est, sed differentia narrandi. Mihi enim videtur Lucas acriorem hic memorandum suscepisse; quapropter magis tragicam describit calamitatem, quod nempe vincula et catenas dirumpens, per desertum erraret : Marcus vero dicit ipsum sese lapidibus percussisse. Verba autem eorum immanitatem impudentiamque declarant. « Ve» nisti enim huc ante tempus torquere nos, » inquiunt. Non poterant enim dicere se non peccasse. Rogant vero ne ante tempus pœnas luant. Quia enim deprehendit eos intolerabilia et iniqua operatos, ac creaturas suas omni prorsus modo subvertentes et cruciantes, putabant eum ob facinorum atrocitatem non expectaturum esse supplicii tempus : idcirco rogabant et supplicabant : et qui ne ferreis quidem vinculis detineri poterant, ligati veniunt; qui montes percurrebant, in campos exeunt; qui alios a transitu arcebant, cum illum viam sibi obstruentem viderent, steterunt. Sed cur in sepulcris libenter versantur? Ut perniciosam doctrinam multorum mentibus inserant; nempe animas mortuorum dæmonas fieri (3) ; quod ne cogitet quispiam absit. Sed quid dicas, inquiunt, de præstigiatoribus multis, qui captos pueros jugulant, ut animam postea sibi ministrantem habeant? Nam quod jugulent, hoc multi dicunt; quod autem cæsorum animæ cum ipsis sint, unde, quæso, nosti? Ipsi, inquiunt, dæmoniaci hoc dicunt : « Ego sum anima illius cujuspiam. » Verum hæc fraus et fallacia diabolica est. Neque enim anima mortui est quæ clamat, sed dæmon

[1] Luc. IV, 33.

qui hoc simulat ut auditores decipiat. Nam si posset anima in dæmonis substantiam ingredi (4), multo facilius in corpus suum ingrederetur. Præterea quis ratione præditus credere possit animam læsam, se lædenti sociare? aut hominem posse vim incorpoream in alteram mutare substantiam? Nam si in corporibus id fieri nequeat, nec quispiam possit corpus hominis in corpus asini mutare; multo magis in anima invisibili id fieri nequit, nec quis possit illam in dæmonis substantiam vertere.

III. Itaque anicularum ebriarum hæc verba sunt, et puerorum terricula. Neque enim licet animæ semel a corpore sejunctæ hic deinceps vagari : « Nam Justorum animæ » in manu Dei sunt [1] ; » si justorum, etiam quoque puerorum animæ : non enim illæ malæ sunt : peccatorum autem animæ statim hinc abducuntur. Id palam est ex Lazaro et divite; et alibi Christus ait : « Hodie animam tuam repe- » tent a te [2]. » Neque fieri potest, ut anima ex corpore egressa, hinc erret et vagetur, neque id injuria. Nam si cum iter facimus in nota nobis et assueta terra, cum corpore amicti sumus, cum peregrinam viam adimus, nescimus qua transire oporteat, nisi ducem habeamus, quomodo anima ex corpore avulsa, nihil jam assuetum et cognitum habens, sine duce sciet quo sit eundum? Multisque aliis argumentis deprehendere est non posse animam ex corpore egressam hic manere. Nam Stephanus ait : « Suscipe » spiritum meum [3]. » Et Paulus, « Dissolvi et cum Christo » esse multo melius est [4]. » De Patriarcha quoque Scriptura dicit : « Et appositus est ad patres suos, provectus in senec- » tute bona [5]. » Quod autem neque peccatorum animæ possint hic versari, audi divitem multa hac de re rogantem, nec impetrantem, qui si potuisset, venisset ipse, et quæ illic

[1] Sap. III, 1. — [2] Luc. XII, 20. — [3] Act. VII, 59. — [4] Philip. I, 23. — [5] Gen. XXV, 8.

fierent nuntiasset. Unde palam est post decessum ex hac vita animas in quamdam regionem deferri, nec posse huc reverti, sed terribilem illum diem expectare. Si quis vero dixerit : « Cur id quod petebant dæmones Christus fecit, cum in porcorum gregem ipsos intrare permisit? » Responderim ego ipsum non id fecisse in gratiam illorum, sed ut multa sic dispensaret; primo, ut doceret eos, qui a malignis hujusmodi tyrannis liberati essent, quantam perniciem afferrent insidiatores hujusmodi; secundo, ut discerent omnes dæmonas ne quidem porcos invadere posse, nisi ipse permiserit; tertio, ipsos graviora in homines, quam in porcos, perpetraturos fuisse, nisi in calamitate per magnam illam Dei providentiam servati fuissent. Nam quod magis nos quam bruta animalia odio habeant, nulli non manifestum est. Itaque qui porcis non pepercerunt, et in momento temporis omnes præcipitarunt, multo magis hominibus id fecissent, quos tenebant in desertum adducentes; nisi etiam in hac ipsa magna quam exercebant tyrannide, Dei cura illos frenasset et coërcuisset, ne perniciosiora facerent. Inde liquet neminem esse, quin Dei providentia fruatur. Quod si non omnes uno eodemque modo, hoc quoque magnum providentiæ genus est. Nam ut cuique utile esse potest, ratio providentiæ accommodatur. Ad hæc vero quæ dicta sunt, aliud inde discimus : quod scilicet non tantum omnibus simul provideat, sed etiam singulis seorsim : quod etiam Discipulis indicavit dicens : « Vestri » capilli capitis omnes numerati sunt [1]. » Exque dæmoniacis id clare videre est, qui jam olim suffocati fuissent, nisi summe curante Deo servarentur. Propterea permisit eos abire in gregem porcorum, ut qui regionem incolebant, ejus potentiam discerent. Ubi namque nomen ipsius notum erat, ibi non valde se ostendebat : ubi vero nemo ipsum

[1] Matth. x, 30, et Luc. xii, 7.

noverat, stolidusque populus erat, ibi miraculis magis fulgebat, ut illos ad Divinitatis suæ cognitionem pertraheret. Quod autem stolidi essent ii, qui civitatem illam incolebant, ex iis quæ in fine gesta sunt liquet. Cum oportuisset enim illum adorare, ejusque potentiam mirari, illum repulerunt et rogarunt abscedere a finibus suis. Sed cur dæmones porcos occiderunt? Semper dæmones id curant ut homines in mœrorem conjiciant, semperque de illorum pernicie gaudent. Hoc item Jobo diabolus fecit, quia ibi etiam id Deus permisit. Verum neque ibi diabolo obtemperavit, sed quod famulum suum vellet splendidiorem reddere, dæmonique omnem impudentiæ ansam præcidere, atque sua in Justum facinora in caput ipsius retorquere. Et nunc quoque contra accidit, quam dæmones volebant. Nam Christi potentia clarius prædicabatur, ac nequitia dæmonum, ex qua ille eruit omnes qui ab ipsis detinebantur, manifestius apparuit, notumque fuit illos ne in porcos quidem habere potestatem, nisi id permiserit universorum Deus.

IV. Si quis autem hæc anagogice velit accipere, id utique licet, sed historia sic habet. Sciendum porro est homines porcorum instar viventes, dæmonibus esse captu faciles. Qui autem hæc patiuntur, homines cum sint, sæpe possunt illos superare. Si vero porci omnino fuerint, non modo a dæmonibus exagitantur, sed etiam præcipitantur. Insuperque ne quis hoc rem esse fictam putaret, sed quisque crederet dæmonem vere exivisse, ex porcorum morte id manifestum efficitur. Hic vero perpende ejus mansuetudinem cum potestate conjunctam. Cum enim regionis incolæ, tot ab eo acceptis beneficiis, illum ab se discedere cogerent, non restitit, sed discessit, eosque qui se doctrina ipsius indignos declarabant, reliquit, doctores assignans illis eos, qui a dæmonibus liberati fuerant, nec non subul-

cos, a quibus quæcumque gesta fuerant ediscere poterant : recedens porro ingentem ipsis timorem reliquit : damni quippe magnitudo rei gestæ famam evulgabat, resque tanta ipsorum animos perculerat. Undique rumores afferebantur, hæc gesta stupenda prædicantes, ab iis qui curati fuerant, a præcipitatis porcis, a porcorum dominis, a subulcis. Hæc porro nunc etiam videre est multos in sepulcris dæmoniacos, quos nihil ab insania cohibet, non ferrum, non catena, non multitudo hominum, non monita, non terror, non minæ, non quid simile. Cum quis enim lascivus corporum forma capitur, nihil differt a dæmoniaco : sed nudus ut ille circumvagatur, vestibus quidem indutus, sed vero amictu spoliatus, et gloria sibi debita nudatus. Non lapidibus sese percutiens, sed peccatis lapide longe durioribus. Quis igitur hunc hominem ligare poterit sedareque, tam turpiter agentem, petulantem, nunquam sui compotem, sed semper sepulcra adeuntem ? talia quippe sunt meretricum diversoria multo fœtore plena, multa putredine. Quid de avaro dicamus ? Nonne et ipse talis est ? Quis eum ligare unquam poterit ? Nonne terrores, non minæ, non monita, non consilia ? Verum hæc omnia ille vincula rumpit. Et si quis soluturus a vinculis accedat, adjurat eum ne solvatur ; cruciatum maximum existimans non esse in cruciatu : quo quid miserabilius dicatur ? Ille namque dæmon, etsi homines despiceret, at Christi jussui cessit, et cito a corpore abscessit ; hic vero non cedit præcepto : nam licet quotidie audiat illum dicentem : « Non potestis » Deo servire et mammonæ [1], » etsi gehennam comminetur et intolerabilia supplicia, non obtemperat tamen, non quod Christo sit fortior, sed quod Christus nos non invitos ad resipiscentiam ducat. Ideoque illi quasi in desertis versantur, etiamsi in mediis sint urbibus. Quis enim mente va-

[1] Matth. VI, 24, et Luc. XVI, 13.

lens possit cum hujusmodi hominibus versari? Mallem certe cum sexcentis dæmoniacis habitare, quam cum uno hoc laborante morbo : quodque ita loquens non aberrem, probatur ex iis quæ utrinque patiuntur. Hi namque eum, qui se nihil læsit, inimicum sibi putant, voluntque eum, qui liber est, servum suum esse, ut in malis innumeris involvant : dæmoniaci vero nihil aliud mali faciunt, quam quod morbum in se retineant. Illi multas subvertunt domos, idque peragunt, ut nomen Dei blasphemetur, ac pernicies sunt et urbis et orbis universi ; hi vero a dæmonibus exagitati, miseratione et lacrymis digni sunt ! Hi certe sine ullo sensu multa faciunt : illi ratione præditi impingunt, in mediis urbibus debacchantes, et novo quodam furore correpti. Quid enim tale faciunt dæmoniaci omnes, quale ausus est Judas extremam aggressus iniquitatem ? Certe omnes qui illum imitantur, sunt quasi feræ immanes ex carceribus elapsæ : civitates perturbant, nemine cohibente. Hi tamen vinculis undique constringuntur, qualia sunt, judicum terror, legum comminationes, vulgi maledicta, et alia plurima. His tamen illi diruptis omnia susdeque vertunt. Quod si quis hæc vincula auferret, is dæmonem illos occupantem clare cognosceret, qui certe multo et acrior et ferocior est eo qui nunc egressus narratur.

V. Verum quia id fieri nequit, verbo tamen tenus ista fingamus, et catenas ejus omnes auferamus ; tunc ejus furorem liquido sciemus. At feram a nobis nudatam ne formidetis : in verbo namque tota scena consistit, neque in rei veritate idipsum conspicimus. Sit itaque homo quispiam, ignem ab oculis emittens, niger, qui in utroque humero dracones pendentes loco brachiorum habeat. Os habeat in quo pro dentibus gladii sint infixi, pro lingua fons virus venenumque emittens. Venter ejus omni fornace sit voracior, quæ omnia injecta deglutiunt : pedes alis instructi et

flamma quavis vehementiores, vultus ejus canis et lupi speciem referat : non humanam vocem emittat, sed quid insuave, injucundum, terribile : in manibusque flammas habeat. Horrenda forsan vobis hæc videantur. Sed nondum illum uti par erat depinximus : his quippe alia sunt addenda. Obvios quosque jugulet ac devoret, carnes laceret. Hoc monstro deterior est avarus, quasi infernus omnes invadit, omnia devorans, communis humani generis hostis circumiens. Nullum quippe vult superesse hominem, ut omnia possideat. Neque hic tamen sistit gradum, sed postquam omnes cupiditate sua perdidit, terræ substantiam cupit abolere, illamque in aurum versam videre : neque tantum terram, sed montes, saltus, fontes et omnia quæ sub aspectum cadunt. Atque ut discatis nos nondum ejus furorem totum demonstravisse : nemo sit qui illum accuset et terreat, sed tolle formidinem legum, et videbis illum, arrepto gladio, omnes trucidantem, nemini parcentem, non amico, non cognato, non fratri, non patri. Imo vero non opus est nobis illa hypothesi, sciscitemur ab eo annon ille hujusmodi res in cogitatione versel, annon omnes animo invadat, annon trucidet amicos, cognatos et progenitores. Imo vero nulla interrogandi necessitas, cum nemo nesciat eos, qui hoc tenentur morbo, senectutem patris sui ægre ferre, et quod aliis dulce optabileque est, nempe filios habere, onerosum existimare. Multi enim hac de causa orbitatem sunt adepti, naturamque sterilem reddiderunt, non modo natos occidentes, sed etiam ne nascerentur efficientes. Ne miremini itaque si avarum illa forma depinxerimus : nam longe adhuc deterior est, quam diximus. Sed videamus quo pacto eum ab hoc dæmone liberare poterimus. Quomodo liber erit? Si clare didicerit avaritiam vel ad pecunias comparandas contrariam esse : nam qui parva lucrari volunt, semper magna patiuntur damna : id quod

etiam in proverbium versum est. Multi certe cum mutuum magno fœnore darent, non exploratis accipientis facultatibus, sortem ipsam cum usuris amiserunt. Rursum alii in periculis, cum nollent pauca proferre, vitam cum opibus perdiderunt. Item alii, cum dignitates pecuniarias, vel similia adipisci possent, cum parcimoniæ nimis studerent, a toto exciderunt. Quoniam enim serere nesciunt, sed metere tantum student, a messe frequenter excidunt. Nemo enim semper metere potest, sicut nec semper lucrari. Quia igitur impendere nolunt, nec lucrari sciunt. Sed et si uxorem ducere oporteat, in idem incidunt damnum, dum vel inopem pro divite ducunt, vel si divitem accipiant, et illa mille vitiis sit affecta, in majus incidunt detrimentum. Non enim opulentia, sed virtus divitias parit. Nam quæ ex divitiis utilitas, si illa prodiga sit et sumptuosa, et si quasi ventus omnia dissipet? Quod si lasciva sit, ac sexcentos amatores attrahat? Quid si ebriosa? Annon brevi conjugem suum ad inopiam rediget? Non in uxore ducenda tantum, sed etiam in emendo falluntur, dum servos, non probos ac strenuos, sed eos, qui vili pretio dantur, comparant. Hæc itaque omnia cogitantes; (nondum enim de gehenna et de regno verba audire potuistis) et detrimenta in mentem revocantes, quæ sæpe ab avaritia passi estis, in fœnoribus, vel in emendo, vel in ducenda uxore, in patrociniis, in aliisque omnibus, ab amore pecuniarum abscedite. Sic enim poteritis et præsentem vitam tuto transigere, et paululum aucti, sermones de philosophia audire, atque acutius videntes, ipsum justitiæ Solem respicere, promissaque ejus consequi, quorum utinam consortes simus omnes gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIX.

CAPUT VIII.

Et ascendens Jesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto jacentem. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua [1].

I. Civitatem suam hic Capharnaum appellat : nam quæ tulit ipsum Bethlehem fuit ; quæ educavit, Nazareth ; quæ inhabitantem habuit, Capharnaum ; paralyticus autem hic, alius est ab eo, qui memoratur a Joanne. Ille quippe in piscina jacebat ; hic autem in Capharnaum : et ille quidem triginta octo annis paralyticus fuit : de hoc vero nihil simile dictum est. Ille nullos habebat, qui sui curam gererent ; hic contra habuit qui se ad Jesum deferrent. Huic porro dixit : « Fili, remittuntur tibi peccata : » illi vero : « Vis sa» nus esse [2] ? » Illum in sabbato curavit, hunc non in sabbato ; alioquin autem illum hac de re Judæi accusassent, qui hic tacent, illic vero instant, ipsumque persequuntur. Hæc non sine causa dicta sunt a me ; sed ne quis unum eumdemque esse suspicans paralyticum, dissonantiam hic esse putaret. Tu vero perpendas quam modestus, quam mansuetus sit Dominus. Nam et antea turbas amoverat, et a Gadarenis pulsus non obstitit ; sed secessit, etsi non procul. Rursumque cum ascendisset in naviculam, trajecit, cum posset pedes transire. Neque enim semper mirabilia patrare volebat, ne œconomiæ, suæ rationem labefactaret. Matthæus igitur ait : « Attulerunt eum : » alii vero dicunt ægrum per

[1] Matth. IX, 1, 2. — [2] Joan. VI, 6.

diruptum tectum demissum fuisse et ante Christum positum, nihil dicentibus illis qui attulerant, sed totum ipsi permittentibus. Nam initio quidem ille circuibat, neque tantam ab accedentibus postulabat fidem : hic autem et accesserunt, et fides ab ipsis requisita est ; nam ait : « Vi- » dens fidem illorum, » id est, eorum qui demiserant paralyticum. Neque enim ubique ægrotorum requirit fidem, ut cum desipiunt, vel alio modo mente capti sunt. Hic vero ægroti fides erat magna ; alioquin enim non ita se demitti permisisset. Quoniam igitur tantam exhibuere fidem, exhibet et ipse potentiam suam, cum omni potestate peccata solvens, ac per omnia demonstrans se Patri æqualem esse. Hic vero perpende : superius id ostendebat ille, cum docebat eos tanquam potestatem habens ; per leprosum, cum dixit : « Volo, mundare ; » per centurionem, cum dicente illo : « Tantum dic verbo, et sanabitur puer meus, » miratus est, ipsumque plus quam omnes laudibus extulit ; per mare, cum ipsum verbo tantum frenavit ; per dæmonas, quando ipsum judicem esse confitebantur, et cum potestate magna ipsos ejecit. Hic sursum majori modo inimicos suos æqualitatem illam confiteri cogit, et per ipsorum verba id conspicuum reddit. Ipse namque se ab ambitione alienum commonstrans, (nam magnum spectantium theatrum aderat, qui ingressu arcebant, ideo paralyticum superne demiserunt), non statim ad corpus, quod videbatur, curandum se contulit ; sed ab illis occasione sumpta, quod non apparebat primum curavit, nempe animam, cum peccata dimisit : id quod paralytico salutem præbebat, ipsi vero non multum gloriæ apud illos attulit. Illi enim a nequitia sua exagitati, cum vellent occasiones maledicendi quærere ; illud inviti effecerunt, ut res clarior evaderet. Sagax enim cum esset, ipsorum invidia est usus ad signum celebrandum. Quoniam igitur turbabantur, et dicebant :

« Hic blasphemat; quis potest peccata dimittere, nisi solus » Deus[1] ? » Videamus quod ipse ait. Num opinionem illam rejecit? Atqui si non æqualis Deo erat, dicere debuit : « Quid de me non consentaneam opinionem habetis? procul absum a tanta potestate. » Verum nihil simile dicit; imo vero illam opinionem confirmavit et asseruit, tam voce, quam miraculo. Quia enim de seipso quædam proferre auditoribus importunum esse videbatur, per alios illa, quæ ad se spectant, confirmat : quodque mirum fuit, non per amicos tantum, sed etiam per inimicos : quod ex sapientiæ ejus culmine procedit. Per amicos quidem cum dixit : « Volo, » mundare, » itemque cum ait : « Non inveni tantam fidem » in Israël : » per inimicos autem nunc, cum dixissent enim : « Nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus, » intulit ipse : « Ut autem sciatis quia potestatem habet Filius homi- » nis dimittere peccata super terram, tunc dixit paralytico : » Surgens tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam[2]. » Neque solum hic, sed etiam alibi cum dicerent illi : « De » bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia » homo cum sis, facis teipsum Deum[3]; » neque tunc hanc opinionem confutavit, sed illam confirmavit dicens : « Si » non facio opera Patris mei, ne mihi credatis; si autem » facio, etiamsi mihi non creditis, saltem operibus cre- » dite[4]. »

II. Hic porro Divinitatis suæ aliud signum non parvum exhibet, nec non suæ cum Patre æqualitatis. Illi namque dicebant peccata dimittere unius Dei esse : hic vero non modo peccata dimittit, sed antea aliud quidpiam exhibet, quod unius Dei est, quod nempe secreta cordis revelet. Neque enim id quod cogitabant in medium protulerunt : « Ecce, inquit, quidam de Scribis dixerunt intra se : Hic

[1] Matth. IX, 3, et Marc. II, 7. — [2] Matth. IX, 6. — [3] Joan. X, 33. — [4] Ibid. 37.

» blasphemat. Et sciens Jesus cogitationes eorum, dixit : » Quid vos cogitatis mala in cordibus vestris [1] ? » Quod autem unius Dei sit secreta nosse, audi Prophetam dicentem : « Tu nosti corda solus [2] ; » et rursum : « Scrutans corda et » renes Deus [3] : » Jeremias vero ait : « Profundum cor est » præ omnibus [4] ; » et : « Homo est, et quis noscet eum ? » et : « Homo videt in facie, Deus autem in corde [5]. » In multis quoque aliis videre est Deum unum esse qui mentes noverit. Ostendens itaque se Deum esse, æqualem Patri, quæ ipsi in se cogitabant, ac timore multitudinis in medium proferre non audebant, ipse revelavit et manifesta reddidit, magnam hic quoque animi lenitatem ostendens. Nam ait : « Quid cogitatis mala in cordibus vestris ? » Certe si indignari quempiam oportebat, ægrum quasi delusum par fuit indigne ferre ac dicere : « Ad aliud sanandum veni, aliud tu curas : undenam mihi liquidum erit dimissa mihi esse peccata? » Nunc autem ille nihil dicit hujusmodi, sed in curantis potestatem se tradit. Ili autem perversi et invidi, aliorum beneficiis insidiantur. Ideo ipsos cum omni tamen lenitate corripit. Nam si non creditis, inquit, dicto primo, jactantiamque id esse putatis, ecce jam aliud huic adjungo, quod secreta vestra revelem : ad hæc tertium adjicio : quodnam illud? quod paralytici corpus firmum reddam. Ac quando paralyticum alloquebatur, non clare potestatem suam sic declaravit, nec dixit : « Dimitto tibi peccata ; » sed, « Dimittuntur tibi peccata. » Illis autem cogentibus, clarius suam enuntiat potestatem, dicens : « Ut sciatis quia potes- » tatem habet Filius hominis in terra dimittendi peccata. » Vides-ne quantum abest, ut nolit æqualis Patri reputari? Non enim dixit : « Filius hominis alio opus habet ; » neque dicit : « Dedit illi potestatem ; » sed, « Potestatem habet. »

[1] Matth. IX, 4. — [2] 2 Paral. VI, 30. — [3] Psal. VII, 10. — [4] Jer. XVII, 9. — [5] 1 Reg. XVI, 7.

Neque illud ex fastu dicit, sed ut vobis persuadeam, inquit, me non blasphemare, cum me facio æqualem Patri. Ubique enim vult demonstrationes præbere claras firmasque, ut cum dicit : « Vade, ostende te sacerdoti : » socrumque Petri exhibet ministrantem, ac porcos præcipitari jubet. Sic et nunc, remissionis peccatorum signum statuit corporis valetudinem; valetudinis vero, quod grabatum tollat, ne putaretur id, quod gestum erat, phantasma esse. Neque prius illud fecit, quam ipsos interrogasset. « Quid » est, inquit, facilius dicere : Dimittuntur tibi peccata, an » dicere : Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam [1] ? » Quod autem dicit hujusmodi est : « Quid vobis videtur facilius esse, corpus dissolutum firmare, aut animæ peccata dimittere? » Corpus firmare certe. Quanto enim anima præstantior est corpore, tanto peccata dimittere majus est corporis curatione : sed quia illud occultum, hoc vero manifestum est, adjicio id quod minus est, sed apertius; ut id quod majus occultumque est, per hoc factum demonstretur, jam prius operibus revelans id quod Joannes dixerat : « Qui tollit peccata mundi [2]. »

III. Cum itaque jussu ipsius surrexisset, domum illum remisit. Hic rursum ostendens quam a fastu esset alienus, remque illam phantasma non fuisse : hos enim et morbi et sanitatis testes adhibet. Ego quidem optassem, inquit, per morbum tuum eos, qui sani quidem videntur, sed anima ægrotant, sanare. Quia vero id nolunt, « Vade in domum, » ut eos, qui ibi sunt, emendes. Vides quomodo ostendat se et animæ et corporis esse creatorem? Utriusque enim substantiæ paralysim sanat, et quod occultum erat, ex eo quod manifestum est, notum facit. Attamen illi adhuc humi repebant : nam « Glorificaverunt Deum, inquit, qui dedit » potestatem talem hominibus [3]; » ipsis enim caro resiste-

[1] Matth. IX, 5, 6. — [2] Joan. I, 29. — [3] Matth. IX, 8.

bat. Ille vero non increpavit eos, sed prodest tamen illis per opera excitans, eorumque animum in sublime erigens. Interim vero non parvum erat, quod omnium hominum maximus haberetur, quodque a Deo venire putaretur. Nam si hæc firmiter mente tenuissent, paulum proficientes agnovissent ipsum esse Dei Filium. Sed hæc non firmiter retinuerunt, ideoque accedere non potuerunt. Rursum enim dicebant : « Hic homo non est a Deo; » et, « Quomodo hic » a Deo est? » Hæcque frequenter versabant, illa vitiorum suorum tegmina obtendentes. Quod etiam nunc multi faciunt, qui dum Deum vindicare videntur, suis indulgent affectibus, cum oporteret omnia cum mansuetudine tractare. Etenim universorum Deus, qui fulmen vibrare potest in eos qui ipsum blasphemiis impetant, solem suum oriri curat, imbres emittit, cæteraque omnia largiter suppeditat, quem imitari nos oportet, rogare nempe, monere, instituere cum mansuetudine, non irasci, nec efferari. Neque enim ex blasphemia quid nocumenti ad Deum accedit, ut tu excandescas; sed qui blasphemavit, ipse vulnus accepit. Itaque ingemisce, lacrymare; lacrymis enim dignum est hoc vitium, cui curando nullum mansuetudine melius remedium. Mansuetudo quippe omni violentia potentior est. Vide igitur quomodo is ipse qui injuria afficitur, et in veteri et in nova lege loquatur. Ibi quidem dicens : « Po- » pule meus, quid feci tibi [1]? » in nova autem, « Saule, » Saule, quid me persequeris [2]? » Paulus item jubet adversarios cum mansuetudine corripere [3]. Ipse quoque Christus quando accesserunt Discipuli rogantes ut ignem de cœlo emitteret, vehementer increpavit eos dicens: « Nescitis cu- » jus spiritus estis vos [4]. » Hic autem non dicit ipse : « O execrandi et præstigiatores, o invidi et hominum salutis

[1] Mich. VI, 3. — [3] Act. IX, 4. — [3] 2 Tim. II, 24. — [4] Luc. IX, 54.

inimici! Sed, « Quid cogitatis mala in cordibus vestris? » Oportet igitur cum mansuetudine morbum removere. Nam qui ex humano timore melior efficitur, cito ad pravitatem redibit. Ideoque zizania relinqui jussit [1], dans tempus ad pœnitentiam. Multi namque sic pœnitentiam egerunt, et probi facti sunt, qui perversi prius erant, quemadmodum Paulus, publicanus, latro : nam postquam zizania fuerant, in triticum maturum mutati sunt. In seminibus certe id fieri nequit; in proposito et voluntate id certe facile est. Non enim naturæ terminis ipsa alligatur, sed libertate arbitrii honorata fuit. Cum ergo videris veritatis hostem, obsequium illi præbe, curam illius habe, ad virtutem reduc, exemplum vitæ optimum præbens, sermone utens inculpato, patrocinium ipsi et curam impendens, modum omnem emendationis admovens, imitando medicos optimos, qui non una tantum medicinæ ratione utuntur, sed cum vident ulcus priori pharmaco non cedere, aliud adjiciunt, et post illud rursum aliud, et nunc secant, nunc alligant. Et tu itaque animarum medicus effectus, omni utaris curandi ratione secundum Christi leges, ut et salutarium operum tuorum, et aliorum partæ salutis mercedem accipias, ad Dei gloriam omnia faciens, et inde tibi gloriam concilians; nam ait : « Glorificantes me glorificabo, » et qui contemnunt me, contemnentur [2]. » Omnia itaque ad ejus gloriam faciamus, ut beatam illam sortem consequamur : quam utinam omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. XIII, 29. — [2] 1 Reg. II, 30.

HOMILIA XXX.

CAPUT IX.

Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi : Sequere me, et surgens secutus est eum [1].

I. Peracto miraculo, non ibi mansit, ne, illo præsente, invidia magis arderet; sed in gratiam ipsorum recessit, ut morbus ille mitigaretur. Illud quoque nos faciamus, non simul versantes cum insidiantibus, sed eorum ulceri indulgeamus, cedentes et contentionem vitantes. Sed cur non cum Petro, Joanne et aliis vocavit eum? ut tunc illuc venit, cum sciret homines obtemperaturos esse, sic tunc Matthæum vocavit, cum secuturum eum esse noverat. Propterea etiam Paulum post resurrectionem piscatus est. Nam « Qui corda scrutatur, et occulta mentium perspicit [2], » sciebat quandonam quisque eorum obsecuturus esset. Ideoque non initio vocavit illum, cum adhuc duriore esset animo, sed post sexcenta miracula, cum fama sua percrebuisset, quando illum noverat ad obtemperandum aptiorem esse. Non abs re autem fuerit Apostoli philosophiam mirari, qui anteactam vitam non occultavit, sed et nomen suum posuit (5), quod alii in aliud nomen mutando occultavere. Cur porro dixit ipsum sedisse in telonio? Vocantis vim ostendens, quod cum nondum destitisset et improbo telonio hæreret, ex mediis ipsum malis extraxerit. Quemadmodum enim beatum Paulum furentem et rabie percitum convertit : id quod ipse vocantis virtutem demonstrans

[1] Matth. IX, 9. — [2] Rom. VIII, 27.

ait ad Galatas scribens : « Audistis conversationem meam » aliquando in Judaïsmo, quia supra modum persequebar » Ecclesiam Dei [1] ; » sic et piscatores in mediis operibus vocavit : sed illi artem exercebant non vituperabilem quidem, sed quæ erat hominum agrestium, non urbanorum, atque omnino simplicium. Hæc autem lucrandi ratio, impudentia plena erat, ac petulantia, quæstus iniquus et mercatura illiberalis. Attamen nihil horum erubuit is qui vocavit. Nec mirum si publicanum non erubescat, quando nec meretricem vocare non modo non erubuit, sed pedes suos osculari, lacrymisque rigare permisit. Etenim ideo venit, non ut corpus curaret solum, sed ut animæ morbis mederetur : quod etiam paralytico præstitit, et postquam clare ostenderat se posse peccata dimittere, ad hunc postea accessit, ut non turbarentur videntes publicanum in Discipulorum chorum ascribi. Nam qui potest peccata omnia solvere, quid mirum si et hunc Apostolum faciat? Sed ut didicisti vocantis potestatem, sic disce vocati obedientiam. Neque enim repugnavit, neque dubitans dixit : « Quid hoc est? Num me hominem hujusmodi fraudulenter vocat? » Nam certe intempestiva fuisset hujusmodi humilitas. Sed statim obedivit : neque petiit ut domum ire liceret, ut rem cum suis communicaret, quemadmodum etiam piscatores fecerunt : ut enim illi retia, naviculam, et patrem, ita et hic teloniariam mensam et lucrum reliquit, ut sequeretur, ad omnia paratum animum exhibens, et a rebus omnibus sæcularibus se statim abscindens, per obedientiam perfectam testificabatur, quam tempestive vocatus fuisset. Et cur, inquies, non de aliis dixit quomodo vocati fuerint, sed de Petro tantum, Jacobo, Joanne et Philippo, de cæteris vero nusquam? Quia hi maxime erant, qui humiles vel turpes artes exercebant, neque enim quidpiam est publicano de-

[1] Gal. I, 13.

terius, vel piscatore vilius. Quod porro Philippus etiam inter ignobiles censeretur, ex patria liquet. Idcirco hos maxime cum artibus suis prædicant, his declarantes sibi etiam in rebus splendidis fidem esse habendam. Cum enim nihil prætereant eorum, quæ vituperabilia vel vilia sunt, sed hæc præ aliis accurate prædicent, sive illa Magistrum, sive Discipulos spectent, cur in splendidis conspicuisque suspecti fuerint, cum maxime signa et miracula multa prætercurrant, et quæ ad crucem spectant, quæ certe probrosa videntur accurate prædicent, Discipulorum item artes, vilemque sortem, magistri quoque progenitores, qui vel ex peccatis, vel ex vili conditione noti erant, clara voce in medium præferunt? Unde manifestum est ipsos magnam veritatis habuisse rationem, ac neque ad gratiam, neque ad ostentationem scripsisse.

II. Vocatum itaque Matthæum magno affecit honore, ad mensam admittens, quo illum de futuro bene sperare curat, et majorem indit fiduciam. Non enim in sananda ejus iniquitate multum temporis adhibuit, sed illud statim factum est. Neque cum illo tantum recumbit ad mensam, sed cum aliis multis : quanquam id illi crimini dabatur, quod peccatores non abigeret. Verum id non celant Evangelistæ, illi autem accusandi occasiones captabant, ejus explorantes opera. Conveniunt porro publicani, quasi ad artis consortem; nam honori sibi ducens quod Christus ad se venisset, omnes convocavit. Etenim omne curationis genus Christus adhibebat, nec modo cum concionaretur, cum curaret, cum inimicos redargueret, sed etiam cum convivaretur, multos male affectos emendabat. Iis nos docens omne tempus omneque opus posse nobis utilitatem afferre. Quamvis autem ea, quæ tunc apposita erant, iniquitate et avaritia parta essent, non recusavit tamen Christus his convivari : quia magnum inde lucrum eventurum

erat; contubernalis et convictor est eorum, qui hujusmodi iniquitati se dediderant. Hujusmodi quippe medicus nisi ægrorum putredinem ferat, non eos a morbo eruit: quanquam inde malam sibi famam attraheret, et quod cum illo ederet, et quod in domo ejus cum publicanis multis. Vide autem quomodo id illi probro vertant: « Ecce homo edax » et vini potator, publicanorum amicus et peccatorum [1]. » Audiant illi, qui magnam sibi famam ex jejunio parere satagunt: cogitentque Dominum nostrum voracem et vini potatorem vocatum fuisse, neque erubuisse; sed hæc omnia despexisse, ut rem sibi propositam perficeret, id quod etiam evenit. Nam et publicanus conversus est et melior effectus. Ut autem discas quantum boni accederet iis, qui ejusdem cum eo mensæ participes essent, audi quid dicat Zacchæus alius publicanus. Quia enim audivit Christum dicentem: « Hodie in domo tua oportet me manere [2], » gaudio perfusus dixit: « Dimidium bonorum meorum do pauperibus, » et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum [3]. » Cui respondit Jesus: « Hodie salus domui huic facta est [4]. » Sic ex omnibus alios instituere licet. Et quomodo, inquies, Paulus præcipit: « Si quis, cum frater nominetur, sit for» nicarius, aut avarus, cum eo ne comedere quidem opor» tet [5]? » At non patet, an illud etiam magistris præcipiatur, neque solum fratribus. Deinde illi nondum perfecti auctique erant, neque fratribus annumerabantur. Ad hæc vero Paulus jam illos in fratrum numerum ascitos aversari jubet, si in malis perseverent. Hi autem male agere cessaverant conversi. Verum nihil horum Pharisæos compressit, sed criminantes aggrediuntur Discipulos his verbis: « Cur cum publicanis et peccatoribus manducat Ma» gister vester [6]? » Et cum Discipuli peccare videntur,

[1] Matth. xi, 19. — [2] Luc. xix, 5. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9. — [5] 1 Cor. v, 11. — [6] Matth. ix, 11.

Christum sic alloquuntur : « Ecce Discipuli tui faciunt quod » non licet in sabbato facere [1]. » Hic vero apud Discipulos Christum criminantur. Quæ omnia malignantium erant, et volentium Discipulorum chorum a Magistro avellere. Quid igitur immensa illa Sapientia? « Non indigent, inquit, sani » medico, sed qui male habent [2]. » Vide quomodo sermonem eorum in contrarium vertit. Illi namque crimini dabant ipsi, quod cum illis versaretur. Ille contrarium profert, indignum benignitate sua esse si non cum illis versetur : ac non modo se crimine vacuum esse, cum illos emendaret, sed rem esse præcipuam, et necessariam, et mille laudibus dignam. Deinde ne videretur vocatos pudore afficere, cum diceret : « Qui male habent; » vide quomodo leniat illud, cum illos increpat et dicit : « Euntes discite quid est : Mi- » sericordiam volo, et non sacrificium [3]. » Hoc autem dicebat, Scripturarum ignorantiam ipsis vitio vertens. Quamobrem acrius loquitur, non iratus, absit, sed ne illi dubii manerent. Quanquam dicere poterat : « Non cogitatis quomodo paralytico peccata dimiserim, quomodo corpus ejus firmaverim. » At nihil horum dicit. Verum a communibus ratiociniis illos aggreditur primum, et postea a Scripturis. Cum dixisset enim : « Non est opus valentibus medicus, sed » male habentibus, » et seipsum esse medicum subobscure declarasset, tunc dixit : « Euntes discite quid est : Miseri- » cordiam volo, et non sacrificium. » Hoc et Paulus facit. Primo enim a communibus exemplis sic orsus : « Quis pas- » cit gregem, et ex lacte ejus non comedit [4]? » tunc Scripturas inducit et ait : « In lege namque Moysis scriptum est : » Non alligabis os bovi trituranti [5] ; » ac rursum : « Sic Do- » minus constituit, ut qui Evangelium annuntiant, ex Evan- » gelio vivant [6]. » Ad Discipulos autem non sic, sed signa sua

[1] Matth. xii, 2. — [2] Id. ix, 12. — [3] Ibid. 13. — [4] 1 Cor. ix, 7. — [5] Ibid. 9. — [6] Ibid. 14.

in memoriam reducit hoc pacto: « Non meministis quinque » panum, et hominum quinque millium, et quot cophinos » collegistis? »

III. Sed non ita se gerit cum istis; verum communem infirmitatem commemorat, ostenditque ipsos etiam ex infirmorum numero esse; qui nec Scripturas sciebant, et omnem virtutem negligentes, in sacrificiis totum constituebant: quod subindicans ipse, id quod a Prophetis omnibus dictum fuerat, paucis refert dicens: « Discite quid est: Mi- » sericordiam volo, et non sacrificium [1]. » Iis enim ostendit non se inique agere, sed ipsos; ac si diceret: « Cur accusatis me? an quia peccatores emendo? Ergo et Patrem meum hac de re accusabitis. » Quod et alibi eadem mente dicebat: « Pater meus usque modo operatur, et ego ope- » ror [2]; » et hic rursum: « Euntes discite quid est: Miseri- » cordiam volo, et non sacrificium. » Quemadmodum enim hoc ille vult, sic et ego. Vides-ne quomodo illa quidem superflua sint, hæc vero necessaria? Neque enim dixit: « Misericordiam volo et sacrificium; » sed, « Misericordiam » volo, et non sacrificium. » Alterum enim comprobavit, alterum reprobavit; demonstravitque id, quod criminabantur, non modo non vetitum, sed etiam lege præceptum esse, magis quam sacrificia. Ipsamque legem veterem inducit his consona loquentem et præcipientem. Illos itaque perstringens et ex communibus exemplis et ex Scripturis, adjicit: « Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam [3]. » Id vero ironice loquitur, ut cum dicit: « Ecce Adam factus » est sicut unus ex nobis [4]; » ac rursum, « Si esuriero, non » dicam tibi [5]. » Quod enim nullus esset justus in terra, Paulus declaravit his verbis: « Omnes enim peccaverunt, » et egent gloria Dei [6]. » Id etiam eis, qui vocati sunt, conso-

[1] Osee VI, 6. — [2] Joan. V, 17. — [3] Matth. IX, 13. — [4] Gen. III, 22. — [5] Psal. XLIX, 13. — [6] Rom. III, 23.

lationi erat. Tantum abest, inquit, ut peccatores abominationi habeam, ut etiam propter illos tantum advenerim. Deinde, ne illos supinos redderet, cum peccatores memoravit, non jam tacuit, sed adjecit, « Ad pœnitentiam. » Non enim ideo adveni ut illi peccatores manerent, sed ut mutarentur et meliores evaderent. Cum autem illorum ora prorsus clausisset, tum ex Scripturis, tum ex ipsa rerum serie, et nihil ultra dicere possent, quod ipsi iis criminibus obnoxii probarentur, quæ ipsi obtulerant, insuperque legi veteri adversantes, illo misso, in Discipulos crimen transferunt. Lucas quidem ait Pharisæos hoc dixisse [1], Matthæus vero, discipulos Joannis. Verisimile autem est hæc utrosque dixisse. Cum enim illi in dubio versarentur, verisimiliter et illos secum assumpserunt, quod et cum Herodianis postea fecerunt. Invidebant enim semper Christo Joannis discipuli, et contra illum disputabant, tunc demum humiliores effecti, cum Joannes in carcerem trusus est : nam tunc id venerunt nuntiatum Jesu Christo. Postea vero in priorem rursum invidiam sunt reversi. Quid igitur hi dicunt : « Quare nos et Pharisæi multum jejunamus, Discipuli vero tui non jejunant [2] ? » Hic morbus est, quem olim absciderat Christus, cum ait : « Cum jejunaveris, unge capput tuum, et faciem tuam lava [3] ; » cum præsciret ea quæ inde nascitura erant mala. Sed hos ille non increpat, neque dixit : « O vanæ gloriæ cupidi, et futiles homines ! » sed cum omni mansuetudine ipsos alloquitur dicens : « Non possunt filii sponsi jejunare, quandiu cum illis est sponsus [4]. » Quando enim pro aliis loquebatur, pro publicanis nempe, ut eorum animos vulneratos solaretur, exprobrantes vehementius increpavit ; cum autem ipsum et Discipulos carpebant, cum omni mansuetudine occurrit ipsis. Quod autem dicunt illi, hujusmodi est : « Esto, tu, utpote medicus

[1] Luc. VI. — [2] Matth. IX, 14. — [3] Id. VI, 17. — [4] Id. IX, 15.

hoc facias : sed cur Discipuli tui, misso jejunio, hujusmodi mensis accumbunt? » Deinde ut majorem accusationem facerent, se primos ponunt, posteaque Pharisæos, comparatione volentes crimen augere ; nam « Et nos, inquiunt, et » Pharisæi multum jejunamus. » Nam jejunabant illi a Joanne edocti, hi vero a lege; quemadmodum item Pharisæus dicebat : « Jejuno bis in hebdomada [1]. » Quid igitur dicit Jesus? « Num possunt filii sponsi jejunare, quandiu » cum illis est sponsus? » Primo quidem sese medicum vocavit, hic vero sponsum, secreta mysteria per hæc nomina revelans, quanquam poterat illos acrius refellere dicens : « Vos non habetis auctoritatem hujusmodi leges ponendi : quæ enim utilitas ex jejunio, quando anima iniquitate plena est, cum de aliis accusamini, cum damnamini, cum trabes fertis in oculis, et ad ostentationem omnia facitis? Ante hæc enim omnia vanam gloriam ejicere oportuerat, atque alia omnia recte operari, charitatem, mansuetudinem, fratrum amorem. » Verum nihil horum dicit, sed cum omni mansuetudine : « Non possunt filii sponsi jejunare, quan- » diu cum eis est sponsus. » Verba Joannis memorans istæc : « Qui habet sponsam sponsus est : amicus autem sponsi, » est qui stat : et audiens eum, gaudio gaudet propter vocem » sponsi [2]. » Quod autem dicit, hujusmodi est : « Præsens tempus, gaudii, et lætitiæ est. Ne itaque tristia inducas : tristis quippe res est jejunium, non natura sua, sed illis tantum qui infirmius affecti sunt; at iis, qui philosophari volunt, res admodum dulcis est et desiderabilis. Quemadmodum enim corpore bene valente multa lætitia est, sic anima bene affecta, major est voluptas. Sed ad illorum mentem hæc respondit. » Sic et Esaïas de jejunio loquens, humilitatem animi vocat illud [3], et Moyses similiter [4].

[1] Luc. XVIII, 12. — [2] Joan. III, 29. — [3] Isaï. LVIII, 3. — [4] Num. XXX, 14.

IV. Neque hinc tantum illos reprimit Dominus, sed aliunde etiam his verbis : « Venient dies quando auferetur » ab eis sponsus, et tunc jejunabunt [1]. » His enim ostendit non gulæ causa non jejunasse, sed ex quadam dispensatione mirabili : simul vero de passione sua quædam præmittit, et illis respondendo Discipulos instituit et excercitat in meditatione rerum, quæ onerosæ et tristes esse videbantur. Illis enim hoc jam dicere molestum fuisset, quandoquidem cum postea dictum illis fuit, ipsos conturbavit : cum autem aliis diceretur, minus illis onerosum erat. Quia porro verisimile erat illos de passione Joannis altum sapere, hunc ipsorum tumorem inde sedat : nec tamen de resurrectione sermonem inducit, nondum enim tempus erat. Hoc quippe secundum naturam erat, quod homo cum putaretur, moriturus esset. Illud vero supra naturam. Deinde id quod ante fecerat, hic quoque facit. Quemadmodum enim cum conarentur eum crimini obnoxium ostendere, quod cum peccatoribus comederet, contrarium ille probavit, id nempe non crimen esse, sed laudandum ; sic et hoc loco cum volunt probare ipsum, non uti par est, Discipulos instituere, ostendit eos, qui illud dicerent, ignorare quo pacto sectatoribus utendum esset, sed temere accusare : « Nullus enim, inquit, immittit commissuram » panni novi in vestimentum vetus [2]. » Rursus a communibus exemplis sermonem concinnat. Quod autem dicit, hujusmodi est. « Nondum fortes sunt Discipuli, sed adhuc multa egent indulgentia : nondum enim per Spiritum renovati sunt. Sic autem affectis non oportet gravia præceptorum onera imponere. » Hæc autem dicebat, leges et regulas imponens Discipulis suis, ut cum illi in Discipulos ascribent omnes qui in orbe terrarum sunt, cum magna illos mansuetudine tractent. « Neque immittunt vinum no-

[1] Matth. IX, 15. — [2] Ibid. 16.

» vum in utres veteres [1]. » Vides-ne exempla in veteri lege usurpata? Vestimentum, utres. Jeremias populum vocat perizoma, itemque utres memorat atque vinum [2]. Quia enim de mensa et de gula sermo erat, ex ipsis exempla desumit. Lucas vero aliquid amplius dicit, novum nempe scindi [3], si illud veteri junxeris. Vides-ne non modo nullam utilitatem, sed majus detrimentum hinc oriri? Et præsentia quidem narrat, futura vero prædicit; nempe illos novos postea futuros esse, et antequam id eveniat, nihil austerum et grave ipsis præceptum iri. Nam qui ante opportunum tempus, inquit, sublimia dogmata constituere quærit, suo postea tempore non idoneos reperiet, quod illos semel inutiles reddiderit. Illud porro non ex vino procedit, neque ex utribus vinum excipientibus, sed ex eorum qui infuderunt festinatione. Hinc nobis causam exponit, cur illos alloquens humilibus verbis frequenter uteretur : nam propter ipsorum infirmitatem multa dicebat minus sublimia quam pro sua dignitate : quod ipsum quoque dixisse sic refert Joannes : « Multa habeo vobis dicere, » sed non potestis portare modo [4]. » Ne putarent enim illa solum esse quæ dixit, utque alia longe majora mente conciperent, infirmitatem eorum in medium adduxit, pollicitus ea se dicturum, cum fortiores fuerint : id quod hic etiam dicit : « Venient dies cum auferetur ab eis sponsus, » et tunc jejunabunt. » Ne itaque nos omnia ab omnibus in principio exigamus, sed quanta possunt fieri, et cito procedemus ultra. Si autem premis et festinas, ideo ne premas, ut festines. Quod si hoc tibi ænigma videtur esse, ab ipsa rerum natura disce, et tunc dicti vim omnem percipies : nec te moveant ii qui importune accusant; nam hic et Pharisæi accusabant, et Discipulis exprobrabant.

[1] Matth. IX, 17. — [2] Jer. XIII, 10. — [3] Luc. V, 36. — [4] Joan. XVI, 22.

V. Attamen nihil horum Christum a sententia dimovit, neque dixit ille : « Pudor est hos jejunare et hos non jejunare. » Sed ut optimus gubernator non commotis fluctibus, sed arti suæ intentus est; ita et Christus tunc fecit. Etenim pudor erat, non quod illi non jejunarent, sed quod proter jejunium letalia vulnera acciperent, discinderentur, dirumperentur. Quæ etiam nos animo reputantes, sic erga nostros nos geramus. Si uxorem habeas, ornatibus, fuco et pigmentis deditam et his inhiantem, deliciis affluentem, loquacem, et prorsus inutilem; quanquam difficile est in una muliere hæc omnia concurrere, fingamus tamen esse talem. Sed cur, inquies, mulierem, non virum depingis? Sunt certe viri hujusmodi muliere deteriores. Sed quia gubernandi officium viris traditum est, hic interim mulierem describamus : non quod in fœminis major sit nequitia, multa quippe et apud viros reperire est, quæ mulieribus non competunt; ut homicidia, sepulcrorum effossiones, et similia. Ne putetis ergo nos ex sexus hujusmodi contemptu hæc effari. Absit a me; sed ad rem nunc juvat imago hujusmodi. Supponatur ergo nobis mulier talis, virque ejus omni modo studeat ipsam emendare. Quemodo emendabit? Non omnia simul præcipiendo, sed leviora primum, quibus illa non multum angatur. Nam si totum a principio emendare festines, totum perdes. Ne ergo statim ei aurea ornamenta auferas; sed hæc interim habeat, iisque utatur : nam minus malum videtur illud esse, quam pigmenta et fucus. Illa primum auferantur, non ex comminatione vel timore, sed ex suasione et lenitate, ex accusatione in alias mulieres injecta, ex propria tua sententia atque gustu. Dic illi frequenter : « Facies cum tali ornatu non amabilis est, imo injucunda : » illique suade ideo maxime id tibi displicere. Post tuam autem opinionem, aliorum quoque sententiam adduc in medium, dic-

que id formosas deformare solere, ut morbum de medio tollas. Nihil adhuc de gehenna loquaris, vel de regno : nam frustra hæc dixeris. Persuade ipsi majori tibi voluptati esse, si ipsa Dei opus nudum ostendat : illam enim quæ faciem perfricat, tendit, depingit, multis non formosam videri. Primum communibus ratiociniis et omnium calculis morbum abigere tenta; et postquam illam hujusmodi verbis emolliveris, illa alia adjice. Si semel dixeris, nec suaseris, secundo, tertio et sæpius dicas; hæc repetere ne graveris, non odiosa quadam ratione, sed placide, nunc avertendo te, nunc adulando et colendo. Annon vides pictores modo delere, modo picturæ superaddere, ut formosam faciem depingant? Ne sis ergo minus sagax illis. Nam si illi corporis imaginem pingentes, tanta utuntur diligentia, multo magis nos animam efformantes, omnem machinam movere par est. Nam si hujus animæ faciem pulchre efformaveris, non videbis corporis deformatam faciem, non rubricata labia, non os ursæ ori cruentato simile, non atra supercilia, quasi ex ollæ fuligine, non illitas genas ut sepulcrorum parietes. Hæc quippe omnia fuligo, pulvis et cinis, extremique fœtoris signa.

VI. Verum nescio quo pacto in hujusmodi verba delapsus sum, et dum alios hortor ut cum mansuetudine moneant, in iracundiam ipse devolutus sim. Revertamur itaque ad mitiorem admonitionem, omniaque feramus mulierum vitia, ut quæ in optatis sunt perficiamus. Annon vides quomodo ferimus infantes vagientes cum a mamma sunt abstrahendi : omniaque toleramus, ad id solum, ut illis suadeamus priorem despicere mensam? Ita et nunc faciamus, cætera omnia feramus, ut hoc assequamur. Cum enim illud emendatum fuerit, aliud recte procedere videbis, atque ad aurea ornamenta venies, eodemque modo de his etiam loqueris : et sic paulatim uxorem concinnans,

eris pictor optimus, fidelis servus, agricola strenuus. Post hæc autem, in mentem ipsi revoca antiquas illas mulieres, Saram, Rebeccam, formosas et deformes, et ostende illi omnes illas fuisse temperantes et frugi. Nam Lia Patriarchæ uxor, cum formosa non esset, nunquam tale quidpiam excogitavit; sed deformis cum esset, nec multum amaretur a viro, nihil hujusmodi adhibuit, neque faciem suam vitiavit. Sed mansit integra conservans lineamenta, etiamsi fuisset a gentilibus educata. Tu vero quæ fidelis es, cujus caput Christus, satanicam nobis machinam inducis? nec recordaris aquæ illius, quæ faciei tuæ circumfusa fuit; sacrificii quod labia tua ornavit; sanguinis qui linguam tuam cruentavit? Si enim hæc omnia tecum reputares, quantumvis ornatibus hujusmodi dedita esses, non auderes pulverem illum cineremque adhibere. Disce te Christo desponsatam esse, et hoc dedecus aversare. Neque enim ille talibus delectatur picturis; sed aliam quærit pulchritudinem, quam vehementer amat, animæ decorem dico. Hunc te Propheta quærere jubet his verbis: « Et concu» piscet rex decorem tuum [1]. » Ne itaque superflua et indecora quæramus: neque enim opus Dei quodpiam imperfectum est, ut tua egeat correctione. Nam si quis imperatoriæ imagini erectæ aliquid de suo adjicere tentaret, non tutus esset conatus, sed extremo periculo foret obnoxius. Atqui homo illam operatus est, et nihil adjicis: hic vero Deus auctor, et emendas? Non cogitas gehennæ ignem? non animam neglectam? Ideo namque illa neglecta est, quia tota cura in carnem collata fuit. Ecquid de anima loquor? nam ipsi quoque carni contraria contingunt iis quæ vos optatis. Hic vero attende: Vis formosa apparere? Hoc te deformem ostendit. Vis placere viro? Id illum mœrore afficit: ac neque illum solum, sed externos omnes

[1] Psal. XLIV, 4.

tibi accusatores efficit. Vis junior apparere? Hoc te citius in senectutem ducet. Vis ornari? Hoc tibi dedecori est. Nam hujusmodi mulier non æquales modo, sed ancillas conscias et domesticos scientes pudore afficit, multoque magis seipsam. Sed cur hæc dicam? nam quod omnium gravissimum est prætermisi : te nempe Deum offendere, castitatem suffodere, zelotypiæ flammas accendere, prostituta sub fornice scorta imitari. Hæc itaque omnia cogitantes, satanicam pompam, diabolicamque artem contemnite, dimissoque illo ornatu, imo dedecore, pulchritudinem illam in animabus vestris apparate, quæ Angelis amabilis, Deo optabilis et consortibus suavis est; ut et præsentem et futuram gloriam consequamini, quam utinam nos omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXI.

CAPUT IX.

Hæc illo loquente, ecce princeps ingressus adorabat eum dicens : Filia mea modo defuncta est ; sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. Et surgens Jesus secutus est eum, et Discipuli ejus [1].

I. Opus [2] sermones secutum est, ita ut magis Pharisæorum ora comprimerentur : nam qui accessit synagogæ princeps erat, luctusque gravis. Unica enim puella erat, annorumque duodecim, quod flos erat ætatis : et statim

[1] Matth. IX, 18, 19.— [2] Vide D. Guillon, tom. XVI, pag. 256-265.

illam suscitavit. Quod si Lucas narret venisse qui dicerent : « Noli vexare Magistrum, mortua enim est [1] ; » dicemus illud, « Modo defuncta est, » a tempore in itinere insumpto conjicientis fuisse, vel calamitatem augentis. Mos enim supplicum est mala sua verbis extollere, et plus quam vere sit dicere, ut facilius rogatos exorent. Vide autem quam rudis sit : duo enim postulat a Christo, ut veniat, et manum imponat. Quod signum erat ipsum eam adhuc spirantem reliquisse. Hoc et Syrus ille Naaman a Propheta petebat his verbis : « Exibit, et manum suam » imponet [2]. » Nam visu et rebus sub sensum cadentibus opus habent ii qui rudioris animi sunt. Marcus porro dicit ipsum tres assumpsisse Discipulos [3], Lucasque similiter [4] ; hic vero Discipulos simpliciter. Cur ergo Matthæum non accepit, qui nuper accesserat? Ut illum in majorem cupiditatem injiceret, et quod imperfectior adhuc esset. Ideo enim illos honorat, ut hi illos imitentur. Matthæo autem satis erat, quod sanguinis fluxu laborantem vidisset, et quod eadem mensa dignatus fuisset, ejusdem salis participatione. Surgentem porro multi secuti sunt, quasi ad magnum miraculum, et ob dignitatem accedentis ; tum etiam quia multi adhuc rudiores, non tam animæ curam, quam corporis sanitatem quærebant : et confluebant, alii suis compulsi morbis, alii curationis aliorum spectatores esse cupientes ; doctrinæ autem causa pauci interim ad eum accedebant. Nec concessit eos domum ingredi ; sed Discipulos tantum, neque omnes, ubique nos instituens ad vulgi existimationem depellendam. « Et ecce mulier quæ » sanguinis fluxum patiebatur a duodecim annis, accessit » retro ; et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim » intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva

[1] Luc. VIII, 49. — [2] 4 Reg. V, 11. — [3] Marc. V. — [4] Luc. VIII.

» ero [1]. » Cur non fidenter ad illum accessit? Quod puderet de morbo, sese namque immundam putabat. Nam si menstruata non munda putabatur, multo magis illa quæ tali morbo laborabat id credere poterat : hujusmodi enim immundities magna secundum legem putabatur esse. Ideo sese abdit et occultat. Alioquin vero nondum illa consentaneam et perfectam de illo opinionem habebat. Neque enim putasset se latere posse. Prima vero hæc mulier publice accedit. Etenim audivit ipsum etiam mulieres curare, et puellam mortuam adire. In domum autem vocare non ausa est, etsi dives esset. Neque publice accessit, sed clam cum fide vestimenta tetigit. Non dubitavit, neque in seipsa dixit : « Num liberabor a morbo, necne? » sed de sanitate recuperanda confidens accessit : « Dicebat enim, » inquit, intra se : Si solum testigero vestimentum ejus, » salva ero. » Noverat enim ex qua egrederetur domo, nempe publicanorum, et quinam sequerentur, nimirum peccatores et publicani. Hæc vero omnia fidem ipsi indebant. Quid igitur Christus? Non permisit eam latere, sed in medium adduxit, et multis de causis illam manifestam esse voluit. Quanquam quidam stolidi dicant hoc ipsum ideo fecisse, quod gloriam amaret. Cur enim, inquiunt, non permisit illam latere? Quid dicis, execrande, qui jubet tacere, qui sexcenta miracula prætercurrit, gloriam amat? Cur ergo illam in medium adducit? Primo solvit mulieris timorem, ne conscientiæ stimulis agitata, utpote quæ gratiam illam suffurata esset, scrupulo laboraret. Secundo ipsam corrigit, quod se latere putaret. Tertio, fidem ejus omnibus notam reddit, ut alii eam imitarentur. Neque minus signum edit cum ostendit se omnia scire, quam cum fluxum sanguinis cohibet. Deinde archisynagogum, cujus fides periclitabatur, quo pacto omnia perdidisset, per mu-

[1] Matth. IX, 20, 21.

lierem illam confirmaret. Nam venerant qui dicerent : « Noli vexare Magistrum, nam mortua est puella [1]. » Qui autem in domo erant irridebant eum, quod diceret illam dormire, verisimileque erat patrem etiam quidpiam simile passum esse.

II. Ideo illam infirmitatem prius emendans, mulierculam adducit in medium. Quod enim admodum rudis ille esset, audi quid ipsi dicat : « Ne timeas, tu solum crede, » et salva erit [2]. » Nam de industria morabatur, ut tunc accederet, cum mortua esset, ut clara resurrectio esset. Idcirco tardius incedit, et mulieri multa loquitur, ut interim illa moreretur, et accederent, qui hæc nuntiarent ac dicerent : « Noli vexare Magistrum. » Hoc et Evangelista subindicat dicens : « Adhuc eo loquente, venerunt de domo dicentes : Mortua est filia tua. Noli vexare Magistrum. » Volebat enim evulgari et credi mortem, ne resurrectio suspecta esset ; et hoc ubique facit. Sic et in morte Lazari, post primam, secundam tertiamque diem accessit. Ideoque illam in medium adducit et ait : « Confide, filia [3] ; » sicut et paralytico dicebat : « Confide, fili [4]. » Formidolosa quippe mulier erat, ideoque dicit : « Confide, » et filiam vocat : nam fides illam filiam effecerat ; hinc in laudem ejus dicit : « Fides tua te salvam fecit [5]. » Lucas vero plura alia nobis de muliere narrat. Cum enim accessisset, inquit, et curata fuisset, non statim illam Christus vocavit, sed prius dixit : « Quis me tetigit [6] ? » Deinde Petro et aliis dicentibus : « Præceptor, turbæ te constringunt et comprimunt, et di- » cis : Quis me tetigit [7] ? » Quod maximum signum erat ipsum carne vere circumdatum fuisse, et fastum omnem calcasse. Neque enim procul sequebantur, sed undique comprimebant. Ille vero, inquit, dicere perstitit : « Tetigit me

[1] Luc. VIII, 49. — [2] Ibid. 50. — [3] Matth. IX, 22. — [4] Ibid. 2. — [5] Luc. VIII, 45. — [6] Ibid. 45.

» aliquis, novi enim virtutem ex me exivisse [1], » rudiorem responsionem pro auditorum captu et opinione concinnans. Hæc autem dicebat, ut illam ad confitendum induceret. Ideoque non statim illam arguit; quo ostendens se omnia perfecte scire, suaderet illi omnia sua sponte declararet, et quod factum erat prædicaret, ne si ipse dixisset, suspectus videretur. Vides-ne mulierem archisynagogo præstantiorem? Non retinuit, non apprehendit, sed summis tantum digitis tetigit, et cum ultima venisset, prior sanata discessit. Ille Medicum adduxit domum; huic tactus solus satis fuit. Nam etsi ægritudine ligaretur, fide ceu alis attollebatur. Perpende autem quomodo illam consoletur dicens: «Fides tua te salvam fecit. » Atqui si ostentationis causa in medium illam produxisset, nequaquam illud adjecturus erat; sed hæc dixit ut archisynagogum ad credendum institueret, et mulierem commendaret, atque his verbis voluptatem ipsi utilitatemque præberet corporis curatione non minorem. Quod autem ad mulierem celebrandam cæterosque emendandos id fecerit, non autem sui ostentandi causa, vel hinc conspicuum est, quod ipse, hoc etiam dempto signo, nihilominus admirandus futurus esset, cum nivales imbres miracula numero superarent, et longe majora fecisset facturusque esset: mulier vero, nisi id ita factum esset, latens et tantis vacua laudibus abscessisset. Ideoque ipsam in medium adductam celebravit, ejusque timorem depulit: nam tremens accessit, inquit, ipseque illi fiduciam indidit, et cum corporis valetudine, alia ipsi viatica dedit, dicens: « Vade in pace. » Veniens autem in domum principis, « Vi» densque tibicines et turbam tumultuantem, dixit: Dis» cedite: non est enim mortua puella, sed dormit: et deri» debant eum [2]. » Pulchra certe archisynagogorum indicia, cum post mortem tibiæ et cymbala ad fletum moverent.

[1] Matth. IX, 23, 24.

Quid igitur Christus? Alios omnes expulit, parentes autem introduxit, ne dici posset alium curavisse : et antequam suscitet, voce illud efficit, cum ait : « Non est mortua puella, sed dormit. » Multis quoque aliis in locis hoc facit ; ac sicut in mari primum Discipulos increpavit : sic et hoc loco ex præsentium mentibus perturbationem ejicit ; simul ostendens facile sibi esse mortuos suscitare. Quod etiam in Lazaro fecit dicens : « Lazarus amicus noster dormit[1] : » una docens non timendam esse mortem : neque enim jam esse mortem, sed somnum. Nam quia ipse moriturus erat, aliorum corpora suscitando Discipulos præparabat ad fiduciam sumendam, mortemque suam leniter ferendam. Postquam enim ipse advenerat, mors jam nonnisi somnus erat. Attamen deridebant eum : ipse vero non indigne tulit, cum non crederent iis quæ mox ipse mirabiliter operaturus erat. Neque increpavit ridentes, ut et risus et tibiæ et cymbala aliaque omnia, mortis essent testimonia.

III. Quia enim sæpe miracula patrata non credunt homines, sua ipsorum responsione illos prævenit, ut et in Lazaro et in Moyse factum est. Moysi namque dixit : « Quid » hoc est in manu tua[2] ? » Ut cum vidisset serpentem factum, non obliviscretur virgam prius fuisse ; sed vocis propriæ recordatus, de re gesta obstupesceret. Et de Lazaro ait : « Ubi posuistis eum ? » Ut, qui dixerunt : « Veni et vide, » et, « Jam fœtet, quatriduanus enim est[3], » non dubitare possent quin ipsum mortuum suscitavisset. Videns igitur cymbala et turbas, omnes ejicit, et in præsentia parentum miraculum operatur, non aliam inducens animam, sed illam ipsam quæ exierat reducens, et quasi ex somno excitans. Apprehendit vero manum, ut spectatores certiores fierent, et hoc exemplo viam pararet ad fidem resurrectionis. Pater namque dicebat : « Impone manum. » Ille vero plus

[1] Joan. xi, 11. — [2] Exod. iv, 2. — [3] Joan. xi, 34 et 39.

facit; non imponit enim, sed apprehendit, et suscitat mortuam, ostendens omnia ipsi prompta parataque esse. Neque modo suscitat, sed cibum ipsi dari jubet, ne videretur res esse phantasma. Neque ipse dat, sed alios dare jubet. Quemadmodum et de Lazaro ait: «Solvite illum, et sinite »abire[1],» et postea mensæ consortem efficit. Etenim semper utrumque comprobare solet, et mortem et resurrectionem accuratissime assertam. Tu vero ne solam resurrectionem perpendas velim, sed etiam quod præceperit ut nemini dicerent, et per omnia discas fastum vanamque gloriam esse omnino vitandam; illudque præterea discas ipsum lugentes extra domum ejecisse, atque velut indignos tali spectaculo declarasse: tu vero ne exeas cum tibicinibus, sed mane cum Petro, Joanne et Jacobo. Nam si tunc illos foras ejecit, multo magis nunc id faciat. Tunc enim nondum palam erat mortem jam somnum esse factam: nunc autem ipso sole clarius est. At nunc non filiam tuam suscitavit? Sed suscitabit illam cum majore gloria. Illa enim quæ surrexit, iterum mortua est; tua vero cum surrexerit, manebit immortalis. Nemo itaque deinceps lugeat, neque lamentetur, nemo hoc Christi opus calumnietur. Vicit enim ille mortem. Quid ergo frustra ploras? mors somnus effecta est. Quid lamentaris et luges? Illud enim si gentiles facerent, irridendi essent. Cum autem fidelis hoc turpiter fecerit, quam habebit excusationem? Quæ venia erit hæc insipienter agentibus post tantum temporis et claram resurrectionis probationem? Tu vero, ac si studeas hoc peccatum amplificare, præficas nobis gentiles adducis, luctum excitans et fornacem incendens: nec audis Paulum dicentem: « Quæ societas Christi cum Belial? aut quæ portio fi»delis cum infideli[2]?» Certe gentiles, qui nihil de resurrectione sciunt, consolandi tamen rationes inveniunt dicentes:

[1] Joan. xi, 44. — [2] 2 Cor. vi, 15.

«Fortiter feras : neque poteris id quod factum est, infectum reddere, vel lamentis rem mutare.» Tu vero qui sublimioris utiliorisque philosophiæ præcepta audis, non erubescis turpiora quam illi agens?» Neque enim dicimus nos : « Fortiter feras, non possumus enim quod factum est infectum reddere ; » sed, « Fortiter feras, nam omnino resurget, dormit enim puella, non mortua est : quiescit, nec periit. Illam excipiet resurrectio, vita sempiterna, immortalitas, sors angelica. » Non audis Psalmum dicentem : « Converstere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit »tibi [1]. » Deus mortem beneficium vocat, et tu luges? Et quid amplius faceres si defuncti inimicus et hostis esses? Si lugendum, diabolo lugendum est. Ille lugeat, ille lamentetur, quia majora bona pergimus. Illius nequitia digna est hujusmodi lamentatio, secus tu, qui ad coronam et requiem vocaris. Nam portus tranquillus mors est. Perpende igitur quot malis plena sit vita præsens : cogita quoties ipsi maledixeris. Nam in pejus semper res vertuntur, atque a principio non modicam damnationem sortitus es. « In dolo»ribus, inquit, paries filios : » et, « In sudore vultus tui co»medes panem tuum [2] : » et, « In mundo tribulationem ha»bebitis [3]. » At de futuris rebus nihil hujusmodi dicitur, imo contrarium prorsus : « Effugit dolor, tristitia et gemi»tus [4] : » et, « Ab oriente et occidente venient, et recum»bent in sinu Abrahæ, et Isaac et Jacob [5] : » et illic sponsus spiritualis, lucernæ fulgidæ, translatio in cœlum.

IV. Cur ergo mortuum deturpas? Cur aliis timorem tremoremque mortis accersis? Cur occasionem multis præbes incusandi Deum, utpote qui magna fecerit mala? Imo vero cur postea pauperes vocas, et sacerdotes rogas ad precandum? Ut in requiem abeat, inquies, is qui mortuus est, ut

[1] Psal. cxiv, 7. — [2] Gen. III, 16 et 19. — [3] Joan. XVI, 33. — [4] Isaï. XXXV, 10. — [5] Matth. VIII, 11.

propitium habeat judicem. Ea igitur de causa ploras et ingemiscis? Ergo tecum ipse pugnas, cum illi tempestates paras qui ad portum abiit. Et quid faciam, inquies? id natura exigit. Non est naturæ culpa neque rerum seriei; sed nos, qui omnia susdeque vertimus, molles nimium sumus, nostram prodimus nobilitatem, et infideles deteriores facimus. Quomodo enim cum alio de immortalitate disseremus? Qua ratione gentilem ad illam credendam inducemus, cum magis quam ille mortem horreamus et timeamus? Multi certe ex gentilibus, qui immortalitatem non credebant, mortuis filiis, imposita sibi corona, vestem candidam induerunt, ut præsentem gloriam aucuparentur. Tu vero ne ob futuram quidem gloriam cessas effœminato more lamentari et plangere. Sed hæredem non habes, neque successorem? Quid vero malis, bonorum tuorum hæredem esse, an cœlorum? Quid malis, an ut ille tua excipiat bona, quæ brevi relinquenda erunt, an manentia æternaque bona? Illum hæredem non habuisti, sed habuit Deus: non fuit cohæres fratrum suorum, sed fuit Christi. Et cui vestes, inquies, cui ædes, cui servos et agros relinquemus? Ipsi profecto, et sic tutius repones, quam si viveret, nihil quippe te impedit. Nam si Barbari una cum defunctis res ipsorum cremare solent (6), multo magis te par est ad defunctum mittere ea quæ ad ipsum pertinent, non ut in cinerem reducantur ut illa, sed ut majorem illi gloriam pariant, et si peccator decessit, ut peccata eluantur; si justus, ut illi mercedis ac retributionis augmentum accedat. At videre ipsum desideras? Eamdem igitur quam ipse vitam transige, et cito illa sacra visione frueris. Illud etiam cogita te, si nos non audieris, in futuro id omnino experturum esse. Verum nulla tibi merces erit: nam a temporis diuturnitate, consolatio illa tibi accedet. Si porro nunc philosophari volueris, duo præcipua lucraberis; te quippe a malis circum-

stantibus erues, et splendidiore corona a Deo donaberis. Eleemosynam enim multasque alias virtutes superat calamitatum tolerantia. Cogita ipsum Dei Filium mortuum esse; ille pro te mortuus est, tu pro teipso: Dixit autem: «Si possibile est, transeat a me calix iste[1]:» ac tristitia mœroreque affectus mortem non effugit, sed etiam plurimis tortus cruciatibus, mortem subiit non vulgarem, sed omnium turpissimam: et ante mortem flagella, ante flagella vero convitia, derisiones, contumelias, te instituens ad omnia fortiter ferenda. Sed post mortem, postquam corpus deposuerat, illud cum majore gloria resumpsit, teque bona spe falcit. Hæc si non fabula sunt, ne plores. Hæc si credibilia putas, ne lacrymeris. Si vero fleveris, quomodo poteris gentilibus persuadere te vere credere?

V. At tibi adhuc intolerabilis casus ille videtur? Ergo non lugendus ideo ille est, qui a tot calamitatibus jam est liber? Ne itaque ipsi invideas. Nam tibi ob immaturum ejus obitum mortem optare, lugereque quia non vivit ut talia multa patiatur, invidi certe est. Noli ergo cogitare ipsum nunquam domum esse rediturum, sed te brevi ad illum esse migraturum. Ne cogites ipsum non ultra huc esse venturum; sed cogita hæc visibilia non ita ut sunt mansura, sed transformanda esse. Nam cœlum, terra, mare et omnia transmutantur, tuncque omnia cum majore gloria accipiet filius tuus. Et siquidem peccator abiit, nequitiæ cursus interceptus fuit; neque enim si mutandum ilium fore Deus prævidisset, illum ante pœnitentiam abripuisset. Si vero justus discessit, in tuto bona sua possidet. Unde manifestum est lacrymas tuas non esse lacrymas amoris, sed irrationabilis affectus. Nam si defunctum amares, gaudere opoteret et lætari, quod a præsentibus fluctibus sit ereptus. Quid enim amplius, quæso, videre est? Quid in-

[1] Matth. xxvi, 39, et Luc. xxii, 42.

solitum et novum? Nonne eadem ipsa quotidie revolvi videmus? Diem nox excipit, noctem dies, hiemem æstas, æstatem hiems, et nihil amplius. Et hæc quidem semper eadem : mala vero semper insolita et nova. Hæc ergo volebas illum quotidie haurire et hic manere, ægrotare, lugere, timere, tremere, et alia mala pati, alia formidare? Neque enim dicere ausis potuisse illum longum hoc pelagus trajicientem, mœroribus sollicitudinibusque vacuum esse. Ad hæc perpende te non genuisse immortalem, ac si non jam mortuus esset, paulo postea moriturum fuisse. At non satiatus eras illius consuetudine? Sed ibi semper illo frueris. At velles hic ipsum videre? Et quid vetat? Licet tibi illum videre, si sapias : spes enim futurorum ipso visu clarior est. Tu vero si in regia esset, ibique floreret, non quæsisses illum videre : ac cum ad longe meliorem sortem abierit, propter parvum absentiæ tempus animo deficis? cum maxime consortem tecum habeas. Sed virum non habes? At consolatorem habes patrem orphanorum et judicem viduarum. Audi Paulum hanc viduitatem beatam prædicantem, ac dicentem : « Quæ autem vere vidua » est et solitaria, speravit in Domino [1]. » Etenim hæc probatior erit, quæ majorem exhibuerit patientiam. Noli igitur lugere de ea re quæ tibi coronam parat, de qua mercedem postulas. Reddidisti enim depositum, si id quod tibi creditum erat exhibuisti. Ne sis ergo sollicita, si in thesauro inviolabili quod possidebas deposuisti. Si porro didiceris quæ sit præsens vita, quæ futura, quodque hæc sit aranea et umbra, omnia vero quæ in illa sunt, immota immortaliaque, non alio egebis sermone. Nunc enim filius tuus ab omni mutatione ereptus est. Si autem hic mansisset, forte bonus forte malus futurus erat. Annon vides quot homines filios suos abdicant, et quot pejores abdicatis coguntur

[1] 1 Tim. v, 5.

domi retinere? Hæc itaque in mente versantes philosophemur; ita enim et defuncto grati erimus, et apud homines multis laudibus fruemur, atque a Deo magnam patientiæ mercedem referemus, æternaque bona consequemur; quæ utinam nos omnes adipiscamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXII.

CAPUT IX.

Et proficiscente inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes et dicentes : Miserere nostri, fili David. Et cum venisset in domum accesserunt ad eum duo cæci : et dicit eis Jesus : Creditis quia hoc possum facere? Dicunt ei : Utique, Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum [1].

I. Cur [2] illos clamantes protrahit? Hic rursum nos instituit ad vanam gloriam fugiendam : quia enim domus e vicino erat, illuc duxit eos ut seorsim sanaret. Idque palam est ex eo quod præceperit ut nemini dicerent. Neque parum Judæi inde culpantur, quod hi, quibus nullus oculorum usus erat, ex auditu solo fidem amplexi sint : illi autem miracula videntes, ac testes habentes ipsos oculos, contra quam cæci faciant. Vide autem illorum animi ardo-

[1] Matth. IX, 27-30. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, pag. 17-29.

rem tum a clamore, tum ab ipsa precandi ratione. Non enim simpliciter accesserunt, sed magna voce clamantes, nihil aliud quam « Miserere » proferentes. Filium autem Davidis appellabant, quia honorificum nomen videbatur esse. Sæpe namque Prophetæ reges illos, quos honorare magnosque prædicare volebant, sic appellabant [1]. Domum vero adductos, secundo interrogat. Ut plurimum enim studebat supplicantes sanare, ne quis putaret ipsum ad miracula patranda per ostentationem insilire. Neque ea solum de causa, sed etiam ut ostenderet dignos illos esse qui curarentur, et ne quis diceret, si ex misericordia tantum sanabat, oportuisse omnes sanare : habet enim misericordia quamdam rationem ex fide rogantium petitam. Neque ideo tantum fidem ab illis exigit ; sed quia dixerant, « Fili Da» vid, » ut illos ad quid sublimius erigeret, et doceret quid de se existimandum esset, interrogavit : « Creditis quia hoc » possum facere? » Non dixit : « Creditis quod possim rogare Patrem meum, vel, quod possim precari, » sed « Quod ego » possim hoc facere. » Quid autem illi ? « Utique, Domine. » Non jam illum filium David vocant, sed ad sublimiora volant, et Dominum illum confitentur, ac tunc demum manum imposuit, dicens : « Secundum fidem vestram fiat » vobis. » Id vero facit, ut fidem eorum confirmet, ostendatque ipsos in partem operis venisse, ac testificetur non adulationis hæc verba fuisse. Neque enim dixit : « Aperian» tur oculi vestri, » sed, « Secundum fidem vestram fiat vo» bis : » id quod etiam multis accedentibus dicit, ante corporis curationem fidem in animis statuere volens, ut et illos celebriores, et alios studiosiores redderet. Ita et in paralytico facit : antequam corpus firmaret, animam jacentem erigit dicens : « Confide, fili, remittuntur tibi peccata » tua [2]. » Puellam vero ab se resuscitatam apprehendit, et

[1] Ezech. xxxiv, 24, et Zach. xii, 8. — [2] Matth. ix, 2.

per cibum docuit quis ipsi beneficium contulisset [1]. In centurione similiter fecit, fidei totum attribuens : cum autem Discipulos ex maris tempestate eruit, primo illos ex fidei infirmitate liberavit. Ita et hic fecit : sciebat enim secreta cordis eorum antequam ipsi loquerentur. Ut autem alios quoque ad idem studium incenderet, ipsis hos conspicuos reddit, in fine curationis occultam fidem illorum prædicans. Deinde post factam curationem præcipit ut nemini dicant, nec simpliciter præcipit, sed vehementissime vetat : nam acriter illis interminatus est, inquit, Jesus, dicens : « Cavete ne quis sciat. Illi vero egressi prædicave»runt eum in tota terra illa [2]. » Non se continere illi potuerunt, sed fuere præcones et evangelistæ, jussique tacere id quod factum fuerat, obsequi non potuerunt. Quod si alibi dicat : « Vade, et narra gloriam Dei, » illud jam dictis non repugnat, imo illis admodum consonat. His enim nos instituit, ut ne prædicemus nos ipsos, imo coërceamus eos qui nos celebrare vellent : si vero ad Deum gloria referatur, non modo non impediamus, imo id agere aliis præcipiamus. « Ipsis autem egressis, obtulerunt ei hominem mu»tum, dæmonium habentem [3]. » Non enim morbus ex natura prodierat, sed ex dæmoniis insidiis. Quapropter aliis qui ipsum adducerent opus habuit. Neque enim ipse rogare poterat, mutus cum esset, neque aliis supplicare, cum dæmon linguam ejus alligasset, animamque cum lingua vinxisset. Ideoque illius fidem non exigit, sed statim morbum curat. « Ejecto autem dæmone, inquit, lo»cutus est mutus. Turbæ autem admiratæ sunt dicentes : »Nunquam visum est simile in Israël [4]. » Id quod maxime Pharisæos mordebat, quod ipsum omnibus anteponerent, non vivis solum, sed etiam qui ante fuissent. Anteponebant

[1] Marc. v, 41-43, et Luc. viii, 49-55. — [2] Matth. ix, 30. — [3] Ibid. 32. — [4] Ibid. 33.

vero, non quod curaret modo, sed quod facile, cito innumerasque ægritudines insanabiles. Sic quidem populus.

II. Pharisæi contra, non modo facta calumniantur, sed sibi ipsis contraria dicentes, non erubescunt. Hujusmodi est nequitia. Quid enim dicunt? « In principe dæmoniorum ejicit dæmonia [1]. » Quo quid stultius? nam ut postea dicit, non potest dæmon ejicere dæmonem. Nam ille sua conservare et firmare solet, non destruere. Ipse vero non modo dæmonas ejiciebat, sed etiam leprosos mundabat, mortuos suscitabat, mare frenabat, peccata dimittebat, regnum prædicabat, ad Patrem adducebat : id quod nunquam dæmon facere velit, neque possit. Nam dæmones ad idola adducunt, a Deo avertunt, suadentque ne futuræ vitæ credatur. Dæmon contumelia affectus non beneficium præstat, imo ne quidem affectus injuria nocet iis qui ipsum colunt et honorant. Ille contra post tot injurias et contumelias. « Circuibat urbes omnes et vicos docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, curans omnem morbum et omnem infirmitatem [2]. » Nec modo illos non puniebat ingratos, sed ne increpabat quidem : simul mansuetudinem suam ostendens, et hanc calumniam confutans : insuperque per sequentia signa volens plura præbere argumenta, ac deinde verbis arguere. Circuibat itaque et per civitates et per vicos, perque synagogas eorum, docens nos, sic maledicta non maledictis, sed beneficiis majoribus refellenda esse. Nam si non propter homines, propter Deum certe conservis beneficia præstas ; quidquid illi agant, ne cesses bene facere, ut major sit merces ; ita ut qui post calumniam illatam bene facere desinit, ostendat se non propter Deum, sed propter hominum laudem hanc exercere virtutem. Ideo Christus ut nos doceret se ex sola benignitate id agere : non solum non expectabat

[1] Matth. IX, 34. — [2] Ibid. 35.

ægros ad se venire, sed ad illos contendebat, duo maxima ipsis bona conferens, Evangelium regni, et morborum omnium curationem. Nullam urbem despiciebat, nullum vicum prætercurrebat, sed omnem adibat locum. Sed neque hic gradum sistit, verum aliam quoque providentiam exhibet. « Cum videret enim turbas, miseratus est illos, quia vexati » erant, et abjecti quasi oves non habentes pastorem. Tunc » dixit Discipulis : Messis quidem multa, operarii autem » pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios » in messem suam [1]. » Vide rursum quam sit ab inani gloria alienus : ne enim omnes ad se pertraheret, Discipulos emittit. Neque hac solum de causa, sed illos instituens, ut in Palæstina, ceu in quadam palæstra sese exercentes, sic ad certamina per orbem suscipienda se præpararent. Idcirco majora certaminum exercitia ponit, et quanta virtus ipsorum ferre poterat, ut facilius sequentia certamina adirent, ipsos quasi teneras aviculas ad volatum exercens. Interimque illos medicos corporum constituit, reservans ipsis in posterum animarum medelam quæ præcipua est. Ac perpende quomodo rem hanc et facilem et necessariam ostendat. Quid enim ait? « Messis quidem multa, operarii » autem pauci. » Non enim mitto vos, inquit, ad sementem, sed ad messem, quod etiam in Evangelio Joannis dixit : « Alii laboraverunt, et vos in laborem eorum introistis [2]. » Hæc porro dicebat, et eorum sublimiorem sensum reprimens, et ad fiduciam sumendam instruens, ostendensque majorem jam præcessisse laborem. Vide autem mihi hic illum a misericordia incipere, non a spe mercedis. Misertus est enim, quod essent vexati, et projecti quasi oves non habentes pastorem. Hæc principum Judæorum accusatio est, qui pastores cum essent, sese lupos exhibebant. Non modo enim plebem non emendabant, sed ne proficere a

[1] Matth. IX, 36-38. — [2] Joan. IV, 38.

in melius impediebant. Illis itaque mirantibus ac dicentibus : « Nunquam simile visum est in Israël ; » illi contra : « In principe dæmoniorum ejicit dæmonia. » Sed quosnam hic operarios dicit ? Duodecim Discipulos. Num cum dixerit, operarii pauci, alios adjecit ? Minime : sed illos emisit ; cur ergo dicit : « Rogate dominum messis, ut mittat ope» rarios in messem suam, » et nullum ipsis adjicit ? Quia cum duodecim essent, multos postea effecit, non aucto numero, sed virtutem largitus.

III. Deinde ostendens quantum esset donum, ait : « Rogate » ergo dominum messis, » obscurius declarat se auctoritatem habere. Cum dicit enim : « Rogate dominum messis, » ipsos nihil precantes vel rogantes statim ordinat, Joannis verba ipsis commemorans, aream, ventilabrum, paleam, frumentum. Unde patet ipsum esse agricolam, messis dominum, nec non Prophetarum. Nam si ad metendum misit, palam est eum non aliena metere, sed ea quæ per Prophetas seminavit. Neque hinc solum fiduciam illis dedit ut ministerium suum messem vocarent, sed quod illis ad hujusmodi ministerium potestatem indiderit. « Et convo» catis, ait, duodecim Discipulis suis, dedit eis potestatem » spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent » omnem languorem et omnem infirmitatem [1]. » Atqui nondum Spiritus erat datus : « Nondum enim, inquit, Spiritus » erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus [2]. » Quomodo ergo ejiciebant spiritus ? Ex ejus præcepto atque potestate. Perpende autem mihi apostolatus opportunitatem. Non enim a principio misit illos, sed cum jam ipsum idoneo tempore secuti essent, ac vidissent mortuum suscitatum, mare increpatum, pulsos dæmonas, paralyticum sanatum, peccata remissa, leprosum mundatum, ac sufficientia potestatis illius argumenta et per verba et per opera

[1] Matth. x, 1. — [2] Joan. vii, 39.

accepissent; tunc illos mittit; non ad res periculosas, nondum enim in Palæstina periculum erat; sed contra calumnias tantum pugnandum erat. Attamen pericula illis prædicit, anteque tempus illos præparat, et frequenti prædictione illos ad certamina instituit. Deinde quia duos Apostolos dixerat nobis, Petrum et Joannem, et post illos Matthæum vocatum ostenderat, et de aliorum Apostolorum vocatione ac nomine nihil dixerat, hic necessario eorum catalogum, numerum nominaque ponit, sic dicens: «Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: primus »Simon, qui dicitur Petrus[1].» Nam alius Simon erat qui Cananæus vocabatur. Et Judas Iscariotes, et Judas Jacobi: et Jacobus Alphæi, et Jacobus Zebedæi. Marcus vero secundum dignitatem posuit illos: etenim post duos coryphæos, Andream numerat. Hic vero non sic, sed alio ordine, imo et Thomam se multo inferiorem sibi anteponit. Sed eorum catalogum a principio videamus. «Primus Simon »qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus.» Neque parva laus hæc est: illum a virtute, hunc a nobilitate morum laudavit. «Deinde Jacobus Zebedæi et Joannes frater ejus.» Vides-ne quomodo non secundum dignitatem ponat? Mihi namque videtur, non aliis modo, sed et fratre quoque suo Joannem esse majorem. Deinde cum dixisset: «Philippus »et Bartholomæus,» subjunxit, «Thomas et Matthæus publi»canus.» Verum non sic Lucas, sed inverso ordine, ponitque illum ante Thomam. Deinde sequitur Jacobus Alphæi. Erat enim, ut dixi, alius Zebedæi filius. Postea cum dixisset Lebbæum, qui et Thaddæus vocabatur, et Simonem Zelotem, quem Cananæum vocat, ad proditorem venit: neque ut inimicus vel hostis, sed ut historiam scribens sic vocavit. Non dixit: «Execrandus vel scelestissimus,» sed ex urbe ipsum cognominavit, «Judas Iscariotes.» Erat enim

[1] Matth. x, 2.

alius Judas Lebbæus, qui cognominabatur Thaddæus, quem Jacobi esse filium ait Lucas dicens: «Judas Jacobi.» Ab hoc igitur illum distinguens, ait: « Judas Iscariotes, » qui tradidit eum[1]. » Neque pudet ipsum dicere, qui prodidit ipsum. Ita nunquam ea, quæ vituperabilia videbantur esse, prætermiserunt. Primus omnium est coryphæus illiteratus et idiota. Sed videamus quo et ad quosnam mittat illos Jesus. «Hos duodecim, inquit, misit Jesus[2]. » Quosnam? qualesve? Piscatores, publicanos: nam quatuor erant piscatores, et duo publicani, Matthæus et Jacobus, unusque proditor. Et quid illis ait? Statim præcipit his verbis: « In viam gentium ne abieritis, et in civitatem Samarita- » norum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perie- » runt domus Israël[3]. » Ne putetis, inquit, quia mihi convitiantur et dæmoniacum vocant, me ideo illos odio habere et aversari. Nam priores illos emendare studui, et vos, ab aliis omnibus abactos, ad illos mitto doctores ac medicos. Neque modo veto ne aliis ante illos prædicetur, sed ne viam quidem attingere quæ alio ducat, nec in civitatem illam intrare permitto.

IV. Samaritani enim Judæorum erant adversarii. Attamen facilior erat ibi prædicatio; multo enim ad fidem suscipiendam paratiores erant: hi vero duriores: verumtamen ad difficiliora mittit illos, sic suam erga illos providentiam ostendens, ac Judæorum ora claudens, atque ad Apostolorum prædicationem viam parans, ne rursus accusarent quod ad Assyrios incircumcisos ingressi essent, et justam viderentur habere causam ipsos fugiendi et aversandi. Ipsos autem oves perditas vocat, non quæ fugam susceperint, undique illis veniæ modum excogitans, ipsorumque animos pertrahens, ac dicens: «Euntes, prædicate quoniam appro- » pinquavit regnum cœlorum[4]. » Vides-ne ministerii mag-

[1] Matth. x, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7.

nitudinem? Vides-ne Apostolorum dignitatem? nihil sensile jubentur dicere; nec sicut Moyses et Prophetæ priores; sed nova quædam et inexpectata. Neque enim talia ipsi prædicabant; sed terram, et terrena bona: hi autem regnum cœlorum, et quæ ibi sunt omnia. Neque inde solum hi majores sunt, sed etiam ex obedientia. Neque enim recusant, neque cunctantur sicut veteres illi: sed etiamsi pericula, bella et intolerabilia mala audiant, cum obsequentia multa imperata suscipiunt, utpote qui regni sint præcones. Et quid mirum, inquies, si nihil durum et asperum prædicaturi, subito paruerunt? Quid dicis? Nihil durum prædicare jussi sunt? Non audis carceres, abductiones ad mortem, bella civilia, universorum odium? quæ omnia ipsis paulo post eventura esse dicebat. Illos namque mittit præcones, ut aliis innumera bona concilient; illos vero intolerabilia mala passuros esse dicit et prænuntiat. Deinde ut illos fide dignos reddat ait: « Infirmos curate, » leprosos mundate, dæmonia ejicite: gratis accepistis, » gratis date [1]. » Vide quomodo morum curam habeat, perinde atque signorum, ostendens signa sine moribus nihil esse: nam ne altum sapiant ipsos reprimit dicens: « Gratis » accepistis, gratis date, » et ut ab amore pecuniæ abstineant providet. Deinde ne putarentur hæc tanta opera ab illis proficisci, neve de signis superbirent, ait: « Gratis accepis- » tis. » Nihil largimini iis qui vos recipiunt: neque enim in mercedem vel pro laboribus illa accepistis: mea quippe est gratia. Eodem itaque modo illis date: neque enim condignum ipsis pretium reperire est. Deinde malorum radicem statim evellens, ait: « Nolite possidere aurum, neque » argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram » ad viam, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque » virgam [2]. » Non dixit: « Non accipiatis vobiscum, sed etiam-

[1] Matth. IX, 8. — [2] Ibid. 9, 10.

si aliunde possis accipere, fuge malum morbum. » Quod si observes, multa consequeris bona : primo ut nulla sit Discipulis suspicio; secundo, illis curam omnem adimit, ita ut otium omne in audiendo verbo consumant; tertio, suam illos potestatem docet. Hoc etiam postea dicit illis : « Numquid defuit vobis, quando vos misi nudos et sine calceis? Neque statim dicit : « Nolite possidere; » sed postquam dixit: « Leprosos mundate, dæmonia ejicite; » tunc ita loquitur: « Nolite possidere, » atque adjicit, « Gratis accipite, gratis date; » ipsisque et quod consentaneum decensque erat, et quod possibile reipsa tribuit. Sed dixerit forte quispiam cætera quidem rationi consentanea esse, sed non peram in via habere, non duas tunicas, non virgam, non calceamenta cur præcepit? ut illos ad accuratam vitæ rationem omnino exerceret; siquidem superius ne de sequenti quidem die curare permisit. Nam orbi doctores missus erat, ideoque ex hominibus Angelos, ut ita dicam, efficit, ab omni vitæ cura solvens, ut unam illi doctrinam curarent : imo et hac illos cura liberat, dicens : « Nolite cogitare quomodo aut » quid loquamini [1]. » Ita ut quod videtur durum onerosumque esse, id illis facile expeditumque sit. Nihil enim tranquillitatem animi magis parit, quam a cura liberari; maxime cum hac liberati possent nullo opus habere, Deo præsente, qui omnium vice ipsis esse possit. Deinde ne dicant : « Unde ergo necessario cibo fruemur? » non dicit illis : « Audistis quia dixi, vobis prius: « Respicite volatilia cœli [2]; » nondum enim poterant tale præceptum operibus exhibere; sed hoc longe minus induxit : « Dignus est operarius cibo » suo [3], » declarans ipsos a Discipulis esse alendos, ut ne ipsi adversus Discipulos altum saperent, quasi omnia præbentes, nihilque accipientes ab illis, neque Discipuli discederent ab illis despecti.

[1] Matth. IX, 19. — [2] Id. VI, 26. — [3] Id. X, 10.

V. Deinde, ne dicerent: « Ergo nos pro victu mendicare jubes? illaque res ipsis pudori esset, monstrat id a Discipulis deberi, dum illos, operarios, et quod datur, mercedem, vocat. Ne putetis, inquit, quia opera illa tota in verbis consistit, parvum a vobis beneficium præberi; multi namque laboris res est : quodque dant ii qui docentur, non gratis largiuntur, sed id mercedis loco habendum; « Dig» nus est enim operarius mercede sua [1]. » Hoc autem dicit, non quod tanti solum apostolici labores habendi sint, absit; sed quod illis constituat ne plus aliquid quærant, et præbentibus suadeat se non ex liberalitate illud suppeditare, sed ex debito. « In quamcumque civitatem vel vicum » intraveritis, interrogate quis dignus in illa sit, et illic ma» nete donec exieritis [2]. » Neque enim, inquit, quia dixi: « Dignus est operarius mercede sua, » omnium januas vobis aperui; sed hic quoque multam accurationem expeto. Illud enim vobis laudi honorique erit, etiam in victus ratione. Si enim dignus ille sit, omnino cibum suppeditabit; maximeque si nonnisi necessaria petatis. Non modo autem dignos quærere præcipit, sed vetat etiam ne de domo in domum transeant, ne se excipientem offendant, neve ipsi leves et ventri dediti habeantur. Id enim declaravit his verbis: « Ibi manete donec exieritis. » Quod etiam ex aliis Evangelistis disci potest [3]. Vides-ne quo pacto illos honoratiores, et eos qui hospitio recipiunt diligentiores faciat, ostendens illos maxime lucrari et ad gloriam et ad utilitatem? Deinde de hac ipsa re sic prosequitur : « Intrantes » autem in domum, salutate illam. Et si quidem fuerit do» mus digna, veniat pax vestra super illam. Si autem non » fuerit digna, pax vestra ad vos revertatur [4]. » Vides-ne quam minutatim hæc præcipiat? et jure quidem. Athletas

[1] Luc. x, 7.— [2] Matth. x, 11.— [3] Marc. vi, et Luc. x.— [4] Matth. x, 12, 13.

quippe religionis et præcones orbis instruit, et hac ratione illos et moderatiores reddit et optabiliores, adjicitque : « Et » quicumque non susceperit vos, neque audierit sermones » vestros, exeuntes ex domo vel civitate illa, excutite pulve- » rem pedum vestrorum. Amen dico vobis, tolerabilius erit » terræ Sodomorum et Gomorrhæ in die judicii, quam ci- » vitati illi [1]. » Ne quia docetis, inquit, ideo expectetis salutem ab aliis dici vobis, sed primi hunc honorem exhibete. Deinde ostendens eam non esse simplicem salutationem, sed benedictionem, ait : « Si digna fuerit domus, veniet super illam : sin contumeliosa sit, prima pœna erit quod pace non fruatur ; secunda, quod Sodomitis paria patiatur. Et quid ad nos, inquient, illorum supplicia? Domos dignorum habebitis. Quid vero significat illud : « Excutite pulverem » pedum vestrorum? » vel ut testificentur se nihil ab ipsis recepisse, vel in testimonium longi suscepti itineris in illorum gratiam. Tu vero mihi considera ipsum non totum jam illis dare ; neque enim adhuc illis præscientiam indit, qua nosse possint qui digni, qui indigni sint ; sed explorare et experimentum sumere jubet. Cur porro ille apud publicanum manebat? quia ille ex mutatione dignus evaserat. Tu vero perpende quomodo omnibus nudatis omnia largiatur, dum præcipit ut in Discipulorum domibus maneant, et nihil habentes ingrediantur. Hoc enim pacto omni cura liberi erant, illisque suadebant se ad ipsorum tantum salutem illo venisse, tum quia nihil attulerant, tum quia nihil plus quam necessaria peterent, tum etiam quod non apud omnes indiscriminatim ingrederentur. Neque enim ex signis tantum volebat illos splendidos esse, sed ex virtute magis, quam ex signis. Nihil enim ita philosophiam exprimit, ut si nihil superfluum habeas, et si quoad licet nulla re indigeas. Illud vero noverant et ipsi pseudo-apostoli. Ideo Paulus di-

[1] Matth. x, 14, 15.

cebat : « Ut in quo gloriantur, inveniantur ut nos [1]. » Quod si cum in peregrina regione sumus, et ad ignotos proficiscimur, nihil plus quærendum est quam quotidianus cibus, multo magis sic agendum cum domi manemus.

VI. Hæc non audiamus tantum, sed etiam imitemur. Non enim solis Apostolis dicta sunt, sed sanctis omnibus postea futuris. Simus ergo nos illa successione digni. Nam ex suscipientium voluntate modo venit, modo avolat. Neque enim ex docentium fiducia et potestate tantum, sed etiam ex accipientium dignitate illud efficitur. Neque putemus inde parum damni emergere, si hujusmodi pace non fruamur. Hanc enim Propheta olim prænuntiabat dicens : « Quam speciosi sunt pedes evangelizantium pacem [2]. » Deinde ipsius dignitatem interpretans adjicit : « Evangelizantium bona [3]. » Hanc magnam esse Christus pronuntiavit dicens : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis [4]. » Nihilque non agendum est ut illa fruamur, et domi et in Ecclesia. Nam et in Ecclesia qui præsidet pacem dat. Hoc illius est typus et tessera, atque oportet magno cum studio et animo ipsum suscipere ante mensam. Nam si a mensa non sese participem offerre onerosum est, quanto onerosius est dicentem repellere? Propter te sedet presbyter; propter te stat diaconus, non sine labore et defatigatione. Quam igitur excusationem habebis, qui ne quidem illum audire sustines? Communis certe domus Ecclesia est : vobisque præcedentibus nos ingredimur, illorum formam et exemplum servantes. Ideoque statim ingressi pacem omnibus simul dicimus secundum legem illam. Nemo igitur negligens vel oscitans sit, dum sacerdotes ingressi illud dicunt; non parvum enim hæc negligentibus imminet supplicium. Mallem enim millies in domum cu-

[1] 2 Cor. xi, 12. — [2] Nahum, i, 15. — [3] Rom. i, 15. — [4] Joan. xiv, 27.

juspiam vestrum ingressus despici, quam hic loquens non audiri. Hoc mihi onerosius illo esset : quandoquidem dignior hæc domus est. Etenim hic majores nostræ possessiones depositæ sunt, hic spes nostra omnis. Quid enim hic non magnum, non tremendum est? Siquidem hæc mensa longe honorabilior et suavior est, quam tua, et lucerna, quam lucerna tua. Id vero sciunt quotquot cum fide tempestive oleo uncti a morbis liberati sunt (7). Arca etiam hæc longe melior est quam illa, et magis necessaria : quæ non vestes, sed eleemosynam inclusam servat, etiamsi pauci sint hic, qui eleemosynæ erogandæ virtutem possideant. Lectus item tuo præstantior. Nam divinarum lectio Scripturarum lecto omni jucundior est. Ac si concordia apud nos vigeret, non aliam haberemus domum. Quod autem id quod dico onerosum non sit, testificantur illi ter mille, et quinquies mille homines, qui unam et domum et mensam, et animam habuere ; nam ait : « Multitudinis credentium » erat cor unum et anima una [1]. » Quia vero longe ab illorum virtute absumus, et in varias domos distracti sumus, saltem cum hic convenimus illud studiose faciamus. Nam si in aliis mendici et pauperes sumus, in his certe divites. Quamobrem huc saltem nos intrantes cum amore excipite. Et cum dicam: « Pax vobis, » dicatis: « Et spiritui tuo ; » non voce tantum, sed animo ; non ore tantum, sed et mente. Si vero hic dixeris: « Pax etiam spiritui tuo, » foris vero me impugnes, conspuas, me maledictis innumerisque impetas opprobriis, quænam illa pax? Ego enim, etsi sexcenties maledicas, puro tibi corde pacem dico, sinceraque mente, nec quid mali de te possum dicere, paterna quippe gero viscera. Si te quandoque carpam, cura tui permotus id facio. Tu vero clanculum mordes, et cum me in dominica domo non excipias, vereor ne mihi mœrorem augeas. Non

[1] Act. IV, 32.

quia contumelia affecisti, non quia ejecisti, sed quia pacem repulisti, et grave illud tibi supplicium attraxisti. Etiamsi enim pulverem non excutiam, etiamsi non avertar, comminatio tamen immota manet. Ego namque pacem vobis sæpe repeto, neque dicendi finem faciam. Quod si me cum contumeliis excipiatis, neque sic pulverem excutiam. Non quod Domino non paream, sed quia amore vestri vehementius ardeo. Alioquin autem nihil propter vos ardui feci, non longam peregrinationem suscepi, neque cum illo habitu vel paupertate veni. Ideo nos ipsos prius accusemus; neque sine calceamentis et duplici tunica venimus, ideoque fortasse vos vestra neglexistis. Attamen hæc vobis ad purgationem non sufficiunt; sed crimen nostrum majus est, neque tamen venia vobis concedetur.

VII. Tunc domus Ecclesiæ erant; nunc Ecclesia domus facta est: nihil tunc in Ecclesia sæculare dicebatur; nunc in Ecclesia nihil spirituale dicitur, sed et huc etiam fori negotia inducitis: Deoque loquente, non modo ipsum silentio non auditis, sed contraria in medium adducta negotia loquimini: atque utinam ea quæ ad vos pertinent tantum; nunc autem ea quæ nihil ad vos spectant et dicitis et auditis. Ideo lugeo, et lugendi finem non faciam. Neque enim possum ex hac domo proficisci, sed hic manere necesse est, donec ex præsenti exeamus vita. Suscipite ergo nos sicut Paulus præcepit. Neque enim de mensa loquebatur ille, sed de voluntate et animo. Hoc et nos a vobis postulamus, charitatem et amorem illum ardentem et sincerum. Quod si hoc non fertis, saltem vos mutuo amate, præsentem deponentes negligentiam. Hoc nobis ad consolationem satis est, si videamus vos recte agentes et meliores effectos. Sic majorem ego charitatem exhibebo, si ferventius amans, minus amer a vobis. Multa enim nos conjungunt: una mensa omnibus proposita, unus nobis pater est,

eodem partu omnes prodiimus, idem potus omnibus datus est : imo non solum idem potus, sed ex eodem calice sumendus. Pater enim cum nos vellet in mutuum amorem inducere, illud machinatus est, ut ex uno calice biberemus; quod maximæ est charitatis. Sed Apostolis digni non sumus? Id ego fateor, nec unquam negaverim? Non enim illis modo, sed ne umbræ quidem illorum comparandi sumus. Attamen vos officium vestrum implete. Non enim illud vobis unquam pudori erit, sed vos maxime juvabit. Cum enim etiam erga indignos talem exhibebitis amorem, talem obsequentiam, tunc majorem recipietis mercedem. Non nostra quippe dicimus; quia nullus est nobis doctor in terra; sed quæ accepimus, damus, et pro dato nihil a vobis requirimus, nisi ut redamemur tantum. Quod si etiam amore indigni sumus; vel hinc cito erimus digni, quod vos vere amemus. Quandoquidem mandatum nobis est non solum eos, qui nos amant, amare, sed etiam inimicos diligere. Quis ita immanis, quis ita ferus, qui tali accepta lege, etiam sui amantes aversetur et odio habeat, etiamsi mille sit vitiis plenus? Mensæ spiritualis consortes fuimus, spiritualis etiam charitatis consortes simus. Nam si latrones qui simul vescuntur, moris sui mutuo obliviscuntur, quam nos excusationem habebimus, qui Dominici Corporis sumus consortes, nec illorum mansuetudinem mutuam imitamur? Atqui multis non mensæ tantum, sed civitatis etiam societas satis fuit ad amicitiam. Nos vero, qui eamdem habemus civitatem, domum, viam, portam, radicem, vitam, idem caput, eumdem pastorem, regem, doctorem, judicem, creatorem, patrem, omniaque communia, qua erimus venia digni, si invicem dissideamus? Verum signa quæritis, quæ illi ingressi faciebant, leprosos mundabant, dæmonas ejiciebant, mortuos suscitabant? Sed et hoc nobilitatis vestræ maximum indicium est, amorisque vestri, quod sine pigno-

ribus hujusmodi Deo credatis. Ea enim de causa cessavit Deus signa edere, aliamque causam profero. Nam si cessantibus signis, qui aliis dotibus sunt instructi, ut verbi sapientia, vel pietatis præstantia, vanæ gloriæ sunt dediti, sese efferunt, seseque ab aliis sejungunt; si etiam signa adessent, quo non erumperent schismata? Quod autem hæc non ex conjectura dicantur, testificantur Corinthii, qui inde multas in partes distracti sunt [1]. Ne signa quæras, sed animæ incolumitatem. Ne quæras mortuum suscitatum videre, cum didiceris totum orbem resurrecturum esse. Ne quæras cæcum sanatum videre; sed vide nunc omnes, meliore et utiliore intuitu respicientes : ac disce temperanter respicere, et oculum tuum corrige. Nam si omnium nostrum vita talis esset, qualem esse oporteret, gentiles plus nos mirarentur, quam si miracula patraremus. Signa quippe specie tantum talia esse putantur, neque sunt a prava suspicione libera, etiamsi signa nostra non hujusmodi sint. Vita autem pura tali suspicioni obnoxia esse nequit; sed virtutis possessio omnium obstruit ora.

VIII. Virtuti ergo studeamus. Multæ quippe sunt illius divitiæ, magnæque admirationi habentur. Illa veram præbet libertatem, ita ut etiam in servitute spectaculo sit : non quod a servitute liberet, sed quod servos reddat liberis præstantiores, id quod libertate multo majus est : pauperem non reddit divitem, sed etsi pauper maneat, illum divite facit opulentiorem. Quod si velis signa facere, a peccatis te expedi, et totum perfecisti. Nam magnus dæmon est peccatum, dilecte, et si illud ejeceris, majus quidpiam fecisti, quam qui mille dæmonas expulerit. Audi Paulum dicentem, et virtutem miraculis anteponentem : « Æmula» mini autem, inquit, charismata spiritualia; » et, « Adhuc » excellentiorem viam vobis ostendo [2]; » et hanc viam pos-

[1] 1 Cor. 1. — [2] Id. XII, 21.

tea exponens, non mortuos suscitatos dicit, non leprosos mundatos, non aliud simile quidpiam; sed pro his omnibus charitatem posuit. Audi quoque Christum dicentem : « Nolite lætari quoniam dæmonia vobis subjiciuntur, sed » quia nomina vestra scripta sunt in cœlis [1]. » Et antea dixerat : « Multi dicent mihi in die illa : Nonne in nomine » tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes mul- » tas fecimus? Et tunc confitebor eis : Nescio vos [2]. » Ad crucem etiam iturus, vocatis Discipulis dixit : « In hoc cog- » noscent omnes quia Discipuli mei estis; » non si dæmonia ejiciatis; sed « Si dilectionem habueritis ad invicem. » Ac rursum : « In hoc cognoscent omnes quia tu me misisti [3]; » non si mortuos hi suscitaverint, sed « Si unum fuerint. » Nam sæpe signa alterum quidem juvarunt; ei vero qui signum fecit nocuerunt, dum in tumorem inanemque gloriam illum conjecerunt, vel alio modo læserunt. In operibus vero nihil tale suspicari licet, sed et eos, qui illa exercent, et alios multos juvant. Hæc itaque cum magna diligentia edamus. Nam si ex inhumanitate ad eleemosynam dandam te converteris, manum ante aridam extendisti. Si a theatro absistens in Ecclesiam intraveris, claudicantem pedem restituisti. Si avertas oculos tuos a meretrice et a pulchritudine aliena, illos antea cæcos aperuisti. Si pro satanicis canticis Psalmos spiritales didiceris, cum mutus ante fuisses, locutus es. Hæc maxima miracula sunt, hæc signa eximia. Si hæc signa edentes perseveremus, magni et admirandi per hæc erimus, malosque omnes ad virtutem attrahemus, ac futura gloria fruemur, quam utinam nos omnes consequamur gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in infinita sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. x, 20. — [2] Matth. vii, 22. — [3] Joan. xiii, 35, et xvii, 23.

HOMILIA XXXIII.

CAPUT X.

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ [1].

I. Postquam illos eo deduxerat, ut de necessariis ad victum sibi suppeditandis confiderent, et omnium domos ipsis aperuerat, honestissimamque ingressus formam dederat, non ut errones et mendicos esse jubens, sed ut se suscipientibus longe præstantiores; hoc enim significavit cum dixit : « Dignus est operarius mercede sua, » et cum præcepit explorare quis dignus esset, ibique manere, atque excipientes salutare, cumque non suscipientibus intolerabilia comminatus esset mala. Postquam igitur sic omnem curam ab ipsis ejecerat, ac signorum spectaculo munierat, et quasi ferreos adamantinosque reddiderat, sæcularibus omnibus superiores, et ab omni temporanea sollicitudine liberatos; demum illa prædicit mala, quæ ipsos invasura erant : non solum ea quæ paulo post futura, sed etiam ea quæ post multum temporis erant eventura, diu ante illos ad bellum præparans contra diabolum suscipiendum. Multa enim hinc bona emergebant. Primo quid ipsius præscientiæ vim agnoscerent; secundo, quod nemo suspicari posset hæc mala ob doctoris imbecillitatem evenire; tertio, ne ii qui hæc passuri erant, percellerentur, si hæc inexpectata et præter spem accidissent; quarto, ne hæc crucis tempore

[1] Matth. x, 16.

audientes turbarentur; nam tunc turbati sunt, cum exprobrans ipsis diceret : « Quia hæc locutus sum vobis, tristitia » implevit cor vestrum, et nemo ex vobis interrogat me : » Quo vadis [1] ? » Attamen de se nihil adhuc dicit, nempe quod vinciendus esset, flagellandus, occidendus, ne sic eorum perturbaret animos, sed interim quæ ipsis eventura sint prænuntiat. Deinde ut discant novam esse hanc bellandi legem, et inauditum aciei modum, cum nudos mittat, una indutos tunica, sine calceis, sine virga, sine cingulo vel pera, quos ali jubet ab excipientibus; non hic finem dicendi facit; sed suam ostendens ineffabilem potentiam dicit: « Sic abeuntes ovium mansuetudinem exhibete, etiamsi contra lupos ituri, nec modo contra lupos, sed etiam in medio luporum. » Neque tantum ovium mansuetudinem jubet habere, sed etiam simplicitatem columbæ. Sic præsertim meam ostendam fortitudinem, cum oves lupos vicerint, etiamsi in medio luporum sint, et innumeris morsibus lacerentur, nec modo non deleantur, sed etiam lupos convertant, quod longe mirabilius est, et majus quam si occiderent, si nempe illorum mutent voluntatem, animumque transforment : et hæc cum illi duodecim essent tantum, et totus orbis lupis esset plenus. Erubescamus igitur, qui contra facientes, quasi lupi inimicos invadimus. Quandiu enim oves sumus, vincimus, atque etsi innumeris circumdati lupis superamus. Si vero lupi efficiamur, vincimur : pastoris quippe auxilio destituimur. Non enim ille lupos, sed oves pascit; tunc autem te relinquit ac discedit : quia non sinis illum virtutem suam ostendere. Si enim vexatus mansuetudinem exhibeas, ipsi totum attribuitur tropœum; sin exieris pugnaverisque, victoriam obscuras. Tu vero mihi considera quinam sunt ii qui hæc dura laboriosaque præcepta audiunt, formidolosi homines, idiotæ,

[1] Joan. xvi, 6.

illitterati et indocti, prorsus obscuri, qui exterorum leges ignorabant, qui non in forum descenderant, piscatores, publicani, in omnibus imbecilles. Quod si hæc vel magno præditos ingenio et animo viros turbare possunt, quomodo non potuissent imperitos homines, qui nihil generosi unquam animo conceperant, dejicere atque percellere? At non dejecere. Idque jure merito dicet forte quispiam : dedit enim illis potestatem dæmonas ejiciendi, ac leprosos mundandi. Ego autem dixerim hoc ipsum maxime illos turbare potuisse, quod etsi mortuos suscitarent, hæc tamen intolerabilia passuri erant, tribunalia, abductiones ad necem, bellum adversus omnes, commune totius orbis odium, et hæc dum miracula patrarent. Quæ consolatio inter tot tantaque mala? Mittentis potentia. Idcirco hæc præmisit aliis dicens : « Ecce ego mitto vos. » Hoc vobis ad consolationem satis est, sufficitque ad fiduciam sumendam neminemque adversariorum formidandum.

II. Vides auctoritatem? vides potentiam? vides virtutem inexpugnabilem? Quod autem dicit, hujusmodi est : « Ne turbemini, inquit, quod cum vos inter lupos mittam, ut oves et ut columbas esse jubeam. Contrarium præstare poteram, vosque mittere nihil passuros mali, nec ut oves lupis subjicere, sed leonibus formidabiliores reddere. Sed ita fieri par est : hoc et vos splendidiores efficit, et potentiam meam prædicat. » Hoc et Paulo dicebat. « Sufficit tibi » gratia mea; nam virtus mea in infirmitate perficitur [1]. » Ego itaque sic vos constitui. Cum enim dicit : « Ego mitto » vos sicut oves, » hoc subindicavit : « Ne itaque animo deficiatis; novi enim, novi utique vos sic omnibus inexpugnabiles fore. » Deinde, ut quidpiam ipsi ex se proferrent, nec omnia ex gratia proficisci viderentur, neque sine causa coronari putarentur, ait : « Estote ergo prudentes sicut

[1] 1 Cor. XII, 9.

» serpentes, et simplices sicut columbæ [1]. » Et quid prudentia nostra possit, inquiunt, in tot periculis? Quomodo prudentiam habere poterimus, tot agitati fluctibus? Quantacumque prudentia sit prædita ovis, cum inter lupos sit, et tantum luporum numerum, quid poterit perficere? Quantacumque sit columbæ simplicitas, quid illi juvabit, tot instantibus accipitribus? In his certe irrationabilibus nihil, in vobis autem multum juvabit. Sed videamus quam hic prudentiam exigat : serpentis, inquit. Quemadmodum ille omnia tradit, etiamsi corpus incidi oporteat, non admodum repugnat, dum caput servetur. Sic et tu, inquit, excepta fide, omnia trade, pecunias, corpus, imo ipsam animam. Fides enim caput est et radix : illaque servata, etiamsi omnia amiseris, omnia postea abundantius recuperabis. Ideo non simplicem tantum, nec prudentem solum esse præcepit, sed hæc ambo miscuit; ita ut hæc virtus vere sint; prudentiamque serpentis assumpsit, ut ne letalia vulnera accipias; simplicitatem vero columbæ, ut ne lædentes te ulciscaris, neve insidiantes per vindictam amoveas : nihil enim prodest prudentia, nisi hoc adsit. Quid ergo magis arduum his præceptis? Non enim satis erat mala subire. Non, inquit, ille; sed etiam ne indigneris veto. Hoc enim ad columbam pertinet. Ac si quis calamum in ignem mittens, juberet non uri ab igne, sed ignem extinguere. Verum ne turbemur : hæc et evenerunt, et finem acceperunt, ipsisque operibus exhibita sunt : prudentes enim fuerunt sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Non quod ex alia natura essent, sed ex eadem qua nos erant. Ne quis ergo putet hæc præcepta impleri non posse. Præ omnibus enim aliis ipse novit rerum naturam : novit ferociam, non ferocia, sed moderatione restingui. Quod si reipsa et opere id videre velis, lege librum Actuum Apostolorum, videbisque quoties, Judæis insurgentibus, et dentes

acuentibus, hi columbam imitantes, et cum moderatione debita loquentes, illorum furorem extinxerint, iram placarint, impetum sedarint. Nam cum dicerent : « Nonne » præcepimus vobis ne loquerentini in nomine isto [1] ? » etsi miracula innumera patrare possent, nihil asperum vel dixerunt vel fecerunt, sed cum omni sese mansuetudine purgarunt, dicentes : « Si justum est vos audire potius quam » Deum judicate [2]. » Vidisti simplicitatem columbæ ? vide prudentiam serpentis : « Non enim possumus, inquiunt, » quæ vidimus et audivimus non loqui [3]. » Vides-ne quomodo nos undique accurate munire oporteat, ut ne vel periculis dejiciamur, vel ira incendamur? Idcirco dicebat : « Cavete ab hominibus : tradent enim vos in conciliis, et » in synagogis suis flagellabunt vos : et ad præsides et reges » ducemini in testimonium illis et gentibus [4]. » Rursus illos ad vigilandum præparat : ubique indicens ut mala patiantur, aliosque mala inferre sinens : ut discas male patiendo victoriam reportari, hincque tropæa erigi. Non enim dixit : « Pugnate vos, et resistite iis qui vos lædere volunt. » Sed hoc tantum, « Extrema passuri estis. »

III. Papæ quanta loquentis vis ! quanta audientium philosophia ! Certe valde mirandum est illos talia audientes, non statim aufugisse, viros meticulosos, qui non ultra stagnum, in quo piscari solebant, peragraverant. Quomodo non cogitarunt, nec intra se dixerunt : « Quo tandem fugiemus? Tribunalia contra nos stant, reges, præsides, synagogæ Judæorum, gentilium turba, principes et subditi. Nam non Palæstinam modo, nec mala quæ ibi passuri erant prænuntiavit, sed bella per orbem futura prædixit : « Ad reges, inquit, et præsides ducemini, » ostendens illos ad gentes deinde esse mittendos. Orbem contra nos armasti,

[1] Act. v, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Id. iv, 20. — [4] Matth. x, 17, 18.

orbis terræ habitatores omnes armis contra nos munivisti, populos, tyrannos, reges. Quod sequitur vero longe horribilius est, quando fratrum filiorumque interfectores et parricidæ propter nos futuri sunt homines. Nam « Tradet » frater fratrem in mortem, pater filium, et insurgent filii » in parentes, et morte eos afficient [1]. » Quomodo, inquies, reliqui credent, cum viderint filios propter nos a patribus occisos, fratresque a fratribus, sceleraque omnia patrata? Annon ut nequissimos dæmonas? Annon ut execrandos et orbis corruptores, nos undique expellent, cognatorum sanguine et hujusmodi cædibus terram repletam videntes? Illud certe eveniet. Non enim pacem in domos introducemus, tot illas cædibus implentes. Nam si magno essemus numero, nec duodecim tantum, si non idiotæ et illitterati, sed sapientes rhetores, et oratores; imo etiam reges exercitus habentes et pecuniis instructi, quomodo quidpiam persuadere poterimus, dum bella civilia et civilium graviora succendimus? Nam etsi salutem nostram parum curemus, quis nobis ex aliis mentem adhibebit? Sed nihil horum vel cogitarunt vel dixerunt, nec præceptorum rationem exegerunt, sed cesserunt et obtemperarunt : id quod non ex ipsorum virtute tantum, sed etiam ex doctoris sapientia proficiscebatur. Vide enim quomodo ærumnis singulis consolationem adjunxit : de non suscipientibus illos dixit : « To- » lerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæ in die judi- » cii, quam civitati illi [2]; » et hic rursum cum dixit : « Et ad » præsides et reges ducemini, » addidit : « Propter me in » testimonium illis et gentibus. » Hæc autem non parva consolatio est, hoc propter Christum pati, et ad illos redarguendos conduci. Deus enim, etsi nullus attendat, ubique ea quæ sua sunt operatur. Sic autem illos consolabatur, non quod ipsi de ultione curarent, sed quia hinc confide-

[1] Matth. x, 21. — [2] Ibid. 15.

bant ipsum sibi ubique affuturum esse, qui hæc et prædixerat et prævideral, et se non ut malos et corruptores hæc esse passuros. Ad hæc vero non parvam aliam consolationem adjicit, dum ait : « Cum autem tradent vos, no» lite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim » vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui » loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis [1]. » Ne dicerent enim: «Quomodo persuadere poterimus in tantis rebus, » jubet confidere de suggerenda defensione. Alibi quoque ait : « Ego dabo vobis os et sapientiam [2] ; » hic vero, « Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis, » ad Prophetarum dignitatem ipsos adducens. Quapropter cum datam virtutem exponit, tunc et mala adjungit, cædes, et homicidia : « Tradet enim frater fratrem in mortem, et pater filium, » et insurgent filii in parentes, et morte afficient eos [3]. » Neque hic stetit, sed longe horribiliora adjecit, quæ possint vel petram commovere, « Et eritis odio omnibus [4]. » Hic etiam consolatio adjungitur : « Propter nomen meum [5], « inquit, hæc patiemini ; » et rursus alia : « Qui autem perse» veraverit usque in finem, hic salvus erit [6]. » Hæc etiam alio modo eorum animos erigere possent, si tanta futura erat prædicationis potestas, ut natura inhonoraretur, cognatio et affinitas abjiceretur, et verbum Dei omnibus anteponeretur, quod fortiter omnia dispelleret : nam si naturæ vis non potest huic sermoni resistere, sed illa dissolvitur et conculcatur, quid aliud vos superare poterit ? Non tamen quia hæc ita se habebunt, vos in securitate vivetis, sed communes habebitis inimicos et hostes eos qui terrarum orbem habitant.

IV. Ubi nunc Plato? ubi Pythagoras? ubi Stoïcorum turba? Plato certe licet magnum consecutus honorem,

[1] Matth. x, 19, 20. — [2] Luc. xxi, 15.— [3] Matth. x, 21.— [4] Ibid. 22. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

eo redactus fuit ut etiam venderetur, nihil eorum quæ in mente habebat efficere posset, nihilque eorum quæ volebat uni tyranno suadere potuerit, sed proditis discipulis, miserabiliter vitam clauserit. Cynica vero lues quasi somnium et umbra præteriit. Etiamsi illis nihil simile acciderit, imo per externam illam philosophiam clari viderentur, etiamsi Athenienses epistolas Platonis per Dionem missas publice exposuerint. Attamen toto tempore in tranquillitate degebant, et opibus non paucis affluebant. Sic enim Aristippus magno pretio scorta conduxit. Alius testamentum scripsit, non parvam relinquens hæreditatem. Alius supra discipulos pontis instar substratos pertransiit; Sinopensem autem illum ferunt in foro turpiter egisse. Hæc sunt illorum præclara facinora. At nihil horum hic observatur, sed temperantia perseverans, modestia exquisita, bellum contra totum orbem pro veritate ac pro religione, hinc ipsorum quotidianæ cædes, et post hæc splendida tropæa. At sunt, inquiunt, quidam apud illos duces præclari, ut Themistocles, Pericles. Verum hæc puerorum inepti ludi sunt, si cum piscatorum gestis comparentur. Quid enim de Themistocle dixeris? Quod Atheniensibus ut naves conscenderent suaserit, cum Xerxes Græciam bello impeteret? Hic porro non Xerxe impetente, sed diabolo cum orbe toto et turba dæmonum innumera contra duodecim illos irruente; non brevi tempore, sed per totum vitæ spatium vicerunt illi et superarunt. Quodque mirum est, non cæsis hostibus, sed mutatis et conversis. Illud enim maxime ubique observandum est ipsos nec occidisse nec delevisse insidiatores suos; sed cum illos dæmonibus pares cepissent, Angelis æquales fecisse, humanam naturam hac improba tyrannide liberantes; illos autem scelestos dæmonas, qui omnia conturbabant, a medio foro et a domibus, imo etiam a deserto expulerunt. Testificantur illud chori monachorum, qui

ubique plantati sunt, et non modo habitatam terram, sed et non habitatam expurgarunt. Quodque mirabilius est, non instructa acie hoc faciebant, sed male habiti implebant omnia. Habebant enim in medio positos illos infimæ conditionis viros, quos ligabant, verberabant, circumagebant, nec poterant eorum ora claudere : sed sicut radium solis vincire nemo potest; sic non poterant ipsorum linguam alligare. Cujus rei causa erat, non illi quidem qui loquebantur, sed Spiritus virtus. Sic igitur et Paulus vicit Agrippam, et qui scelere vincebat homines omnes, Neronem : « Dominus enim mihi astitit, inquit, et confortavit me, et » eruit me de ore leonis [1]. » Tu vero mirare quomodo audientes : « Nolite solliciti esse, » et crediderunt, et obtemperarunt, nihilque ex terribilibus terrorem ipsis incussit. Quod si dicas idoneam ipsis consolationem dedisse Christum cum dixit; « Spiritus Patris vestri erit qui loquetur [2] : » et ideo maxime stupeo, quod nec dubitaverint, nec liberari a malis rogaverint : et hæc non duabus vel tribus annis ista passuri, sed per totam vitam. Illud enim dictum : « Qui » autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit [3], » hoc subindicat. Vult enim Deus non sua tantum ope, sed ipsorum proposito opera bona fieri. Perpende itaque in superioribus, quomodo alia Dei, alia Discipulorum sint. Nam signa facere, illius sunt; nihil possidere, Discipulorum. Rursum, domos omnes aperire, supernæ gratiæ est; nihil præter necessaria petere, Discipulorum philosophiæ; « Dig- » nus est enim operarius mercede sua [4]. » Pacem dare, Dei donum est; dignos quærere, nec omnes indiscriminatim adire, ipsorum temperantiæ est. Illos qui Discipulos non recipiunt ulcisci, Dei est : cum modestia discedere, nullo injecto probro vel contumelia, apostolicæ mansuetudinis. Spiritum dare, et sollicitudinem adimere, mittentis erat :

[1] 2 Tim. IV, 17.— [2] Matth. X, 20.— [3] Id. XXIV, 13.— [4] Luc. X, 7.

oves et columbas imitari, et omnia fortiter ferre, ad illorum constantiam et prudentiam pertinebat. Odio haberi, nec animo concidere, sed perseverare, ipsorum erat; perseverantes salvos facere, mittentis. Ideo dicebat : « Qui au» tem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. »

V. Nam quia solent multi initio ferventes esse, postea vero resolvi ac dejici, ideo ait : « Finem quæro. » Quid enim opus est seminibus initio floridis, brevi autem postea arescentibus? Ideo perseverantem ab ipsis patientiam exigit. Ne quis enim diceret ab ipso totum factum esse, nihilque mirum esse tales fuisse illos, qui nihil onerosi passi sint; idcirco dicit illis : « Patientia vobis opus est. Etiamsi enim vos a prioribus periculis eruam, gravioribus vos reservo, quæ etiam ab aliis excipientur : nec finis erit insidiarum usque ad extremum halitum. » Hoc enim subindicavit cum dixit : « Qui autem perseveraverit usque in finem, hic sal» vus erit. » Ideo qui dicit : « Ne solliciti sitis quid loquami» ni, » alibi ait : « Parati estote ad respondendum omni pe» tenti a vobis rationem de spe vestra [1]. » Nam cum pugna inter amicos est, nos jubet sollicitos esse; cum autem tribunal, furentes populi, timor undique, suam præbet gratiam, ut fidenter loquamur, nec terreamur, vel justitiam prodamus. Res utique magna virum circa stagna versari solitum, circa pelles et telonii mensam, sedentibus tyrannis et satrapis, astantibus satellitibus, strictis gladiis, assistentibusque aliis, solum ingressum, ligatum, prono capite, potuisse vel os aperire. Etenim doctrinæ suæ causa, ne defensioni quidem locum dabant, sed ipsos quasi communes orbis corruptores tormentis deputabant. Nunc « Qui or» bem terrarum perturbant, hi sunt, inquit, et hic adsunt [2] : » et rursus : « Adversus edicta Cæsaris hi prædicant, dicentes » Christum Jesum esse regem [3]. » Ubique tribunalia hujus-

[1] 1 Petr. III, 15. — [2] Act. XVI, 20. — [3] Id. XVII, 7.

modi opinionibus præoccupata erant, et auxilio superno multum egebant, ut hoc utrumque probarent, et dogma quod prædicabant verum esse, et communibus legibus non adversari; utque dum loquerentur de dogmate, ne viderentur leges subvertere; ac rursus dum demonstrare conarentur se communia statuta non violare, dogmatum puritatem ne corrumperent : quæ omnia videbis et a Petro et a Paulo, et a cæteris omnibus prudenter observari et effici. Etenim ut factiosi et novatores ubique terrarum accusabantur. Attamen hanc illi suspicionem repulerunt, et contrariam sibi conciliarunt, quasi servatores, curatores ac benefici apud omnes celebrari. Hæc autem omnia ex ingenti patientia operabantur. Quamobrem dicebat Paulus : « Quotidie morior [1], » et usque in finem in periculis perseveravit. Qua igitur venia digni sumus, qui tot exempla habentes etiam in pace molliter vivimus ac dejicimur? Nemine quippe bellante occidimur, nemine persequente dissolvimur : in pace saluti advigilare jubemur et nequimus. Illi incenso orbe, et rogo per totam terram ardente, in flammam ingressi, eos qui comburebantur inde extrahebant; tu vero ne teipsum quidem servare potes. Quæ igitur nobis erit fiducia? quæ venia? Non verbera imminent, non carceres, non principes, non synagogæ, non aliud quidpiam hujusmodi; sed contra prorsus, nos dominamur et imperamus. Imperatores enim piam colunt religionem, Christiani multis fruuntur honoribus, præfecturis, gloria, tranquillitate : neque sic tamen superamus. Sed illi quidem cum ad cruciatum cum reis quotidie ducerentur, tam doctores, quam discipuli, mille vibicibus, et multis onusti vulneribus, majore quam ii, qui in paradiso sunt, voluptate fruebantur : nos vero qui ne in somnis quidem tale quidpiam sustinuimus, cera molliores sumus.

[1] 1 Cor. xv, 31.

At illi, inquies, miracula patrabant. An ideo non verberabantur? annon pellebantur? Etenim et illud quoque stupendum est, quod sæpe ab iis, quos beneficio affecerant, talia paterentur, nec sic tamen turbarentur, dum mala pro bonis reciperent. Tu vero si quem modico beneficio affeceris, deindeque molestiæ quidpiam ab illo acceperis, turbaris, ac te collati beneficii pœnitet.

VI. Si itaque acciderit, quod ne accidat precor, bellum in Ecclesiis moveri et persecutionem, cogita quis futurus sit risus, quæ opprobria. Et merito quidem : cum enim in palæstra nemo exerceatur, quomodo aliquis in certaminibus erit insignis? Quis enim athleta, qui pædotribam nullum noverit, in certaminibus olympicis poterit adversus alterum quidpiam magnum vel strenuum exhibere? Annon oporteret nos quotidie pugnare, certare, currere? Nonne videtis in quinque certaminibus, cum nullum habet quis adversarium, quomodo saccum arena multa repletum suspendant, illicque robur totum exerceant : juniores autem cum junioribus sese exerceant ad pugnam cum adversariis committendam? Hos et tu imitare, et in philosophiæ certaminibus te exerce. Multi certe ad iram concitant, multi ad concupiscentiam injiciunt, magnamque succendunt flammam. Sta igitur contra ærumnas, fer strenue animi dolores, ut corporis quoque labores ferre possis. Beatus quippe Job, nisi probe ante certamina exercitatus fuisset, non splenduisset in certaminibus : nisi meditatus fuisset qua ratione mœrorem omnem abigeret, audita filiorum morte, aliquid audacter dixisset : sed ad omnia certamina stetit fortiter; ad pecuniarum tantorumque bonorum jacturam, ad filiorum interitum, ad uxoris affectum pravum, ad corporis vulnera, ad amicorum opprobria, ad convitia domesticorum. Si porro velis exercitationes ejus conspicere, audi ipsum dicentem quantum pe-

cuniam despiceret : « Si etiam lætatus sum, multis mihi » affluentibus divitiis : si non putavi aurum pulverem, si » in lapide pretioso fiduciam habui [1]. » Ideo ne ipsis quidem abreptis turbabatur, qui præsentium cupiditate non tenebatur. Audi etiam quomodo ea quæ ad filios spectabant tractaret; non molliter plus quam fas sit agens ut nos, sed omnem ab illis diligentiam exigens. Nam qui pro occultis sacrificium offerebat, cogita quam exacte de manifestis judicaret. Quod si velis ejus de castitate sermones audire, audi illum dicentem : « Pepigi fœdus cum oculis » meis, ut ne cogitarem quidem de virgine [2]. » Idcirco illum non fregit uxor : illam quippe antea amabat, at non ultra modum, sed ut convenit uxorem diligere. Quamobrem mihi mirari subit, cur in animum induxerit diabolus certamina contra ipsum movere, qui ejus exercitationes noverat. Cur ergo id illi in mentem venit? Mala est bestia, nec unquam desperat; id quod certe nos maxime damnat, quod cum ille nunquam desperet de pernicie nobis inferenda, nos desperemus de nostra salute. Sed vide etiam quomodo corporis labem et saniem ante meditatus sit. Quia enim nihil unquam tale passus fuerat, sed in divitiis, voluptate ac splendore vitam transegerat, alienas calamitates quotidie animo versabat. Et hoc declarans dicebat : « Nam timor quem timebam evenit mihi, et quem » trepidabam occurrit mihi [3]. » Et rursus, « Ego super omni » imbecillo ploravi, et ingemui videns virum in necessita- » tibus. » Ideo nulla ex illis intolerabilibus calamitatibus illum perturbabat. Ne mihi respicias pecuniarum jacturam, filiorum interitum, plagam illam incurabilem, uxoris insidias; sed his longe graviora. Et quid gravius, inquies, Job accepit ? Ab historia certe nihil aliud discimus. Quia dormitamus, non discimus : sed qui diligenter explo-

[1] Job. xxxi, 24, 25. — [2] Ibid. 1. — [3] Id. iii, 25.

rat, et margaritam probe quærit, multo plura sciet. Graviora quippe, quæ majorem perturbationem inferre poterant, alia erant. Primo, quod nihil sciret de regno cœlorum et de resurrectione (8) : quod etiam lugens dicebat : « Non » enim æternum vivam, ut longanimis sim. » Secundo, quod multorum sibi bonorum conscius esset. Tertio, quod nullius esset conscius mali. Quarto, quod sibi a Deo putaret hæc inferri mala : quod si etiam a diabolo, hoc illi offendiculo esse. Quinto, quod audiret amicos se de nequitia incusantes : « Non enim condignas dicebant, pec- » catis tuis plagas accipis [1]. » Sexto, quod inæquitia viventes videret prospere agere, et se deridere. Septimo, quod neminem videret talia unquam passum.

VII. Et si discere velis quanta hæc sint, præsentia considera. Nam si nunc, cum regnum expectatur, cum resurrectio speratur, nec non ineffabilia illa bona, cum malorum mille nobis conscii sumus, cum tot habemus exempla, et tantam tractamus philosophiam, si quidam ex nobis paulum auri perdiderint, sæpe rapina partum, non vitalem sibi vitam esse existimant ; non urgente uxore, non abreptis liberis, non amicis exprobrantibus, non domesticis insultantibus ; sed multis ipsum consolantibus, sive verbis, sive rebus ipsis ; quot coronis dignus ille non fuerit, qui justis collecta sibi laboribus vidit sine causa abripi, et post illa omnia mille tentationum genera expertus est, semperque tamen immotus mansit, et debitas hac de re gratiarum actiones Domino retulit. Etiamsi enim nullus alius ipsi fuisset locutus, uxoris tantum verba poterant vel petras commovere. Vide igitur illius astutiam ; non memorat divitias, non camelos, non greges, non armenta : sciebat enim viri sui his in rebus philosophiam ; sed quod acerbius erat, filiorum interitum, tragœdiamque extendit, atque

[1] Job. XXII et XXXVI.

sua addidit. Quod si iis, qui prospere rem agebant, nihilque ingratum patiebantur, multa sæpe uxores suaserunt, cogita quam strenua illa esset anima, quæ uxorem tot armis instructam potuit repellere, et duos acerrimos affectus calcavit, cupiditatem et misericordiam? Multi enim qui concupiscentiam vicerant, misericordia inflexi sunt. Nam fortissimus ille Joseph voluptatem illam tyrannicam calcavit, et barbaram illam mulierem multas admoventem machinas repulit; lacrymas vero continere non potuit, sed videns fratres suos, qui secum inique egerant, hoc affectu captus est, et vultum cito lacrymis operiens, rem totam patefecit. Cum autem et uxor est, commiseratione digna referens, quam opportune juvant etiam tempus, vulnera, plagæ, et mille calamitatum fluctus: quo pacto non jure dixeris animam, quæ generose tantam fert tempestatem, esse adamante firmiorem? Liceat mihi dicere vobis Beatum illum si non majorem, non minorem certe ipsis Apostolis fuisse. Illis namque consolatio erat, quod propter Christum paterentur: et hoc idoneum erat remedium quod illos quotidie erigeret; quod etiam ubique proponebat Dominus, « Propter me, dicens, et si me patremfamilias »Beelzebub vocaverunt [1]. »Ille vero ista vacuus erat consolatione, nec non illa quæ ex signis, vel quæ ex gratia proficiscebatur. Neque enim tantam habuit vim Spiritus. Quodque majus est, in deliciis multis educatus, non ex piscatorum vel publicanorum vel vilium personarum numero erat; sed cum tantum consecutus fuisset honorem, hæc patiebatur. Quodque apud Apostolos onerosius videtur fuisse, id ille quoque sustinuit, ab amicis, a domesticis, ab inimicis odio habitus, nec non ab iis quibus bene fecerat, nec tamen ille sacram ancoram, et tranquillum portum, nempe hoc quod Apostolis dictum fuerat: « Prop-

[1] Matth. x, 25.

» ter me, » videre potuit. Miror etiam tres pueros, qui fornacem fortiter adierunt, qui tyranno restiterunt. Sed audi quid dicant : « Deos tuos non colimus, et statuam tuam, » quam erexisti, non adoramus [1]. » Quod ipsis magna erat consolatio, quod probe scirent se propter Deum omnia pati. Hic vero nesciebat hæc esse certamina et luctam; si enim scivisset, malorum sensu non ita affectus fuisset. Cum ergo audisset : « An alia ratione me putas tibi respondisse, » quam ut justus appareres, » animadverte qualiter respiraverit, hac simplici audita voce, quam seipsum despexerit; quomodo ne passum quidem se putaverit ea quæ passus esset, hæc dicens : « Cur adhuc judicor, admonitus et re- » dargutus a Domino, cum hæc audiam qui nihil sum? » Et rursum : « Auditu quidem auris audiebam te prius : » nunc autem oculus meus videt te : quapropter nihil facio » meipsum, et liquefactus sum : æstimoque meipsum ter- » ram et cinerem [2]. » Nos itaque qui post legem et gratiam sumus, hanc fortitudinem, hanc mansuetudinem illius imitemur, qui ante legem et gratiam fuit, ut cum illo æterna tabernacula adipiscamur, quæ utinam consequamur omnes, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Dan. III, 18. — [2] Job. XLII, 5, 6.

HOMILIA XXXIV.

CAPUT X.

Cum autem persequentur vos ex hac civitate, fugite in aliam. Amen quippe dico vobis: Non consummabitis civitates Israël, donec veniat Filius hominis [1].

I. Cum illa terribilia et horrenda dixisset, quæ possent adamantem frangere, quæ post crucem, resurrectionem et ascensionem ipsis eventura erant, sermonem ducit ad mitiora, dans athletis suis respirandi locum, multamque præbens ipsis tranquillitatem. Non enim jussit cum persequentibus congredi, sed fugere. Quia hæc adhuc initia erant, sermonem suum attemperat et mitigat. Non loquitur enim hic de persecutionibus, quæ postea futuræ erant, sed de illis, quæ crucem et passionem præcessere; hoc enim indicavit cum dixit: « Non enim consummabitis civitates » Israël, donec venerit Filius hominis. » Ne dicerent enim: « Quid si persecutores fugiamus, et illi nos inde etiam pellant? » Hunc metum ipse tollens ait: « Non circuibitis Palæstinam totam, nam ego vos statim excipiam. » Et perpende quomodo non hic mala tollat, sed adsit in periculis. Non dixit enim: « Vos eripiam, et persecutiones solvam. » Sed quid? « Non consummabitis civitates Israël, donec venerit » Filius hominis. » Satis enim erat ad consolationem illorum, quod illum viderent. Tu vero mihi considera, quomodo ille non ubique omnia gratiæ tribuat, sed quidpiam ab illis afferri jubeat. Nam si timetis, inquit, fugite, et ne

[1] Matth. x, 23.

timeatis : neque ipsos primos jubet fugere, sed pulsos recedere; neque magna spatia dat locorum, sed quantum esse possit in circumeundo civitates Israël. Deinde ad aliam philosophiæ partem ipsos invitat. Primo alimentorum curam, secundo periculorum metum abstulit; nunc vero maledictorum metum avellit. Illa enim sollicitudine liberavit dicens : « Dignus est operarius mercede sua [1], » significans multos fere qui ipsos excipiant; de periculis vero dixit : « Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini [2], » et, « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit [3]. » Quia autem verisimile erat ipsos malam habituros famam esse, quod multis omnium molestissimum esse videtur, animadverte quo pacto hic illos consoletur, ex iis scilicet quæ ad seipsum spectabant, et de se dicta fuerant : cui consolationi nihil par esse possit. Sicut enim ibi dixerat : « Et eritis odio omnibus, » et adjecerat, « Propter nomen » meum [4]; » sic et hoc loco illos consolatur, alterum quidpiam adjiciens : quodnam illud? « Non est discipulus, in- » quit, super magistrum, nec servus super dominum suum. » Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus, et servo sicut » dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, » quanto magis domesticos ejus? Ne itaque timeatis eos [5]. » Vide quomodo se omnium dominum et Deum et creatorem esse declarat. Quid igitur? « Non est discipulus super » magistrum, nec servus super dominum? » Donec erit aut discipulus aut servus, non erit major secundum honoris ordinem. Ne mihi enim hic rara quædam proferas exempla, de iis quæ ut plurimum esse solent id accipe. Nec dixit : « Quanto magis servos, » sed, « Domesticos ejus, » magna erga illos mansuetudine usus. Alibi etiam dicit : « Non ultra voco vos servos, vos amici mei estis [6]. » Nec

[1] Luc. x, 7. — [2] Matth. x, 19. — [3] Id. xxiv, 13. — [4] Id. x, 22. — [5] Ibid. 24-26. — [6] Joan. xv, 15.

dixit : « Si patremfamilias injuriis et maledictis affececerunt ; » sed ipsum contumeliæ modum expressit, quod Beelzebub vocarint. Deinde aliam hac non minorem dat consolationem ; erat tamen illa maxima ; sed quia iis qui nondum philosophabantur, alia opus erat quæ posset illos afficere, hanc etiam addit : ac dicendi quidem modus generalem videtur efferre sententiam ; attamen non de omnibus, sed de propositis tantum dicitur. Quid enim ait : « Ne » timeatis eos : nihil enim est opertum, quod non revela» bitur ; nec occultum, quod non scietur[1]. » Quod autem dicit, hujusmodi est : « Sufficit quidem vobis ad consolationem, si ego magister et dominus consors sim convitiorum. Si vero adhuc doletis hæc audientes, illud quoque animo reputate vos non multum postea ab hac suspicione liberatum iri. Cur enim id ægre fertis ? Quia præstigiatores et deceptores vos vocant ? At paululum expectate, et servatores benefactoresque orbis vos prædicabunt omnes. At enim tempus illa omnia, quæ subobscura erant, revelabit, et illorum calumniam deteget, virtutemque vestram conspicuam reddet. Cum enim ex rebus ipsis comprobabimini, et lumina esse, et benefici, et omni virtute conspicui, illorum dictis homines non attendent, sed rei veritati : ac illi quidem sycophantæ, mendaces, maledici : vos vero ipso sole splendidiores deprehendemini : multum quippe temporis spatium vos notos reddet, prædicabit, et tuba clariorem emittet vocem, vestræque virtutis testes universos homines exhibebit. Ne itaque ea, quæ nunc dicuntur, vos dejiciant, sed spes futurorum bonorum erigat. Non possunt enim ea quæ ad vos spectant occultari. »

II. Deinde postquam illos omni angore, timore et sollicitudine liberavit, et probris omnibus superiores reddidit, demum illos opportune de libertate prædicandi alloquitur:

[1] Matth. x, 26.

nam dicit: « Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, » et quod in aure auditis, prædicate super tecta [1]. » Quanquam non erant tenebræ cum hæc diceret, neque ad aurem loquebatur; sed hæc hyperbolice dicta sunt. Quia enim solos alloquebatur, et in parvo Palæstinæ angulo, ideo dicit: « In tenebris, et in aure, » hunc loquendi modum comparans cum loquendi fiducia, qua illos postea instructurus erat. Ne in una, duabus tribusve civitatibus, sed per totum orbem prædicate, terram mareque peragrantes, habitatam, non habitatam: ac tyrannis, populis, philosophis, rhetoribus cum magna fiducia omnia dicite. Ideo dixit: « Super » tecta, et in lumine, » sine ullo subterfugio et cum omni libertate. Et cur non satis habuit dicere: « Prædicate super » tecta et dicite in lumine, » sed adjecit enim, « Quod dico » vobis in tenebris, et, quod in aure auditis? » ut eorum sensus erigat; sicut quando dicebat: « Qui credit in me, » opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum fa- » ciet [2]; » sic et hoc loco, ostendens per ipsos omnia effici, et plura quam per seipsum facta sint, ita posuit. Nam ait: « Principium vobis ego et initia dedi, plura vero illa per vos impleri volo. » Hoc autem non modo præcipientis est, sed etiam futura nuntiantis, fidentis iis, quæ dicebantur, prædicentis eos omnia esse superaturos, sensimque subvertentis conceptam circa maledicta mœstitiam. Quemadmodum enim hæc prædicatio, nunc latens, omnia pervadet, sic mala illa Judæorum existimatio cito peribit. Deinde postquam illorum erexit animos, rursum pericula prædicit, illorum mentem erigens, omnibusque sublimiores reddens. Quid enim ait? « Nolite timere eos qui occidunt corpus, » animam autem non possunt occidere [3]. » Vides-ne quomodo illos omnibus superiores reddat? non curas modo, non maledicta, pericula, insidias, sed etiam mortem om-

[1] Matth. x, 27. — [2] Joan. iv, 12. — [3] Matth. x, 28.

nium terribilissimam contemnere docens? neque simpliciter mortem, sed etiam violentam. Neque dixit: «Occidemini,» sed cum magnificentia congruenti totum declaravit, «Nolite timere, dicens, ab iis qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum »qui potest et animam et corpus perdere in gehennam [1]:» in contrarium vertens sermonem, uti semper facit. Quid enim sibi vult? «Timetis mortem, ideoque ad prædicandum segniores estis? sed hac de causa potius prædicate, quia mortem timetis. Illud enim vere vos a morte eripiet. Nam etiamsi vos interempturi sunt, meliorem tamen partem non superabunt, etiamsi id totis viribus conentur.» Ideo non dixit: «Animam autem non occidunt;» sed, «Non possunt »occidere.» Nam etiamsi velint, non superabunt. Itaque si supplicium times, illud longe gravius time.» Vides-ne quomodo non promittat se illos a morte liberaturum esse, sed mori permittit, majora largiturus, quam si id non permitteret? Longe enim majus est suadere ut mors spernatur, quam a morte eruere. Non itaque illos in pericula conjicit, sed reddit periculis superiores, brevique sermone doctrinam de immortalitate animæ in illis inserit, ac duobus tribusve verbis sic inserto salutari dogmate, aliis illos ratiociniis consolatur. Ne enim putarent se occidi et jugulari, quod quasi derelicti sint, de providentia Dei sermonem inducit, his verbis: «Nonne duo passeres asse veneunt, et »unus ex illis non cadet in laqueum sine Patre vestro qui »in cœlis est? Vestri autem capilli capitis omnes numerati »sunt [2].» Quid enim vilius illis, inquit: attamen nunquam ignorante Deo capientur. Non enim operante Deo cadere dicit: id enim indignum Deo esset; sed dixit nihil gestorum illum latere. Si ergo nihil eorum, quæ accidunt ignorat, vosque sincerius quam pater amat, atque ita amat, ut

[1] Matth. x, 28. — [2] Ibid. 29, 30.

etiam capillos vestros numerarit, nihil utique timendum. Hoc vero dixit, non quod Deus capillos numeret, sed ut accuratam notitiam magnamque circa eos providentiam ostendat. Si ergo omnia quæ fiunt novit, si vult nos salvos facere, et id potest, si quid patiamini, ne credite vos derelictos illa pati. Non enim vult vos a malis eripere, sed suadere ut mala contemnatis. Nam hæc vere liberatio est a malis. « Nolite ergo timere : multis passeribus meliores estis » vos [1]. » Vides-ne illos jam timore correptos fuisse? Sciebat enim secreta mentis ; ideo subjunxit : « Ne ergo timeatis » eos. » Etiamsi enim prævaleant, in minorem partem prævalebunt, in corpus scilicet : quod etiamsi illi non occidant, natura tamen absumet.

III. Itaque ne in hoc quidem illi potestatem habent, a natura quippe illud obtinent. Quod si hoc timeas, multo magis timendum illud quod majus, ac metuendus est ille, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Neque manifeste dicit se illum esse, qui possit et animam et corpus perdere ; sed per ea, quæ superius dixit, se judicem esse monstravit. At nunc contrarium evenit : nam eum, qui potest animam perdere, hoc est, supplicio afficere, non timemus ; illos autem, qui corpus interficiunt, perhorrescimus. Quanquam ille una cum anima corpus etiam ulciscitur : illi vero non modo animam, sed ne corpus quidem possunt punire ; licet enim millies supplicio afficiant, splendidius illud omnino reddunt. Vidisti-ne quomodo certamina facilia reddat? Mors enim eorum animam admodum exagitabat, terribilisque adhuc erat, quod nondum expugnatu facilis esset, nec adhuc Spiritus gratiam accepissent ii, qui illam contempturi erant. Postquam ergo timorem et metum, qui ipsorum animam exagitabat, amovisset, sequenti etiam sermone illis fiduciam indit ; timore timorem

[1] Matth. x, 31.

pellens, nec timore modo, sed magnorum spe præmiorum, insuperque cum magna potestate comminatur; atque utrinque illos hortatur ad fiduciam pro veritate sumendam, hæc adjiciens : « Quicumque confitebitur in me coram homini» bus, confitebor et ego in eum coram Patre meo, qui est » in cœlis; et quicumque negaverit me coram hominibus, » negabo et ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis [1]. » Non enim a bonorum spe tantum, sed etiam a malorum metu concitat, et in tristia desinit. Ejus autem accurationem perpende. Non dixit : « Me, » sed, « In me ; » ostendens eum, qui confitetur, non propria virtute, sed superna gratia fultum confiteri. De negante non dixit : « In me, » sed, « Me : » nam cum dono gratiæ vacuus sit, ita negat. Cur ergo accusatur, inquies, si is qui negat, ita derelinquitur? Quia qui derelinquitur, culpa sua derelinquitur. Sed cur non sufficit fides in animo, sed oris etiam confessionem requirit? ut nos incitet ad fiduciam et ad loquendi libertatem, nec non ad majorem charitatem et affectum, utque nos sublimiores efficiat. Ideoque omnibus loquitur, neque solos respicit Discipulos; non illos enim tantum, sed etiam discipulos eorum jam strenuos reddere studet. Nam qui hæc didicerit, non modo cum libertate docebit, sed etiam omnia facile et magno animo patietur. Id certe fecit ut multi ad Apostolos accederent, quod huic dicto fidem haberent. Nam ut in malis majora supplicia sequuntur ; sic et in bonis major merces. Quia enim qui bonum sic operatur, divitias sibi parat, peccator autem dilatione supplicii se lucrari existimat, parem, imo longe majorem bene operanti induxit copiam, seu præmiorum additamentum. Hanc prærogativam, inquit, habes, quod in me prior credideris? Ego item hanc prærogativam dabo, ut majora tribuam, imo longe majora. Nam ibi te confitebor. Vides-ne et hic

[1] Matth. x, 32, 33.

et illic bona et mala recondi? Cur ergo festinas? cur hic mercedem quæris, qui spe jam salvus es? Idcirco si quid boni feceris, neque hic mercedem recipias, ne turberis. Cum additamento enim in futuro tempore te merces manet. Sin quidpiam mali feceris, nec des pœnas, ne ideo segnis sis, illic enim te supplicium excipiet, nisi muteris, et melior evadas. Si vero non credis, ex præsentibus rebus futura conjicito. Nam si certaminum tempore sic illustres sunt ii qui confitentur, perpende quales coronarum tempore futuri sint. Si inimici hic plaudunt, qui te affectu plus quam paterno diligit, quomodo non te mirabitur et celebrabit? Tunc enim erunt et bonorum præmia et malorum supplicia ; ita ut qui negaverint, et hic et illic puniantur; hic cum mala conscientia viventes, qui quantumcumque mortem fugerint, morientur tandem ; illic vero extremas dabunt pœnas. Alii autem et hic et illic lucrantur; et mortem hic in lucrum vertentes, quia vivis splendidiores efficiuntur, et illic ineffabilibus fruentes bonis. Non enim ad puniendum tantum, sed etiam ad bona eroganda paratus est Deus, et ad hoc certe magis quam ad illud. Sed cur hoc semel, illud bis posuit? Novit certe timore magis homines ad resipiscentiam adduci. Idcirco cum dixisset : « Timete eum qui potest et animam et corpus perdere in » gehennam ; » rursum dicit : « Negabo eum et ego. » Sic et Paulus faciebat, gehennam frequenter memorans.

IV. Cum igitur auditorem omni ex parte stimulasset, nam et cœlos ipsi aperuit, et tribunal illud terribile monstravit, Angelorum theatrum, coronarum proclamationes, quæ piæ doctrinæ viam facilem pararent, demum ne per timorem prædicatio impediretur, ad cædes ipsos apparari jubet ; ut discamus eos, qui in incredulitate persistunt, etiam insidiarum hujuscemodi pœnas esse daturos. Mortem ergo despiciamus; etiamsi nondum ejus tempus adve-

nerit: nam ad multo meliorem vitam resurrecturi sumus. Ac dices, corpus corrumpitur? Et ideo maxime gaudendum, quod mors corrumpatur et mortalitas pereat, non autem substantia corporis. Neque enim si conflari videres statuam, perniciem id diceres, sed meliorem materiæ usum; sic et de corpore cogita, et ne lacrymeris, flendum sane esset, si in pœna mansisset. Sed oportuisset, inquies, sine corruptione corporum id fieri, et ipsa integra manere. Et quid inde utilitatis aut vivis aut defunctis provenisset? Quousque amatores corporum eritis? Quousque terræ addicti ad umbras inhiatis? Quid inde utilitatis obveniret? Imo quid non nocumenti accederet? Nam si corpora non corrumperentur, malum omnium deterrimum superbia in multis vigeret. Etenim cum res ita se habeat, corporeque vermibus scatente, multi tamen se deos existimari studuerunt, quid non futurum erat, si corpus mansisset? Secundo, non credidissent corpora ex terra ortum habere: nam si, ejus fine id testificante, adhuc quidam dubitant, quid non suspicarentur, nisi hoc viderent? Tertio, corpora magis diligerentur, plurimique magis carnales et crassiores facti essent: nam si nunc quidām sepulcris et urnis hærent, etiam corporibus consumptis, quid non facerent, si ipsam imaginem haberent? Quarto, homines futura non desiderassent. Quinto, illi qui dicunt mundum esse immortalem, hinc in opinione firmarentur, ut asserent Deum non esse creatorem. Sexto, non cognosceretur animæ virtus, nec quantum præsens conferat anima corpori. Septimo, multi ex defunctorum suorum amore, urbibus relictis, in sepulcris habituri erant, et insanorum instar mortuos suos frequenter allocuturi. Nam si nunc quidam imagines effingentes, quia corpora retinere non possunt, sed invitis ipsis illa defluunt, ligneis tabulis hærent, quid non absurdi tunc excogitassent? Puto certe multos hujuscemodi corporibus

templa ædificaturos, et persuasuros fuisse dæmonas in illis loqui, si qui in hisce præstigiis solertes fuissent, quandoquidem illi, qui « Necromantiam » audent exercere, multa his absurdiora tentant, ad hæc pulverem et cineres adhibentes. Quanta hinc idololatriæ genera non emerserunt? His igitur omnibus sublatis Deus, utpote absurdis, ut nos instituat ad terrena omnia abjicienda, ante oculos nostros corpus destruit. Nam corporum amator, qui formosam puellam deperit, si nolit deformitatem materiæ ratione discere, eam ipsis oculis perspiciet. Etenim multæ sunt paris ætatis puellæ, ac sæpe formosiores, quæ defunctæ post unam alteramve diem fœtorem emiserunt, saniem, putredinem, vermes. Cogita qualem ames pulchritudinem, et quam formam depereas. Si vero corpora non putrescerent, hæc non probe dignosci possent : sed sicut dæmones per sepulcra currunt; sic multi ex amatoribus sepulcris assidentes, dæmonas in anima reciperent, et hac ducti insania sæpe morerentur. Nunc porro tum alia multa, tum hoc etiam animum consolatur, quod imago illa non appareat, sicque dolor oblivione diffluat.

V. Quod si res non ita se haberet, sepulcra nulla essent; sed civitates videres quæ mortuos pro statuis haberent, cum singuli vellent suos videre. Hinc ingens confusio oriretur, nemo animæ curam haberet, nec de ejus immortalitate cogitaret : multaque alia absurdiora inde emergerent, quæ ne dicere quidem fas est. Propterea subito putrescit, ut nudam animæ pulchritudinem videas : nam si talem formam et talem vitam anima corpori præbet, quanto majoris ipsa pulchritudinis erit? Si rem ita deformem sustentat, quanto magis seipsam? Non enim corpus ipsum pulchrum est, sed ipsa efformatio, et flos ille qui per animam in materia depingitur. Illam igitur ama, quæ corpori talem speciem conciliat. Ecquid de morte loquor? Etenim

in hac quoque vita ostendam tibi quomodo pulchra omnia ab illa proficiscantur. Nam si illa lætetur, roseo genas depingit colore; sin mœsta sit, hac detracta pulchritudine, atro colore omnia vestit. Si assidue lætetur, corpus viget ægritudine vacuum; si angatur, aranea macilentius et imbecillius evadit; si irascatur, ingratum illud et turpe reddit; si serenum oculum ostenderit, magnam emittit pulchritudinem; si invideat, pallorem multum et tabem effundit; si amet, pulchram indit formam. Ita enim multæ, quæ formosæ non erant, multam ab anima gratiam accepere; contra vero aliæ admodum formosæ, quia ingratam injucundamque animam habuere, formam suam labefactarunt. Cogita quomodo candida facies erubescat, et coloris varietate non parvam voluptatem pariat, siquidem adsit pudor: nam si impudens illa sit, fera omni injucundior erit et ingratior; contra si pudibunda sit, mitis et formosa evadit: anima quippe pulchra nihil formosius, nihil dulcius. Nam in corporibus amor dolore non vacat, in animis pura et imperturbata voluptas. Cur ergo, rege dimisso, præconem miraris? Cur, philosopho relicto, ad interpretem inhias? Vidisti pulchrum oculum, interiorem observa, et si hic pulcher non sit, despice illum? Neque enim si videas deformem mulierem speciosa larva obtectam, aliquo erga illam affectu moveris, ut contra larva occultari formosam non sinas, sed amota larva nudam faciem videre cuperes. Hoc erga animam quoque facito, illam agnosce priorem, larvæ quippe loco illam corpus ambit, quod ut compositum est, ita semper manet: anima vero si deformis sit, cito potest formosa effici. Si oculum habeat deformem, torvum, turpem, potest ille fieri pulcher, suavis, serenus, jucundus. Hanc ergo formam quæramus, hanc faciem ornatam, ut Deus nostram concupiscens formam, æterna nobis bona largiatur, gratia et misericordia Domini nostri

Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXV.

CAPUT X.

Nolite putare quia venerim pacem mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem a patre suo, et filiam a matre sua, et nurum a socru sua : et inimici hominis, domestici ejus [1].

I. Rursum [2] onerosiora profert, idque cum magna auctoritate : quodque alii objecturi erant, ille prædicit. Nam ne iis auditis dicerent : « Ideo-ne venisti, ut nos interficias cum iis, qui nobis obsecuti sunt, et bellis terram repleas? » ipse prior dicit : « Non veni pacem mittere in terram. » Cur ergo præcepit in domos singulas ingressos pacem dicere? Cur et Angeli dicebant : « Gloria in excelsis Deo, et in terra » pax [3] ? » Cur Prophetæ omnes idipsum prænuntiarunt? Quia illud maxime pax est, cum id quod ægrotat, abscinditur; quando id quod dissidet, separatur. Sic enim potest cœlum cum terra jungi. Quandoquidem medicus sic reliquum corpus servat, cum id quod insanabile est resecat : et dux, cum eos qui concordiam perniciosam inierant, ad dissensionem inducit. Sic et in illa turri factum est [4] : malam quippe concordiam bona discordia solvit, et pacem conciliavit. Sic et Paulus eos, qui adversum se concordiam inierant, divisit [5]. In Nabuthe vero concordia illa fuit omni

[1] Matth. x, 34-36. — [2] Vide D. Guillon, tom. XVIII, pag. 114-121. — [3] Luc. II, 14. — [4] Gen. XI. — [5] Act. XXIII, 6.

bello deterior [1]. Neque enim concordia semper laudanda : nam latrones inter se concordes sunt. Non igitur ex Christi proposito, sed ex illorum voluntate bellum movebatur. Ipse quippe volebat omnes in pia religione concordes esse. Sed quia illi dissidebant, hinc bellum oriebatur. Sed non sic ille locutus est : quid vero dicit ? « Non veni pacem mit-» tere, » ut illos consolaretur. « Ne putetis, inquit, illorum vos causam esse, ego hæc dispono, quia illi sic affecti sunt. Ne turbemini igitur quasi res præter expectationem eve-niant. Ideo veni, ut bellum moveam : hæc quippe mea est voluntas. Ne turbemini igitur cum terra quasi insidiis ap-petita in bella erumpet. Cum enim id quod deterius est separatum fuerit, tunc demum meliori parti conjungetur cœlum. » Hæc autem dicit, ut contra malam multorum opi-nionem illos muniat. Neque dixit bellum, sed quod multo deterius est, gladium. Si vero dicta hæc onerosa sint et dictu ingrata, ne mireris. Cum enim vellet eos hac verbo-rum asperitate exercere, ne in rerum difficultatem ingressi resilirent, sic verba disposuit, ac ne quis diceret eum ex lenocinio, et difficilia occultando, quæ volebat suasisse. Ideo illa quæ alio modo dicenda videbantur, acerbiori et terribiliori modo explicavit. Melius enim est rerum quam verborum lenitatem videre. Ideo neque hæc dixisse satis habuit, sed belli speciem explicans, ostendit illud civili bello multo gravius esse, aitque : « Veni separare hominem » a patre suo, et filiam a matre sua, et nurum a socru sua.» Non enim amici et concives solum, inquit, sed et cognati alter contra alterum insurgent, et natura ipsa discindetur bello. « Veni enim, inquit, separare hominem a patre suo, » et matrem a filia sua, et nurum a socru sua. » Neque enim inter domesticos simpliciter bellum erit, sed etiam inter amicissimos et majori necessitudine junctos : id quod ma-

[1] Reg. XXI.

xime ejus virtutem ostendit, quod illi talia audientes exciperent, aliisque suaderent; quanquam non ipse hæc efficiebat, sed hominum nequitia, attamen ipse se dicit illa facere. Hic quippe mos est Scripturæ sacræ. Alibi enim dicit : « Dedit illis Deus oculos ut non viderent[1] : » sic et in hoc loco dicit[2]. Ut verba istæc, quod superius dixi, secum reputantes ne turbarentur, cum opprobriis et contumeliis impeterentur. Quod si qui hæc gravia existimant, in mentem revocent veterem historiam. Priscis enim temporibus hoc ipsum contigit, id quod maxime ostendit veteris legis cum nova affinitatem, eumdemque esse qui hæc dixit, et illa præcipit. Nam et apud Judæos cum quisque proximum suum occidit[3], tunc ille placatus est, et quando vitulum conflarunt, et quando Beelphegori initiati sunt[4]. Ubi sunt ergo qui dicunt illum Deum malum, hunc bonum esse? Ecce namque cognatorum sanguine orbem replevit. Attamen benignitatis multæ hoc opus esse dicimus. Propterea ut ostendat se illa etiam approbare, prophetiam memorat, quæ non factum illud respicit, sed idipsum tamen declarat. Quænam illa est? « Inimici hominis domestici » ejus. » Nam et apud Judæos quidpiam simile contigit. Erant enim Prophetæ et pseudoprophetæ, ac populus dissidebat, domusque dividebantur; alii his credebant, alii aliis. Ideo monet Propheta dicens : « Nolite credere amicis, nec » sperare in ducibus. Sed et a conjuge tua cave, neque illi » assentiaris, quia inimici hominis sunt ipsi viri in ejus » habitantes domo[5]. » Hæc autem dicebat, ut eum, qui hoc verbum excepturus esset, omnibus superiorem redderet. Neque enim mori malum est, sed male mori. Idcirco dixit : « Ignem veni mittere in terram. » Hæc porro dicebat, ut ejus, quem exigebat amoris, fervorem ac vehementiam signi-

[1] Ezech. xii, 2. — [2] Joan. xii, 40. — [3] Exod. xxxii, 28. — [4] Num. xxv, 3. — [5] Mich. vii, 5, 6.

ficaret. Quia enim ita nos vehementer amavit, sic a nobis vult amari. Hæc porro verba Apostolos erigebant, sublimioresque reddebant. Nam si illi, aiebant, cognatos, filios, parentes despecturi sunt, cogita quales oporteat nos esse, qui doctores sumus. Neque enim dura et difficilia illa in vobis finem habebunt, sed et ad alios transibunt. Nam quia magna bona huc attuli, magnam exigo et obedientiam et affectum. « Qui amat patrem et matrem plus quam » me, non est me dignus : et qui amat filium aut filiam plus » quam me, non est me dignus, et qui non tollit crucem » suam et sequitur me, non est me dignus [1]. » Vidisti auctoritatem doctoris? vidisti quomodo ostendat seipsum genuinum patris filium, omnia jubens infra relinquere et charitatem ejus anteferre? Et quid dico, inquit, amicos et cognatos? si animam tuam dilectioni meæ præferas, procul es a meis Discipulis. Quid igitur? Annon hæc contraria veteri legi sunt? Absit; imo illi valde consonant. Nam illic idololatras non modo odit, sed etiam lapidari jubet [2]. Et in Deuteronomio veritatis cultores admirans ait : « Qui dicit patri » vel matri : Non vidi te, et fratres suos non cognovit, et » filios ignoravit, custodivit eloquia tua [3]. » Quod si Paulus multa circa parentes præcipiat, et illis in omnibus obsequi jubeat, ne mireris : nam in illis solum obedire præcipit, quæ pietati non officiunt : sanctum quippe est in cæteris omnibus honore illos afficere. Cum autem plus quam par sit exigunt, non oportet illis obtemperare. Idcirco dicit Lucas : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et » matrem, et uxorem, et filios, et fratres, adhuc autem et » animam suam, non potest meus esse discipulus [4]. » Non simpliciter odio habere jubet, id enim admodum iniquum esset; sed si velit ut ames illum plus quam me, ea de

[1] Matth. x, 37, 38. — [2] Levit. xxiv, 14. — [3] Deut. xxxiii, 9. — [4] Luc. xiv, 26.

causa odio habe illum. Id enim et amatum et amantem perderet.

II. Hoc porro dicebat ut et filios fortiores, et patres qui impedimento esse vellent, mansuetiores redderet. Etenim patres videntes ipsum tantam vim et potestatem habere, ut posset filios ab ipsis avellere, ne ea tentarent quæ fieri non poterant, destituri erant. Ideo filios solum alloquitur, missis patribus, quos ab inutili conatu revocat. Deinde ne illi indignarentur et ægre ferrent, vide quo sermonem deducat, cum dixisset enim : « Qui non odit patrem et ma» trem,» addit, «Et animam suam.» Quid mihi allegas, inquit, parentes, fratres, sorores, uxorem? Nihil cuiquam conjunctius est anima, et tamen nisi eam odio habueris, contra quam velit amans omnia cedent. Neque simpliciter illam odio habere jussit; sed ita ut ad bella tradatur, ad pugnas, cædes, sanguinem. « Nam qui non bajulat crucem suam, » et venit post me, non potest meus esse discipulus. » Non dicit solum: «Ad mortem paratum esse oportet;» sed, «Ad mortem violentam; » nec violentam modo, sed et ignominiosam. Nihilque adhuc de passione sua loquitur; ut in his interim instituti facilius ac lenius de illa loquentem audirent. An non stupendum est illorum hæc audientium animam non avolasse a corpore, cum de tristibus solum agatur, bonorum vero spes tantum offeratur? Quomodo ergo non avolavit? Multa erat dicentis virtus, et audientium amor multus. Ideoque longe duriora et onerosiora audientes, quam magni illi viri Moyses et Jeremias, obtemperantes, nec repugnantes manebant. « Qui invenit animam suam, perdet » eam, et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet » eam [1]. » Vides-ne quantam jacturam faciant qui animam suam plus quam oportet diligant? quantumque lucrum eorum qui oderunt? Quia enim præcepta onerosa erant;

[1] Matth. x, 39.

nam contra parentes, filios, naturam, cognationem, orbem, ipsamque animam aciem instruere oportebat; utilitatem adjecit, quæ maxima certe erat. Hæc, inquit, non modo non nocebunt, sed et maxime juvabunt; his autem contraria nocebunt. Id ubique facit, ab iis, quæ concupiscunt, inductionem parat. Cur non vis animam tuam despicere? quia amas illam? Ob hoc ipsum ergo illam despice, et tunc illam maxime juvabis, teque vere amantem monstraveris. Et vide mihi prudentiam ineffabilem, non enim in parentibus et filiis tantum moratur, sed in anima omnium charissima, ut quod de illa dicit indubitatum maneat, et simul discant illos etiam multum lucri et utilitatis hinc accepturos esse, quandoquidem illud in omnium pretiosissima sibi anima contigit. Hæc vero poterant homines inducere ad illos recipiendos qui sibi saluti esse valebant. Quis enim ita fortes strenuosque viros, qui quasi leones orbem percurrebant, qui ut alios servarent sua omnia contemnebant, non libenti animo suscepisset? Attamen aliam ponit mercedem, ostendens se hospitio recipientem, quam receptum hac in te magis curare. Et primum quidem dat præmium dicens : « Qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, » recipit eum qui me misit [1]. » Cui rei quid par unquam fuerit, Patrem nempe et Filium recipere? Aliam post hanc mercedem pollicetur; nam ait : « Qui recipit Prophetam in » nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, et qui » recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet [2]. » Supra pœnam interminatur iis, qui non receperint; hic vero bonorum largitionem definit. Ut autem discas illum hos maxime curare, non dixit tantum, « Qui recipit Prophetam, vel, « Qui recipit justum, » sed adjicit, « In nomine Prophetæ, » et, « In nomine justi; » id est, si non propter sæculare patrocinium, vel caducarum rerum causa, susceperit; sed quia

[1] Matth. x, 40. — [2] Ibid. 41.

Propheta, vel quia justus est, mercedem Prophetæ vel justi accipiet, vel quam par est accipere eum, qui vel Prophetam vel justum receperit, vel qualem Propheta vel justus consequitur : quod et Paulus dicebat : « Vestra abundantia » ad illorum inopiam [1]. » Ut illorum abundantia sit ad vestram inopiam. Deinde ne quis paupertatem obtenderet, ait : « Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem » aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis » non perdet mercedem suam [2]. » Etiamsi vel potum aquæ frigidæ dederis, in quo nulla impensa est, erit tibi reposita merces. Propter vos enim qui recipitis omnia facio.

III. Vidisti-ne quibusnam ad persuadendum usus, universas illis orbis domos aperuerit : per omnia quippe ostendit omnes ipsis esse debitores. Primo cum dixit : « Dignus » est operarius mercede sua [3] ; » secundo, quod nihil habentes et vacuos mittat ; tertio, quod ab bella et pugnas pro suscipientibus mittat ; quarto, quod signa operandi det potestatem ; quinto, quod pacem, bonorum omnium causam, per os eorum in domos suscipientium inducat : sexto, quod graviora Sodomiticis interminetur iis, qui non ipsos susceperint ; septimo, quod ostendat, qui ipsos suscipiunt, et se et Patrem suscipere ; octavo, quod Prophetæ et justi mercedem promittat ; nono, quod calici aquæ frigidæ magnam assignet mercedem. Horum unumquodque poterat illos attrahere. Quis enim, quæso, ducem videns mille vulneribus confossum et cruentatum, ac post multa tropæa ex bello redeuntem januis domus omnibus apertis non receperit ? Et quis ille talis ? inquies. Ideo adjecit : « In nomine Prophe- » tæ, vel discipuli, vel justi. » Ut discas ipsum non ex dignitate accedentis, sed ex voluntate suscipientis hospitio, mercedem statuere. Nam hic de Prophetis, de Discipulis et de justis agit, alibi vero etiam admodum abjectos susci-

[1] 2 Cor. VIII, 14. — [2] Matth. X, 42. — [3] Luc. X, 7.

pere jubet, eosque qui non suscipiunt castigat : « Nam in » quantum non fecistis uni ex his minimis, neque mihi fe- » cistis [1], » et e contrario rursum. Etiamsi enim ille nihil grande fecerit, homo tamen est et mundum eumdem habitat, eumdem solem respicit, eamdem habet animam, eumdem dominum, eorumdem tecum mysteriorum consors est, ad idem cœlum vocatur, jus grande habens paupertatem, et quod necessario cibo egeat. Nunc autem qui te cum tibiis et fistulis hiemis tempore excitant, et frustra temereque tibi molestiam creant, multis tamen a te ornati muneribus recedunt, et qui hirundines circumferunt, fuligine obducti, qui scommata et maledicta in omnes conjiciunt, portentosæ consuetudinis mercedem accipiunt. Si vero pauper egens pane accedat, mille illum maledictis, opprobriis, criminibus oneras, otiositatem exprobras; nec cogitas te quoque otiosum esse, et tamen Deum tibi munera et dona præbere. Ne mihi enim dixeris te aliquid operari; sed mihi demonstra te aliquid necessarium facere et tractare. Sin mihi dixeris te negotia pecuniaria et cauponariam exercere nec non, studium curandæ et augendæ rei familiaris; respondebo tibi hæc non esse opera; sed vere opera esse, eleemosynam, orationem, læsorum patrocinium et similia, in quorum incuria vitam perpetuo agimus. Attamen nunquam dixit nobis Deus : « Quia in otio degis, non accendam tibi solem ; quia ex necessariis nihil exequeris, lunam tibi extinguam, terræ uterum sterilem redddam, retinebo stagna, fontes, stumina, delebo aërem, pluvias annuas detinebo. » Verum omnia ille nobis abundanter suppeditat. Quibusdam vero non solum in otio degentibus, sed etiam male operantibus, hæc affatim largitur. Cum igitur pauperem videris dixerisque: « Præfocor cum video hunc juvenem, bene valentem, nihil habentem, velle

[1] Matth. xxv, 40.

otioso sibi alimenta suppeditari, forte servus fugitivus est qui herum suum reliquit; « hæc ipsa tibi dicito, imo da illi hæc tibi dicendi libertatem, justiusque dicet tibi : « Præfocor cum video te, sanus cum sis, in otio degere, nec quidquam eorum quæ tibi Deus præcepit exequi, sed a domini præceptis fugitivum circumire in nequitia, quasi in aliena terra vitam agentem, ebriosum, crapulæ deditum, furem, raptorem, alienas subvertentem domos. Tu me de otio accusas, ego te de pravis operibus, quando insidiaris, juras, mentiris, rapis, innumeraque hujuscemodi operaris. »

IV. Hæc autem dico non quod otiosos lege confirmem : absit; omnes quippe operari cupio : desidia enim omne vitium edocet; sed rogo ne duri vel inhumani sitis. Quandoquidem Paulus multa conquestus, cum dixisset : « Si quis » non vult operari, nec manducet [1]; » non hic finem dicendi fecit, sed adjecit : « Vos autem non deficiatis bonum facien» tes [2]. » Atqui hæc contraria sunt. Si enim præcepisti ne comedant otiosi, cur nos ad dandum hortaris? Etiam, inquit, jussi illos aversari, nec se miscere cum illis, rursumque dixi : « Ne illos inimicos putetis, sed admonete, » non contraria præcipiens, sed admodum consona. Nam si tu ad eleemosynam erogandam sis paratus, cito pauper ille ab otio discedet, et tu ab inhumanitate. At mentitur, inquies, et multa confingit. Sed hinc dignus misericordia est, quod ad tantam redactus sit egestatem, ut impudenter agere cogatur. Nos vero non modo non misericordia movemur, sed et inhumana illa verba proferimus, dicentes : « Annon semel et bis accepisti? » Quid igitur? Annon eget cibo iterum qui semel cibum accepit? Cur non ventri quoque tuo hasce ponis leges? nec dicis : « Repletus fuisti heri et nudiustertius, ne quæras amplius? » Imo illum supra mensuram replendo dirumpis, hunc vero modica petentem aversaris,

[1] 2 Thess. III, 10. — [2] Ibid. 13.

cum par esset ejus vel hoc ipso misereri, quod quotidie te cogatur adire. Etiamsi non aliunde flectaris, ideo illius te misereri oporteret. Paupertatis enim necessitas vi ad hæc agenda impellit. Neque miseraris ipsum, quia talia audiens non erubescit, necessitas enim prævalet. Tu vero non modo non miseraris ; sed etiam traducis illum : Deoque jubente clam erogare, stas accedentem probris publice impetens, cum miserari illum oporteret. Nam si dare non vis, cur calamitosam et miseram animam accusas et atteris? Venit quasi ad portum ad manus tuas, cur fluctus excitas, et graviorem tempestatem efficis? Cur illiberalitatem damnas? Num venisset si talia se auditurum expectasset? Quod si id prævidens accessit, ideo par est et illum miserari, et tuam horrere inhumanitatem, quoniam ne quidem cum urgentem vides necessitatem, mansuetior evadis. Neque enim sufficere ipsi putas ad excusationem imprudentiæ, famis timorem : sed impudentiam arguis, qui forte sæpe impudentius egisti in rebus gravioribus. Nam hic certe impudentia veniam affert : nos vero sæpe supplicio digna facientes impudenter agimus; et cum hæc cogitantes, humiles esse oporteret, in miseros illos insurgimus, ac remedia petentibus vulnera adjicimus. Nam si dare non vis, cur cædis? si largiri non vis, cur probro afficis? Sed ille non vult alio modo discedere? Sic ergo fac ut ille Sapiens jussit : « Responde illi pacifice cum mansuetudine[1]. » Neque enim lubens sic impudenter agit. Nullus quippe est, nullus est homo, qui sine causa velit turpiter agere. Etiamsi enim quidam millies contradicant, nunquam adducar ut credam hominem in copia rerum viventem emendicare. Nemo itaque nos falsis rationibus decipiat. Sed etiamsi dicat Paulus : « Si quis laborare non velit, nec manducet[2] ; » illos certe Paulus alloquitur, non nos ; imo contra : « Bonum facien-

[1] Eccli. IV, 8.— [2] 2 Thess. III, 10.

» tes, non deficiatis[1]. » Sic domi nos facimus : cum duos videmus litigantes, seorsim singulos accipientes contraria cohortamur. Sic et Deus fecit et Moyses quoque. Nam Deo dicebat : « Si quidem dimittis peccatum ipsis, dimitte; sin » minus, et me dele[2]. » Illis vero præcepit, ut sese mutuo occiderent, atque cognatos omnes. Atqui illa contraria erant, et tamen ad eumdem finem ambo respiciebant. Rursum Deus Moysi, Judæis audientibus, dicebat : « Dimitte » me, et conteram populum. » Etiamsi enim non adessent, cum Deus hæc diceret, at hæc postea audituri erant, seorsim vero his contraria mandat. Et hæc Moyses postea coactus dixit, his verbis : « Numquid ego illos in utero » concepi, quia dicis mihi : Gesta eos sicut gestat nutrix » lactentem in sinu suo[3]. » Hæc in domibus quoque fieri solent, etenim sæpe pater pædagogum, qui filium corripuit, seorsum increpat his verbis : « Ne sis durus et asper; » puero autem contraria dicit : « Etiamsi te injuste corrigat, id tolera. » Ex contrariis unum et quidem utile paras. Ita quoque Paulus benevalentibus mendicis dicebat : « Si quis non » vult laborare, nec manducet, » ut ad opus illos excitaret. Iis vero, qui eleemosynam erogare possent : « Vos autem be- » nefacientes ne deficiatis[4], » ut illos ad eleemosynam impelleret. Sic cum eos, qui ex gentilibus ad fidem accesserant, in Epistola ad Romanos hortabatur ne contra Judæos altum saperent[5], oleastrum in medium adducit; alia his, alia illis dicere videtur. Ne itaque in crudelitatem incidamus; sed audiamus Paulum dicentem : « Bonum facien- » tes, ne deficiatis. » Audiamus Servatorem dicentem : « Omni petenti te da, » et, « Estote misericordes, sicut » Pater vester. » Etsi multa dixerit, nusquam tamen hoc posuit, nisi cum de misericordibus diceret. Nihil enim

[1] Galat. VI, 9.— [2] Exod. XXXII, 31.— [3] Num. XI, 12.— [4] 2 Thess. III, 12. — [5] Rom. XI, 17.

ita nos æquales Deo facit, ut si beneficia præstemus.

V. At nihil impudentius, inquies, paupere? Cur, quæso? an quia accurrens clamat? Vis ostendam nos illis multo esse impudentiores? In mentem revoca quoties, jejunii tempore, mensa vespere apposita, vocatoque ministro, si tardius incederet, omnia everti sti, calcibus obstrepens, convitia et probra efferens pro parva mora; etsi noris te, quamvis non statim, post tantillum tamen temporis large comesturum esse. Atqui te ipsum, qui pro re minima ferocis, non impudentem vocas, pauperem vero qui de re majori metuit et tremit (non enim moram, sed famem timet), vocas petulantem et impudentem, ac turpissima in illum omnia congeris? Annon id extremæ est impudentiæ? verum hæc non in mente versamus, ideoque illos molestos dicimus. Quod si quæ nostra sunt exploraremus, conferremusque cum factis eorum, non illos molestos arbitraremur esse. Noli igitur esse judex acerbus. Nam etiamsi omnibus peccatis vacuus esses, lex tamen Dei non tibi permisit aliorum facta sic accurate rimari. Nam si Pharisæus ille ideo periit[1], quam nos excusationem habebimus? si iis qui probe gestis ornantur non permittit aliorum facta acerbe explorare, multo minus peccatoribus. Ne itaque inhumani simus, ne inexorabiles, ne immites, ne feris pejores. Multos quippe novi in tantam processisse feritatem, ut ex desidia famelicos spernant, hæc proferentes verba: « Non adest servus, procul ædibus sumus: nullus trapezita mihi notus est. » O crudelitatem! Quod majus erat effecisti, et quod minus est non perficis? Ne tu plusculum incedas, ille fame perit. O contumeliam! o superbiam! Nam si decem stadiis eundum, an pigrum esse oportuit? Non cogitas ita majorem tibi mercedem parari? Nam cum largiris, doni tantum mercedem accipis; et cum iter suscipis, hujus quoque rei præmium

[1] Luc. XVIII.

repositum est. Nam ideo Patriarcham miramur, quia cum trecentos decem et octo vernas haberet, ad boves contendit, ac vitulum abripuit [1]. Nunc vero quidam tanto sunt fastu repleti, ut non vereantur hæc famulorum opera facere. An mea ipsa opera id facere jubes, inquies, annon videbor inanem gloriam aucupari? Atqui nunc per aliud vanæ gloriæ genus id facis, quia te pudet cum paupere loquentem videri. Verum nihil ac de re diligentius perquiram, da saltem vel per te, vel per alium, ne accuses pauperem, ne cædas, ne convitieris; remediis enim, non vulneribus, opus habet is qui accedit; misericordia, non gladio. Si quis, quæso, lapide percussus et in capite vulneratus, cæteris relictis, ad te accurreret sanguine perfusus, num altero illum lapide impetens aliud ipse adjiceres vulnus? Non credo utique, sed tentares illi remedium afferre. Cur ergo circa pauperes contrarium facis? An nescis quantum possit oratio vel levare vel dejicere? « Melior enim » est, inquit, sermo quam donum. [2] » Non tecum reputas te tibi ipsi gladium admovere, teque vulnus vehementius accipere, cum ille convitio affectus recesserit, dum silens ingemit, et multum lacrymatur? Nam a Deo ad te mittitur. Cogita ergo, dum illi convitiaris, ad quem transferas convitium. Cum Deus ad te mittat, et erogare jubeat, tu vero non modo non des, sed et accedentem convitiis impetas? Si porro absurditatis magnitudinem ignoras, in hominibus id considera, et tunc peccati gravitatem agnosces. Si enim servus tuus a te ad alium servum missus, de manu illius argentum tuum accepturus, non modo vacuis manibus rediret, sed etiam injuriis lacessitus, quid non contra convitiantem faceres? quas non exigeres pœnas, cum tu ipse contumelia affectus esses? Sic de Deo cogita : ipse namque est qui ad nos mittit pauperes, et quæ ipsius sunt largimur,

[1] Gen. XVIII, 7. — [2] Eccli. XVIII, 16.

si damus. Quod si, negato dono, etiam contumelia affectos remittamus, cogita quibus fulminibus dignum opus edimus. Hæc itaque omnia cogitantes, et linguam frenemus, et inhumanitatem pellamus, et manus ad eleemosynam extendamus : neque pecuniis solum, sed etiam verbis egenos consolemur; ut et contumeliarum pœnam fugiamus, et ex benedictione et eleemosyna regnum obtineamus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVI.

CAPUT XI.

Et factum est cum consummasset Jesus præcipiens duodecim Discipulis suis, transiit inde ut doceret et prædicaret in civitatibus eorum [1].

I. Quia enim illos miserat, sese subtraxit, locum dans illis et tempus faciendi quæ ipse præceperat. Neque enim, illo præsente et ægros curante, voluisset quispiam ad illos accedere. « Cum audisset autem Joannes in carcere opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, interrogabat eum dicens : Tu es qui venturus es, an alium expectamus [2] ? » Lucas vero dicit ipsos Joanni signa ejus nuntiasse, tunc-que Joannem illos misisse [3]. Verum id ne minimam quidem parit difficultatem; sed hoc solum considerandum tradit, nempe ipsos invidia contra illum flagrasse. Quod sequitur autem summopere inquirendum. Quidnam illud est hoc dictum : « Tu es qui venturus es, an alium expecta-

[1] Matth. xi, 1. — [2] Ibid. 2, 3. — [3] Luc. vii, 18.

»mus?» Nam qui vel ante signa illum noverat, qui a Spiritu didicerat, qui a Patre audierat, qui coram omnibus illum prædicaverat, nunc mittit ad illum ut discat si ipse sit, necne. Atqui si clare non nosti eumdem ipsum esse, quomodo teipsum fide dignum putas, qui de rebus tibi ignotis fers sententiam? Nam qui aliis testificatur, prior ipse debet fide dignus esse. Nonne tu dicebas: «Non sum »dignus solvere corrigiam calceamenti ejus[1]?» Nonne dicebas: «Non noveram ipsum, sed qui misit me baptizare »in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum des»cendentem, et manentem super eum, ille est qui baptizat »in Spiritu sancto[2]?» Annon vidisti Spiritum in specie columbæ? Annon audisti vocem? Nonne tu prohibebas illum dicens: «Ego opus habeo a te baptizari, et tu venis ad »me[3]?» Nonne discipulis dicebas: «Illum oportet cres»cere, me autem minui[4]?» Nonne populum omnem docebas ipsum baptizaturum illos esse in Spiritu sancto, et igne, et ipsum esse Agnum Dei qui tollit peccatum mundi[5]? Nonne ante hæc omnia signa et miracula illum prædicasti? Quomodo ergo nunc, cum notus est omnibus, ejusque fama undique volavit, postquam mortui surrexerunt, dæmones fugati sunt, et tanta signorum vis effulsit, mittis ut id ab illo ediscas! Quid porro factum est? Num omnia verba illa fraus erant, scena et fabula? Et quis mentis compos hæc diceret? Non dico de Joanne, qui in utero exultavit[6], qui ante partum ipsum prædicavit, deserti incola, qui angelicam duxit vitam; sed etiamsi quis esset ex vilissimis omnium, post tot testimonia et sua et aliorum nequaquam dubitaret. Unde palam est eum non dubitantem misisse, neque ignorantem interrogasse. Neque vero quispiam dicere possit ipsum id clare cognovisse, sed ob carcerem timidiorem

[1] Luc. III, 16. — [2] Joan. I, 33. — [3] Matth. III, 14. — [4] Joan. III, 30. — [5] Id. I, 29. — [6] Luc. I, 41.

evasisse. Neque enim se ex carcere liberandum expectabat, neque si expectasset, prodidisset veritatem, qui ad mortes plurimas paratus erat. Nisi enim ad necem paratus fuisset, ante populum certe, qui propheticum semper fundere sanguinem meditabatur, tantam animi virtutem demonstrasset, non crudelem illum tyrannum cum tanta libertate in media urbe et foro redarguisset, cum audientibus omnibus illum quasi puerulum increparet. Si vero timidior effectus erat, cur discipulos suos mittere non erubuit, in quorum præsentia tot tantaque testificatus erat ; sed per illos interrogat cum per alios oporteret? Quanquam clare noverat ipsos invidia in Christum esse permotos, et occasiones captare. Quomodo non ob judaïcam plebem pudore affectus fuisset, cui tanta prædicaverat? Quid vero hinc ipsi adminiculi futurum erat ut a vinculis liberaretur? Neque enim propter Christum illo conjectus fuerat, neque quod ejus virtutem prædicasset, sed quod de iniquo conjugio redarguisset. Annon insensati pueruli, vel amentis cujuspiam hominis sibi famam conciliasset? Quid ergo hic agitur? Quod enim hujusmodi dubitatio non sit Joannis, imo ne cujusvis hominis etiam insani, ex dictis jam liquet. Jam restat ut solutionem afferamus. Cur ergo interrogatum misit? Jesu Christo adversabantur discipuli Joannis, idque omnibus planum est, ac contra illum invidia semper commoti erant, quod manifestum est ex iis quæ magistro suo dicebant: nempe, « Qui tecum erat trans Jordanem, cui » tu testificatus es, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad » illum [1]. » Ac rursum quæstio facta est a Judæis et una a Joannis discipulis circa purificationem, atque ad illum rursus accedentes dicebant: « Cur nos et Pharisæi jejunamus » frequenter, Discipuli autem tui non jejunant [2]. »

II. Nondum enim sciebant quis esset Christus? sed Je-

[1] Matth. — [2] Id. IX, 14.

sum merum hominem suspicantes esse, Joannem vero plus quam hominem, ægre ferebant celebrem illum videntes esse, Joannem vero minui, sicut ipse prædixerat. Et hoc impediebat quominus accederent, invidia aditum dirimente. Donec autem Joannes cum illis erat, hortabatur illos frequenter et docebat, neque id illis persuadere poterat. Cum vero moriturus esset, majus ad aliud adhibet studium: timebat enim ne pravi dogmatis occasionem relinqueret, illique manerent a Christo disjuncti. Id ille curabat, et initio ipsi suos omnes adducebat. Cum autem illi non obtemperarent, moriturus demum majori est studio usus. Nam si dixisset: «Illum adite, qui melior me est,» non obtemperassent, quod sic illi essent addicti: putassent enim illum per modestiam ita loqui, et magis illi hæsissent. Si vero tacuisset, res eodem in statu mansura erat. Quid igitur facit? Expectat donec ab illis audiat ipsum miracula edere, neque tunc illos hortatur, neque omnes mittit, sed duos quos forte credebat esse ad credendum promptiores; ut interrogatio nulli esset suspicioni obnoxia, atque ex ipsis rebus ediscerent quantum interesset discriminis Jesum inter et Joannem. Aitque: «Abite et dicite: Tu es qui venturus » es, an alium expectamus?» Christus vero Joannis mentem intelligens, non dixit: «Ego sum;» nam id auditores offendisset, quanquam id consequenter dici poterat; sed id ex ipsis rebus ediscere sinit. Dicitur enim ibi ipsum, accedentibus illis, multos curasse. At enim quæ fuisset consequentia, interrogatum num ipse esset, nihil ad hoc respondere, sed statim ægros curare, nisi hoc facere voluisset quod dixi? Ex rebus enim ipsis testimonium credibilius, minusque suspicioni obnoxium putabat esse, quam verba. Cum sciret ergo, utpote Deus, qua mente illos misisset Joannes; statim sanavit cæcos, claudos, aliosque multos, non ut illum doceret; cur enim docuisset eum, qui jam credebat et

obtemperabat? sed ut discipulos ejus dubitantes institueret : ideo post multorum curationem ait : « Euntes renun»tiate Joanni quæ auditis et videtis. Cæci vident, claudi »ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui sus»citantur, pauperes evangelizantur : » et adjicit. « Et beatus »qui non fuerit scandalizatus in me [1] : » ostendens se cordis eorum secreta nosse. Si enim dixisset : « Ego sum, » id illos, ut jam dixi, offendisset, cogitassentque, etsi non dixissent, id quod Judæi illi dicebant : « Tu de te ipso testimonium »das. » Ideoque id ille non dicit, sed ex miraculis curat ut illi omnia ediscant, doctrinam tradens et clariorem et nulli suspicioni obnoxiam ; idcirco clam illos redarguens illud adjecit. Quia enim in ipso scandalizabantur, illorum morbum detexit, et illud conscientiæ tantum ipsorum reliquit, nemine advocato maledicti teste, ipsisque solis id secretibus : sicque melius attraxit illos dicens : « Beatus qui non fuerit »scandalizatus in me : » nam hæc dixit illos ipsos subindicans. Ne autem nostra tantum referamus, sed ut rei firmandæ iis adductis, quæ ab aliis dicta sunt, clariorem vobis ex dictorum comparatione veritatem tradamus, illa etiam hic proferre necesse est. Quid ergo dicunt nonnulli? Eam, quam retulimus, non veram esse causam : sed vere ignorasse Joannem, nec totum tamen ignorasse : et illum quidem esse Christum novisse, quod autem pro hominibus moriturus esset ignorasse : idcirco dixisse : « Tu es qui »venturus es? » id est, qui in infernum es descensurus. Verum id cum recta ratione pugnaret. Joannes quippe non hoc ignorabat. Hoc enim ante alia prædicabat cum diceret : « Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi [2]. » Agnum vero vocavit, crucem prædicans ; ac cum dicit : « Qui »tollit peccatum mundi, » idipsum significavit. Non alio enim quam per crucem modo id operatus est : quod etiam

[1] Matth. xi, 4-6. — [2] Joan. i, 29

Paulus dicebat : « Et chirographum, quod adversum nos » erat, de medio sustulit, affigens illud cruci [1]. » Cum autem dicebat : « In Spiritu baptizabit vos, » ea quæ post resurrectionem futura erant prænuntiabat. At reponunt illi: « Ipsum resurrecturum, et Spiritum sanctum daturum esse sciebat : » quod autem cruci affigendus esset ignorabat. Sed quomodo resurrecturus erat, qui nec passus nec crucifixus fuisset? Quomodo item major Prophetis erat, qui ea quæ Prophetæ sciebant ignorabat?

III. Quod enim plus quam Propheta esset, Christus testificatus est; quod autem Prophetæ passionem Christi noverint, nulli non notum est. Nam Esaïas dicit : « Sicut ovis » ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente » se sine voce [2]. » Etiamque ante hoc testimonium dixit : « Et erit radix Jesse, et qui exurget imperare gentibus, » in ipso gentes sperabunt [3]. » Deinde passionem, et quam inde gloriam consecutus sit exponens, adjicit : « Et erit re» quies ejus honor. » Nec solum quod cruci affigendus esset, sed quibuscum passurus esset dixit : « Et cum sceleratis re» putatus est [4]. » Neque hoc tantum, sed non sese defensurum esse prædixit : « Hic enim non aperiet os suum : » esseque injuste damnandum : « In humilitate judicium ejus » sublatum est [5]. » Ante illum quoque idipsum dicit David, et judicium describit. « Quare, inquit, fremuerunt gentes » et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, » et principes convenerant in unum adversus Dominum et » adversus Christum ejus [6]. » Alibi quoque ipsum crucis modum dicit : « Foderunt manus meas et pedes meos [7], » et accurate omnino quæ milites ausi sunt adjicit : « Divise» runt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt

[1] Colos. II, 14. — [2] Isaï. LIII, 7. — [3] Id. XI, 1 et 10. — [4] Id. LIII, 12. — [5] Ibid. 7 et 8. — [6] Psal. II, 1 et 2. — [7] Id. XXI, 17.

» sortem [1]. » Alibi autem oblatum acetum sic memorat : « Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt » me aceto [2]. » Prophetæ igitur ante tot annos judicium, condemnationem, crucis socios, vestimentorum divisionem, missam sortem, et longe plura alia memorant : neque enim necesse est omnia efferre, ne longius excurrat oratio ; hic vero illis omnibus major, hæc omnia ignorabat ? Qua ratione id stare possit ? Cur vero non dixit : « Tu » es qui venturus es in infernum ? » sed simpliciter, « Qui ven- » turus es ? » Sed quod magis risu dignum esset, dicunt hoc ideo dixisse Joannem, ut in inferos veniens prædicaret ; quibus opportune dicatur : « Fratres, nolite pueri effici » mente, sed malitia parvuli estote [3]. » Nam præsens vita bene agendi tempus est ; post mortem vero aderit judicium et supplicium. Nam ait : « In inferno quis confitebitur tibi [4] ? » Quomodo igitur contritæ sunt portæ æreæ, et vectes ferrei confracti sunt ? Per corpus ejus. Tunc enim primo apparuit corpus immortale, quod mortis tyrannidem solveret. Alioquin vero id ostendit mortis vim esse sublatam, non autem eorum qui ante adventum ejus mortui fuerant, soluta peccata fuisse. Quod si res non ita se habeat, et si omnes antea mortuos a gehenna liberavit, quomodo ait : « Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæ [5] ? » Illud enim eos puniendos esse declarat, remissius quidem, sed puniendos tamen. Etiamsi hic extremas dederint pœnas, attamen non hoc illos liberabit. Si autem hos non eruet, multo minus eos qui nihil hic passi sunt. Quid ergo, inquiunt, injuste-ne agitur cum iis, qui ante adventum ejus vixerunt ? Nequaquam. Poterant enim nec Christum confessi salutem consequi. Non enim hoc ab illis exigebatur, sed ne idola colerent, et ut verum Deum nossent. « Domi-

[1] Psal. xxi, 19. — [2] Id. lxviii, 22. — [3] 1 Cor. xiv, 20. — [4] Psal. vi, 6. — [5] Luc. x, 12.

» nus enim, inquit, Deus tuus, Dominus unus est[1]. » Ideoque Machabæi admirationi fuerunt, quia pro legis observatione passi sunt, ac tres pueri, multique alii apud Judæos qui vitam optime gesserunt, et hujus cognitionis modum servarunt, nihil aliud observare debuerunt. Tunc enim ad salutem sufficiebat, ut dixi, Deum tantum cognoscere, nunc vero id satis non est; sed Christum nosse oportet, ideirco dicebat : « Si non venissem et locutus fuissem eis, » peccatum non haberent; nunc autem excusationem non » habent de peccato suo[2]. » Sic et de vitæ instituto putandum. Tunc cædes homicidam perdebat, nunc vel irasci vetitum est. Tunc mœchari et cum aliena muliere commisceri, supplicium afferebat; nunc autem impudicis oculis respicere, idem affert. Sicut cognitio, sic et vita nunc sublimior requiritur. Itaque nihil prodromo opus erat. Alioquin si ii, qui post mortem credent, salutem consecuturi sunt, nullus unquam peribit. Omnes enim tunc pœnitentiam agent, et Christum adorabunt. Quod autem illud sit verum, audi Paulum dicentem : « Omnis lingua confite- » bitur, et omne genu flectetur cœlestium, terrestrium et » infernorum[3], » et, « Ultima inimica destructur mors[4]. » Sed nullam utilitatem ex hac subjectione consequentur; non enim ex bona voluntate proficiscitur, sed ex ipsa rerum, ut ita dicam, necessitate.

IV. Ne illa, quæso, inducamus anilia dogmata, et judaïcas fabulas. Audi enim quid de his dicat Paulus : « Qui- » cumque enim sine lege peccarunt, sine lege peribunt[5], » loquens de iis qui ante legem erant; « Et quicumque in lege » peccarunt, per legem judicabuntur[6]; » de iis omnibus loquens qui post Moysem fuerunt. Et, « Quoniam revelatur » ira Dei de cœlo in omnem impietatem et injustitiam ho-

[1] Deut. VI, 4. — [2] Joan. XV, 22. — [3] Philip. II, 10 et 11. — [4] 1 Cor. XV, 26. — [5] Rom. II, 12. — [6] Ibid.

» minum [1]. » Et, « Furor, ira, tribulatio, angustia in omnem » animam hominis operantis malum, Judæi primum et » Græci [2]. » Et certe mala innumera passi sunt gentiles; quod et exterorum historiæ significant, nec non Scripturæ nostræ. Quis enim Babyloniorum et Ægyptiorum tragœdias enarraverit? Quod enim ii, qui Christum non noverunt ante carnalem adventum, et qui ab idololatria resilientes Deum unum adoraruni, et probam duxere vitam, omnia bona consecuturi sint, audi quomodo dicat: « Gloria au- » tem, honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum » et gentili [3]. » Vides-ne bonorum præmia multa illis esse, et contra facientibus supplicia et pœnas? Ubi nunc sunt ii qui gehennam non credunt? Nam si ii qui ante Christi adventum fuerunt, qui ne nomen quidem gehennæ audierunt, neque resurrectionis, postquam hic pœnas dederunt, illic quoque punientur, quanto magis nos, qui in tanta sapientiæ doctrina educati sumus? Et qua ratione, inquies, illi qui nihil unquam de gehenna audierunt, in gehennam incident? Dicent enim: « Si gehennam comminatus esses, præ metu temperanter vixissemus. » Plane quidem: non enim vixissent ut nos vitam agimus qui quotidie sermones de gehenna audimus, neque tamen iis animum adhibemus. Præter hæc autem illud quoque dicendum est eum, qui præsentibus suppliciis non retinetur, multo minus illis coërcebitur. Rudiores enim crassioresque homines, præsentibus magis et instantibus solent ad resipiscentiam vocari, quam iis, quæ multo post tempore sunt eventura. Verum, inquies, nobis major imminet terror, ideoque cum illis non injuste actum est? Nequaquam se res ita habet. Primo enim non iidem labores nobis et illis propositi sunt; sed multo majores nobis. Illos autem qui majores suscipiunt labores, majori oportet auxilio frui. Auxilium autem

[1] Rom. I, 18. — [2] Id. II, 8, 9. — [3] Ibid. 10.

non modicum illud est, cum timor augetur. Si autem id plus quam illi habemus, quod futura noscamus, illi quoque id plus quam nos habent, quod pœnæ ingentes illis confestim inferantur. Verum aliud quidpiam dicunt plurimi. Ubi est, inquiunt, justitia Dei, quando si quis hic peccet, et hic et illic pœnas det? Vultis igitur ut dicta vestra in memoriam vobis revocem, ne ultra laborem nobis afferatis, sed ex vobis ipsis solutionem detis? Multos ex nostris audivi, si quando ediscerent homicidam aliquem in judicio plexum fuisse, cum indignatione dicentes : « Triginta vel pluribus cædibus, sceleratus ille, patratis, una tantum vice mortem subit. » Et ubinam justitia est? Vos ergo fatemini mortem unam non satis semper esse ad supplicium condignum : cur ergo nunc contraria decernitis ? Quia non de aliis, sed de vobis ipsis judicium fertis. Sic proprio amore impedimur, ne quid justum sit videamus. Idcirco cum de aliis judicamus, accuratissime rem indagamus; cum vero de nobis ipsis, tenebris involvimur : qui si causam nostram, ut alienam exploraremus, sincere et sine ulla acceptione calculum ferremus. Peccata quippe nostra non duabus vel tribus, sed mille mortibus digna sunt. Et ut alia omittam, recordemur quot et quanti mysteria indigne participamus? Illi vero qui sic participant, rei sunt corporis et sanguinis Christi. Itaque cum de homicida loqueris, cogita teipsum homicidam esse. Ille namque hominem occidit, tu vero mortis Domini reus es. Ille non mysteriorum particeps fuit ; nos vero sacra mensa fruimur. Quid de iis dicam, qui fratres suos mordent, devorant, multumque veneni effundunt? Quid de illo qui cibum pauperibus abripit? Nam si is qui eleemosynam non erogat id facit, multo magis ille qui aliena abripit. Quot furibus deteriores sunt avari ? quot homicidis et sepulcrorum effossoribus pejores sunt raptores? Quot reperiuntur qui, postquam spo-

liarunt, ad spoliatorum etiam sanguinem inhiant? Absit, inquies. Nunc dicis : «Absit ;» cum inimicum habebis, tum dic : «Absit,» ac dictorum recordare, et vitam tuam cum magna institue diligentia, ne Sodomorum mala nos excipiant ; ne Gomorrhæ mala patiamur ; ne Tyriorum et Sidoniorum pœnas demus ; imo potius ne Christum offendamus, quod omnium est gravissimum et terribilissimum. Nam si multis gehenna videtur terribilis esse, non finem faciam clamandi hoc esse gehennæ gravius ac terribilius. Et vos ita affectos esse rogo. Sic enim et a gehenna liberabimur, et Christi gloria fruemur, quam nos omnes assequi contingat, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVII.

CAPUT XI.

Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre ? arundinem a vento agitatam ? Sed quid existis videre ? hominem mollibus vestitum ? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre ? Prophetam ? Etiam dico vobis, et plus quam Prophetam [1].

1. Quæ ad discipulos Joannis spectabant recte ordinata sunt ; illique discesserunt, a signis quæ statim facta sunt, confirmati. Restabat demum, ut quæ ad populi opinionem pertinebant, curarentur. Illi quippe de magistro suo nihil supra dictorum suspicabantur. Turba vero populi, ex in-

[1] Matth. XI, 7-9.

terrogatione discipulorum Joannis, absurda multa suspicata est, quod nesciret qua mente ille discipulos misisset. Verisimileque est illos sic intra se ratiocinatos esse. « Qui tot tantaque testificatus erat, nunc mutatus dubitat, num hic, num alius venturus sit? Num qui hæc dicit dissidia cum Jesu movet? Num timidior ex carcere factus? Num temere priora dixerat? » Quia igitur verisimile erat ipsos talia multa suspicari, vide quomodo illorum infirmitatem corrigat, et has amoveat suspiciones. Euntibus enim illis, cœpit dicere turbis. Cur euntibus illis? Ne videretur adulari virum. Dum autem populi opinionem emendat, illius suspicionem non adducit in medium, sed solutionem tantum affert ratiociniorum, quæ illorum mentem turbabant, ostendens se omnium secreta cognoscere. Neque enim dicit sicut Judæis dicebat: « Quid cogitatis mala[1]? » Etiamsi enim cogitarent, non ex malignitate cogitabant, sed quod ea quæ dicebantur ignorarent. Ideo non acriter alloquitur illos, sed illorum mentem tantum corrigit, Joannemque defendit, probatque illum non a priore sententia deflexisse, nec mutatum fuisse. Neque enim est, inquit, homo levis vel volubilis, sed firmus, constans; nec talis, qui prodat ea quæ sibi concredita sunt. Hæc autem ita concinnat, ut non statim ex propria sententia, sed ex illorum testimonio procedat: non ex dictis tantum ipsorum, sed et ex operibus ostendens ipsos ejus constantiam testificatos esse. Propterea dicit: « Quid existis in desertum videre? » ac si diceret: « Cur, relictis urbibus, ædibusque, in desertum convenistis omnes? ut miserum quemdam et levem hominem videretis? Sed id contra rectam rationem esset. Neque enim ita arguitur ex illo tanto studio, quo in desertum accurristis: nec tantus populus, tot civitates cum tanto studio in desertum et ad Jordanem diffusæ essent, nisi mag-

[1] Matth. IX, 4.

num quemdam, admirandum et constantissimum virum vos visuros sperassetis. Neque enim calamum existis visum, a vento agitatum; nam leves homines, qui huc illuc circumferuntur, et modo hæc, modo illa dicunt, in nullaque re consistunt, calamo sunt similes.» Ac perpende quomodo, omni dimissa malitia, de hac sola nunc agat, quæ ipsos exagitabat, levitatis suspicione, quam amovere conatur. «Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? »Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.» Quod vero dicit, est hujusmodi: «A seipso ille non volubilis est: idque vos declarastis ex vestro erga illum studio. Neque illud dici possit, illum olim constantem ex deliciis, postea mollem effectum fuisse: nam apud homines quidam sic nascuntur; alii tales postea fiunt: exempli causa, alius natura sua iracundus est, alius ex longa ægritudine in hunc animi morbum incidit. Sic alii inconstantes et leves natura sua sunt, alii quod deliciis et voluptati indulserint, tales sunt effecti. At Joannes, inquit, non natura talis est: neque enim calamum existis videre, neque voluptati deditus eam quam habebat animi dotem amisit. Quod enim voluptati non serviat, id arguunt vestitus ejus, desertum, carcer. Nam si mollibus vestiri voluisset, non desertum coluisset, non carcerem, sed regiam. Licebat enim illi, si tacuisset, ingenti frui honore. Etenim quem Herodes vel redarguentem se et vinctum ita reverebatur, certe, si tacuisset, non plexurus erat. Cum ergo gestis suis firmitatis constantiæque suæ experimentum dederit, quomodo in tales suspiciones jure cadat?»

II. Postquam ergo et a loco, et a vestibus, et a concursu populi mores ejus descripsit, subjunxit postea: «Prophe»tam.» Cum dixisset enim: «Quid existis videre? Prophe»tam? Etiam dico vobis, et plus quam Prophetam,» addit: «Hic est enim de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum

» meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante » te [1]. » Cum prius Judæorum testimonium adduxisset, tunc Prophetam affert. Quinimo judaïcum calculum primo ponit, quod maximum est argumentum, quando inimicorum testimonium affertur; secundo, Joannis vitam; tertio, judicium suum; quarto, Prophetam, undique illorum ora claudens. Deinde ne dicerent : « Quid ergo si, talis cum esset, jam mutatus sit? » cætera adjecit, vestimenta, carcerem et postea prophetiam. Postea vero, cum dixisset illum Propheta majorem esse, ostendit in quo sit major. In quo ergo major est? Quod sit prope eum qui advenit. Nam ait : « Mittam Angelum meum ante faciem tuam; » id est, prope te. Quemadmodum enim apud reges, qui prope currum incedunt, aliis dignitate majores sunt; sic Joannes prope Christum advenientem incedere cernitur. Vide quomodo hinc ejus excellentiam declarat; neque hic gradum sistit, sed suam postea effert sententiam dicens : « Amen dico vo- » bis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne » Baptista [2] : » id est, non peperit mulier illo majorem. Sufficit hæc sententia; sed si vis ex rebus ipsis ediscere, considera illius mensam, victum, mentis sublimitatem. Nam sic vivebat ac si in cœlo fuisset, atque naturalibus superior necessitatibus, mirabilem quamdam carpebat viam, in hymnis et orationibus totum tempus transigens, cum mortalium nemine, sed cum solo Deo colloquia miscens. Neminem quippe conservorum noverat, non se conspiciendum præbebat, non lacte alebatur, non lecto, non tecto, non foro, non alia quapiam humana re fruebatur; et tamen mansuetus erat simul atque vehemens. Audi igitur cum quanta moderatione Discipulos alloquatur, cum quanta vi Judæos, cum quanta libertate regem. Ideoque dicebat Christus : « Non surrexit inter natos mulierum major Joan-

[1] Matth. xi, 10, et Malach. iii, 1. — [2] Matth. xi, 11.

» ne Baptista. » Sed ne laudum magnitudo aliquid erroris pareret, neve Judæi illum Christo præferrent, vide quomodo hoc accommodet. Nam sicut ex quibus Discipuli firmabantur, turbæ detrimentum accipiebant, levem illum esse putantes; sic ex quibus turbæ emendabantur, majus damnum accedebat, cum ex dictis majorem de illo quam de Christo sumebant opinionem. Illud ergo, nullam relinquens suspicionem, corrigit his verbis : « Qui autem minor » est in regno cœlorum, major est illo [1]. » Minor secundum ætatem, et secundum multorum opinionem : nam dicebant ipsum edacem esse et vini potatorem : et, « Nonne hic fabri » filius est [2] ? » atque ubique ipsum despiciebant. Quid igitur, inquies, comparatus cum Joanne major erat? Absit. Neque enim Joannes quando dicit: « Fortior me est, » id comparando dicit. Neque Paulus cum Moysem sic memorat : « Ampliori enim gloria hic, quam Moyses, dignatus est [3], » hæc comparate dicit. Et ipse cum ait : « Ecce plus quam » Salomon hic [4], » hæc non comparando dicit. Quod si concedamus illum hæc per comparationem dixisse, res ita ad audientium infirmitatem accommodata fuerit. In magna enim existimatione habebatur, illumque carcer insigniorem reddiderat, nec non libertas in arguendo rege, atque id libenter a multis sic accipiebatur. Etenim vetus quoque Scriptura solet errantium animos emendare, comparando ea quæ comparari non possunt ; ut quando dicitur : « Non » est similis tui in diis, Domine [5] ; » et rursum, « Non est Deus » sicut Deus noster. » Volunt autem quidam id de Apostolis dixisse Christum ; alii de Angelis ; sed male. Nam cum semel quidam a veritate aberrarint, solent in multos deduci errores. Qua enim consequentia id vel de Apostolis vel de Angelis dixisset? Alioquin vero si de Apostolis dixisset,

[1] Matth. xi, 11. — [2] Id. xiii, 55, et Marc. vi, 3. — [3] Hebr. iii, 3. — [4] Matth. xii, 42, et Luc. xi, 31. — [5] Psal. lxxxv, 8.

quid vetabat quominus nominaret? Cum autem de seipso dicit, jure personam celat ob eam, quæ obtinebat, opinionem; ac ne videretur magnum quidpiam de se dicere : id quod sæpe observat. Quid autem illud est, « In regno cœ- » lorum? » In spiritualibus, et in cœlestibus omnibus. Cum autem dicit : « Non surrexit inter natos mulierum major » Joanne, » distinguebat se a Joanne, et se subtrahebat comparationi.

III. Nam si ipse inter natos mulierum erat, at non sicut Joannes : neque enim homo tantum erat, nec sicut homo editus fuerat, sed stupendo quodam et mirabili partu. « A » diebus autem Joannis Baptistæ, inquit, usque nunc, reg- » num cœlorum vim patitur, et violenti rapiant illud [1]. » Et quo pacto, inquies, hæc præcedentibus cohærent? optime certe et admodum consequenter : etenim hinc illos ad credendum in se compellit et incitat, simulque illa quæ supra dicta sunt a Joanne comprobat. Nam si usque ad Joannem omnia completa sunt, « Ego sum qui venio : » nam ait : « Omnes Prophetæ et lex usque ad Joannem prophe- » taverunt [2]. » Non enim cessassent Prophetæ, nisi ego venissem. Nihil ergo ultra expectetis, nec alium speretis venturum. Quod ego sim palam est ex eo quod Prophetæ cessarint, et quod multi quotidie fidem in me rapiant : ita quippe clara est et manifesta, ut eam multi abripiant. Et quis, quæso, rapuit? Quotquot cum studio accesserunt. Aliud deinde indicium ponit dicens : « Si vultis recipere, » ipse est Helias qui venturus est [3]. Mittam enim, inquit, » vobis Heliam Thesbitem, qui convertat corda patris in » filios [4]. Hic est Helias, si attendatis diligenter. Nam mit- » tam, inquit, Angelum meum ante faciem tuam. » Recte dixit : « Si vultis recipere, » ostendens neminem violenter

[1] Matth. xi, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid. 14. — [4] Malach. iv, 5, 6.

cogi. Non cogo, inquit. Hoc autem dixit, gratam petens voluntatem, et ostendens hunc illum, et illum hunc esse. Ambo enim unum suscepere ministerium, et præcursores ambo fuerunt. Quapropter non simpliciter dixit: « Hic est Helias, » sed, « Si vultis recipere, hic est; » id est, si proba mente gestis attendatis. Neque hic stetit, sed ostendens intelligentia esse opus, huic dicto, « Hic est Helias qui ven- » turus est, » adjecit. « Qui habet aures audiendi, audiat [1]. » Tot ænigmata ponebat, ut ad interrogandum incitaret. Quod si ne sic quidem evigilabant, multo minus si clara et manifesta fuissent. Neque id dici possit non ausos fuisse interrogare, vel illum fuisse aditu difficilem. Nam qui illum de nullius pretii rebus interrogaverant tentaverantque, etsi sexcenties repulsam tulissent, neque cessarent, quomodo non illum de necessariis interrogassent, siquidem ediscere cupivissent? Si de legalibus interrogabant, quod præceptum primum esset, et de similibus, cum tamen nulla urgeret necessitas, quomodo cum talia diceret, de quibus respondere omnino debebat, non ejus mentem explorassent? cum maxime ad hoc hortari et trahere videretur? Nam cum dicebat: « Violenti rapiunt illud, » id illorum excitabat animum; et cum diceret: « Qui habet aures » audiendi, audiat, » idipsum faciebat. « Cui autem assimi- » labo generationem hanc, inquit? Similis est pueris seden- » tibus in foro et dicentibus: Tibia cecinimus vobis, et non » saltastis; lamentati sumus vobis, et non planxistis [2]. » Hæc rursus videntur a præcedentibus non pendere; sed ad eorum omnino seriem pertinent: etenim ad eamdem rei summam spectant, ut ostendatur Joannem ipsi consona fecisse, etiamsi quæ fiebant contraria viderentur: quod etiam de interrogatione dictum est: ostenditque nihil prætermissum fuisse eorum quæ ad salutem ipsorum conferre

[1] Matth. xi, 15. — [2] Ibid. 16, 17.

possent, quod de vinea dicebat Propheta : « Quid adhuc » faciam vineæ huic, quod non fecerim [1]? Cui enim, ait, » assimilabo generationem hanc? Similis est pueris seden- » tibus in foro, et dicentibus : Tibia cecinimus vobis, et non » saltastis : lamentati sumus, et non planxistis. Venit enim » Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt : Dæ- » monium habet. Venit Filius hominis manducans et bi- » bens, et dicunt : Ecce homo vorax et vini potator, publi- » canorum et peccatorum amicus [2]. » Hoc est, « Contraria ego et Joannes via incedimus, et idipsum facimus, ac si venatores, feram captu difficilem videntes, quæ per vias duas ad casses tendere possit, utramque viam singuli occupent, et alter per contrariam alteri viam impellat, ut in alterutrum omnino decidat. Respice enim universum genus humanum, quomodo jejunium soleat admirari, nec non vitam asperam et philosophicam. Ideo sic constituta res fuit, ut Joannes a prima ætate hoc vitæ genus duceret, ut quæ diceret, hinc fide digna essent. Et qua de causa, inquies, Christus non eamdem ingressus viam est? Imo vero ingressus est, quando per quadraginta dies jejunavit, et docens circuibat, non habens ubi caput reclinaret. Cæterum ille alio modo hoc fecit, ut inde lucrum fieri provideret. Nam idipsum erat, quod eamdem teneret viam, imo longe majus erat, quod is qui illa via incederet, testimonio suo ipsum celebraret. Alioquin vero Joannes nihil aliud quam vitæ asperitatem exhibebat. « Nullum enim signum fecit [3] : » Christus vero et signorum et miraculorum testimonium habuit. Joannem ergo relinquens a jejunio celebrari, ille contrariam viam tenuit, ad mensas ingrediens publicanorum, manducans et bibens.

IV. Interrogemus itaque Judæos. Bona-ne res est jejunium, et admiranda? Ergo oportuit Joanni credere, et il-

[1] Isaï. v, 4. — [2] Matth. xi, 18, 19. — [3] Joan, x, 41.

lum admittere, ejusque dictis parere. Sic enim illa verba vos ad Jesum adductura erant. An onerosa et dura res est jejunium? Ergo Jesu Christo obtemperandum erat, ipsique credere, qui contraria incedebat via. Per utramque viam in regnum intraturi eratis. At illi quasi fera immanis, utrumque male accipiebant. Nulla ergo culpa est eorum, quibus non creditum est, sed eorum tantum qui non crediderunt. Nemo enim contraria simul vituperet, ut neque laudet. Verbi gratia, qui virum hilarem ac remissum approbat, severum vel barbarum non approbabit : qui severum laudat, lætum non laudabit. Non potest enim et hæc et illa simul approbari sententia. Ideoque ait ille: « Tibia cecinimus vo» bis, et non saltastis; » hoc est, remissam exhibui vitam, et non obtemperastis, et « Lamentati sumus, et non plan» xistis, » id est, Joannes severam et gravem vitam amplexus est, et non attenditis. Non dixit : « Ego illam, ille hanc vitam duxit. » Sed quia utriusque una erat sententia, etsi studia contraria, ideo communia gesta dicit esse. Nam quod contrariam iniret viam, ex majore concordia factum est, quæ eumdem spectabat finem. Quam ergo deinceps defensionem habeatis? Ideo subjunxit : « Et justificata est » sapientia a filiis suis [1]; » hoc est, etiamsi vos non obtemperaveritis; at me ultra criminari non poteritis. Quod de Patre dicit Propheta, « Ut justificeris in sermonibus tuis [2]. » Deus enim etiamsi dum nostri curam gerit, nihil perficiat, sua tamen omnia implet; ita ut ne quidem umbram dubitationis impudentibus improbisque relinquat. Si vero exempla illa quibus utitur vilia sint et incomposita, ne mireris; nam ad auditorum infirmitatem sese aptabat. Siquidem et Ezechiel multa affert exempla illis opportuna, et Dei majestate indigna [3]. Verum et hoc etiam dignum est ipsius providentia. Considera porro illos etiam aliunde in contra-

[1] Matth. xi, 19. — [2] Psal. l, 6. — [3] Ezech. iv, et xvi.

rias circumferri sententias : nam cum Joannem dixissent dæmonium habere, non hic steterunt; sed hoc ipsum de Christo contrario modo vivente dixerunt : sic semper in sententias secum pugnantes deferebantur. Lucas vero cum his aliam quoque majorem affert eorum accusationem, dicens : « Publicani enim justificaverunt Deum suscipientes » baptisma Joannis [1]. » Tunc demum civitatibus exprobrat, cum justificata fuit sapientia, quando omnia impleta fuisse demonstravit. Quia enim id non persuasit illis, miseros illos prædicat; quod pejus est quam si perterrefaceret. Etenim et doctrinam adhibuit et miracula. Quia vero in eadem incredulitate manserunt, demum exprobrat. « Tunc enim, » ait, Jesus cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ » fuerant plurimæ virtutes ejus, quia pœnitentiam non egerant, dicens : Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaïda [2]. » Deinde ut discas eos non natura tales esse, nomen urbis illius ponit, unde quinque prodierant Apostoli. Nam Philippus et duo illa coryphæorum paria inde erant. « Quia si in Tyro » et Sidone, ait, factæ fuissent virtutes, quæ in vobis factæ » sunt, olim in sacco et cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis, Tyro et Sidoni remissius erit in » die judicii, quam vobis. Et tu Capharnaum, quæ usque ad » cœlum exaltata es, usque ad infernum descendes : quia » si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, » mansissent utique ad hanc diem. Verumtamen dico vobis, » quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam » tibi [3]. » Non sine causa Sodoma apponit, sed ut augeat accusationem. Magnum quippe nequitiæ argumentum est, cum non modo præsentibus, sed etiam iis qui olim fuerunt sceleratis deteriores esse videntur. Sic et alibi ipsos condemnat comparatione facta cum Ninivitis et cum regina

[1] Luc. VII, 29. — [2] Matth. XI, 20, 21. — [3] Luc. X, 13, 14, et Matth. XI, 21-24.

Austri : verum illic iis qui recte fecerunt, hic vero iis qui male egerunt ipsos comparat, quod longe gravius est. Hunc quoque damnandi modum novit Ezechiel; quare dixit Jeroselymæ : « Justificasti sorores tuas in omnibus peccatis » tuis [1]. » Sic ubique in Veteri Testamento in his versari solet. Neque hic finem dicendi facit; sed timorem auget dicens graviora passuros illos esse, quam Sodomitas et Tyrios; ita ipsos undique concitat, et cum miseros prædicat, et cum perterrefacit.

V. Hæc quoque nos audiamus. Neque enim incredulis tantum, sed etiam nobis gravius constituit supplicium, quam Sodomitis, nisi peregrinos ad nos venientes excipiamus, cum etiam pulverem excutere jusserit; ac jure merito. Illi namque etsi graviter peccarunt, at ante legem et gratiam lapsi sunt. Nos vero qui post tantam nobis exhibitam curam peccamus, qua erimus venia digni, qui tantum hospitum odium exhibemus, egenisque portas, et ante portas aures claudimus? Nec modo pauperibus, sed etiam ipsis Apostolis; ideoque pauperibus, quia Apostolis. Cum enim legitur Paulus, nec tu attendis : cum prædicat Joannes, et tu non audis; quandonam pauperem recipies, qui Apostolum non recipis? Ut itaque et his ædes, et illis aures perpetuo apertæ sint, sordem omnem ab auribus animæ expurgemus : sicut enim sordes et limus aures corporis; sic meretricia cantica, sæculares narrationes, debita, sermones de usura et mutuo, magis quam quævis sordes aures animæ obturant; imo non obturant modo, sed immundas reddunt. Nam qui ista narrant, fimum in aures vestras injiciunt. Ac quod Barbarus ille comminabatur dicens : « Co» medetis stercus vestrum [2], etc. » sic et isti non verbo, sed operibus eo vos deducunt, ut hæc sustineatis; imo et longe gravius. Etenim illa cantica his longe fœdiora sunt :

[1] Ezech. xvi, 51. — [2] 4 Reg. xviii, 27, et Isaï. xxxvi, 12.

quodque deterius est, non modo hæc moleste non fertis; sed etiam ridetis, cum oporteret execrari ac fugere. Quod si hæc abominabilia non sunt, descende in orchestram, imitare quod laudas; imo adi eum, qui hunc risum excitat. Verum id nunquam facere ausis. Cur ergo illi tantum tribuis honorem? Atqui Græcorum leges descriptæ, illos infames haberi volunt. Tu vero illos cum tota civitate recipis, quasi legatos et duces, omnesque evocas, ut finium in auribus accipiant. Ac servus quidem tuus, si quid turpe te audiente loquatur, mille plagas accipit; et si filius, si uxor, si quisquis alius hoc faciat, rem illam vocas contumeliam: si vero homines verberones, et abjecti te vocent, ut turpia verba audias, non modo non indignaris, sed etiam gaudes, laudas. Ecquid huic dementiæ par fuerit? Sed turpia hujuscemodi non loqueris? Ecquid hinc lucri? Imo vero unde liqueat te non loqui? si enim hæc nunquam proferres, non rideres audiens, neque tanto studio curreres ad vocem quæ te dedecore afficit. Dic enim mihi, gaudes-ne audiens blasphemias? annon exhorrescis, et aures obstruis? Ego certe id puto. Cur hoc? Quia tu nunquam blasphemas. Idipsum facito circa turpia illa verba. Et si vis nobis clare demonstrare te non gaudere dum turpia dicuntur, ne auditu quidem illa feras. Quandonam probus vir esse poteris, in hujusmodi turpibus audiendis enutritus? Quandonam castitatis sudores ferre poteris, sic paulatim diffluens ex risu, cantibus, et verbis obscœnis? Nam si vix anima, quæ ab his omnibus se puram servat, potest esse honesta et casta, quanto minus poterit quæ hæc audire solet? An nescitis nos ad nequitiam proniores esse? Cum autem hæc in artem et opus convertamus, quomodo fornacem illam effugere poterimus? Non audisti quid dicit Paulus: « Gaudete » in Domino [1]? » Non dixit: « In diabolo. »

[1] Philip. IV, 4.

VI. Quando igitur audire Paulum poteris? Quando in sensum venire peccatorum, qui ex spectaculo illo ebrius semper es? Quod enim huc veneris, non mirum nec magnum est; imo potius mirum est : huc enim et segniter et perfunctorie venis, illuc autem magno studio et animo accurris. Idque palam est ex iis quæ domum refers, cum inde recedis. Etenim lutum vobis illic infusum per verba, cantica, risum, singuli domum reportatis; imo non in domum tantum, sed in mentem vestram inducitis : et ab iis quæ abominatione digna non sunt, averteris; abominanda vero non odio habes, imo diligis. Multi certe a sepulcris redeuntes, sese abluunt, a theatris vero reversi non gemunt, non lacrymarum fontes effundunt; quanquam mortuus non sit immundus : peccatum vero tantam maculam aspergat, ut ne mille quidem fontibus possit ablui, sed solis lacrymis et confessionibus. Sed nemo maculam hujusce modi sentit. Quia enim ea quæ timenda essent non timemus, ea quæ timenda non sunt, metuimus. Quis autem ille strepitus? quis tumultus? qui satanici clamores, et diabolici habitus? Alius juvenis cum sit, comam retro reductam habet, et naturam ipsam effœminat aspectu, habitu, vestimentis, demum omnibus, formamque teneræ puellæ affectat. Alius vero quispiam senex, e contrario capillis novacula abrasis, renibus succinctus, postquam pudorem ante capillos succidit, stat ad alapas accipiendas et ad omnia dicenda faciendaque paratus. Mulieres autem, nudo capite, omni misso rubore, stant populum alloquentes, tantum videlicet impudentiæ studium habentes, omnemque petulantiam et lasciviam in auditorum animos infundentes. Illud unum studium habent, ut castitatem omnem radicitus evellant, naturam deturpent, mali dæmonis concupiscentiam expleant. Nam hic verba obscœna, habitus ridiculi, tonsura similis, incessus, vestitus, vox, membrorum mollities, ocu-

lorum inversiones, fistulæ, tibiæ, dramata, argumenta, omniaque demum extremæ lasciviæ plena sunt. Quandonam, quæso, resipisces, cum tantum tibi fornicationis poculum infundat diabolus, totque intemperantiæ calices misceat? Nam illic fornicationes, adulteria, mulieres prostitutæ, viri muliebria patientes, juvenes molles, omnia iniquitate plena, portentosis rebus ac prodigiis. Non ergo de hujusmodi rebus ridere sedentes oporteret, sed lacrymari et ingemiscere. Quid igitur? an orchestram claudemus, inquies, et jussu tuo omnia subvertentur? Nunc certe omnia subversa sunt : undenam ii qui nuptiis insidias parant? Nonne ab hac scena? unde ii qui thalamos effodiunt? nonne ab orchestra illa? Nonne hinc viri uxoribus sunt molesti? Nonne hinc a viris uxores despiciuntur? Nonne hinc mœchi plurimi? Itaque qui omnia subvertit, is est qui ad theatrum pergit, quique gravem tyrannidem inducit. Nequaquam, inquies, sed id bono legum ordine statutum est. Nam mulieres abripere, pueros contumeliis adhibere, domos evertere, hæc ad illos spectant qui arces occupant. Et quis mœchus, inquies, ex his spectaculis factus est? Imo quis non mœchus? Si liceret nominatim efferre, dicere possim quot viros hæc ab uxoribus sequestrarint, et quot captivos meretrices illæ ceperint, quorum alios a conjugali lecto abduxerunt, alios ne uxores ducerent effecerunt. Quid igitur, quæso, leges-ne omnes evertemus? Quinimo theatris eversis legum transgressiones evertimus. Nam qui civitates pessumdant, ex horum numero sunt. Hinc seditiones et perturbationes. Nam qui in his ludis aluntur, quique vocem ventris causa vendunt, quorum opus officiumque est clamare, et quidvis absurdum facere; hi maxime sunt qui populos concitant, qui tumultus in urbibus faciunt. Juventus enim otiosa, in hisce malis educata, fera quavis acrior efficitur.

VII. Undenam, quæso, præstigiatores? nonne inde proficiscuntur, ut populum vacantem temere inflamment, idque faciant ut ex tumultibus saltatores bonis fruantur, et meretrices honestis mulieribus impedimento sint? In tantum enim maleficii genus perveniunt, ut mortuorum ossa movere non dubitent. Nonne hæc inde ideo oriuntur, quod ad illum diaboli chorum sumptus innumeros consumere cogantur? Lascivia autem unde, nec non mala innumera? Vides-ne te esse qui vitam humanam evertis, dum ad hæc pertrahis? Ego vero rem destruendam censeo. Tollamus ergo orchestram, inquies. Utinam tolli posset; imo vero si vultis, quod ad nostram partem attinet, jam sublata et subversa est. Attamen non hoc jubeo : stantem illam non frequentatam reddite, quæ major laus esset, quam diruere. Si non alios, barbaros saltem imitamini, qui hujusmodi spectaculi turpitudine carent. Quæ nobis igitur deinceps excusatio erit, cum nos cœlorum cives, Cherubinorum choro ascripti, Angelorum consortes, barbaris hac in re pejores simus, cum liceat sexcentas alias his majores voluptates reperire? Si vis enim animum recreare, vade ad pomaria, ad fluvium, ad stagna : hortos contemplare, cicadas audi canentes; Martyrum sepulcra frequenta, ubi corporis valetudo, animæ utilitas, nihilque damni; nulla post factum pœnitentia, ut post illa spectacula. Uxorem habes et filios : quæ voluptas huic par est? Habes domum et amicos : hæc jucunda, et cum temperantia magnum lucrum pariunt. Quid enim, quæso, filiis jucundius? quid uxore dulcius iis qui continere volunt? Fertur barbarorum dictum philosophia plenum. Nam de theatris illis iniquis, et de importuna illa voluptate audientes dicebant : « Romani ac si filios et uxores non haberent, has excogitavere voluptates : » quibus ostendunt nihil dulcius esse filiis et uxore, si quis honeste vivere velit. Quid ergo si ostendam, in

quies, nihil damni ex hac frequentia emergere? Certe vel hoc ipsum damnum est, sine causa ac temere tempus insumere, et aliis offendiculo esse. Nam si tu damnum non patiaris, alium hujus spectaculi studiosiorem reddis. Quomodo autem damnum non patiaris, qui præbes his spectaculis occasionem? Nam præstigiator, corruptus puer, fornicaria mulier, omnesque illi diabolici chori, in caput tuum causam spectaculorum regerunt. Quemadmodum enim si spectatores non essent, nec essent qui ludos hujusmodi exhiberent; sic quia spectatores sunt, et ipsi gestorum ignem partiuntur. Itaque licet sine castitatis dispendio id ageres, id quod certe fieri nequit, aliorum tamen perniciei graves dabis pœnas; sive spectantium, sive spectacula edentium: atque ad castitatem servandam majus lucrum fecisses, si illo non venisses. Si enim castus nunc es, multo castior esses si spectacula illa vitasses. Ne itaque inutiliter contendamus, neque inutiles defensiones excogitemus. Una defensio et excusatio est si fugiamus fornacem babylonicam, si procul ab Ægyptia meretrice degamus, etiamsi nudos oporteat ab illa effugere. Ita enim et multa fruemur voluptate, conscientia nos non accusante, præsentem vitam caste agemus, futuraque bona consequemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXVIII.

CAPUT XI.

In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quia sic fuit placitum ante te [1].

1. Vide [2] quot quantisque modis illos ad fidem deducat : primo per Joannis laudes; nam cum ostenderit eum magnum mirabilemque esse, ejus dicta et facta fide digna esse probavit, per quæ illos ad sui cognitionem attraxit; secundo, quod dixerit : « Regnum cœlorum vim patitur, et » violenti rapiunt illud [3]. » Hoc enim incitantis et impellentis est. Tertio, quod demonstraverit Prophetarum dicta omnia completa esse : nam hinc declaratur ipsum ab illis fuisse prænuntiatum. Quarto, quod ostenderit omnia ab se facta esse quæ fieri oportebat, quando et puerorum parabolam memoravit. Quinto, cum incredulis exprobravit, terroribus atque minis additis. Sexto, cum pro credentibus gratias agit : nam illud, « Confiteor tibi, » hic significat, « Gratias ago tibi : Gratias ago, inquit, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus. « Quid igitur? an de pernicie gaudet, et quod illi hæc noverint? Minime. Sed hæc est salutis via optima, ut qui respuunt, et nolunt ea quæ dicuntur suscipere, nullo pacto cogantur. Ut quia vocati non meliores facti sunt, sed reciderunt et contempserunt,

[1] Matth. xi, 25, 26. — [2] Vide D. Guillon, tom. xv, pag. 399-407. — [3] Matth. xi, 12.

quod se rejectos videant, in horum desiderium adducantur. Ita enim ii qui animum adhiberent, studiosiores futuri erant. Nam quod ea ipsis revelentur, id jure gaudium pariat; quod vero abscondantur illis, non gaudio sed lacrymis dignum est. Illud vero facit dum lacrymatur miserans civitatem. Non igitur ideo gaudet, sed quod ea quæ sapientes non noverunt, ipsi noverint, ut cum dicit Paulus : « Gratias ago Deo, quoniam fuistis servi peccati : obedis» tis autem ex corde in quam traditi estis formam doc» trinæ [1]. » Non ergo Paulus propterea gaudet, quod essent servi peccati; sed quod tales cum essent, tot bona tandem sint consecuti. Sapientes autem hic vocat Scribas et Pharisæos. Hæc porro dicit ut Discipulos alacriores reddat, et ostendat quanta consecuti sint piscatores, a quibus illi omnes exciderunt. Cum vero sapientes vocat illos, non de vera et laudabili sapientia loquitur, sed de illa quam videbantur ex gravitate consecuti. Idcirco non dixit : « Revelasti stul» tis, » sed « Parvulis, sinceris scilicet ac simplicibus : » ostenditque illos non solum quod digni non essent, sed jure etiam hæc non esse adeptos. Nosque per omnia docet, ut a superbia fugiamus, sed simplicitatem sectemur. Ideo Paulus hæc pluribus amplificat, ita scribens : « Si quis in » vobis videtur in hoc sæculo sapiens esse, is fiat stultus, » ut sapiens efficiatur [2]. » Sic enim gratia Dei demonstratur. Cur autem Patri gratias agit, cum hoc ipse fecerit? Ut alibi Deum precatur, magnam suam erga nos charitatem declarans, sic et hoc loco facit : nam illud magnæ charitatis est indicium, et ostendit illos non a seipso solum, sed etiam a Patre excidisse. Nam quod dixit Discipulis : « Nolite » sanctum dare canibus [3], » id jam prius ille fecerat. Deinde per hæc ostendit et suam et Patris voluntatem; suam, quod gratias agat et gaudeat de re gesta; Patris vero, ut

[1] Rom. VI, 17. — [2] 1 Cor. III, 18. — [3] Matth. VII, 6.

ostendat illum non rogatum hoc fecisse, sed sponte sua eo animum appulisse; nam ait : « Sic fuit placitum ante te; » id est, ita placuit. Cur autem illis abscondita fuerint, audi Paulum dicentem : « Quoniam quærentes propriam justi- » tiam statuere, justitiæ Dei subjecti non fuerunt [1]. » Perpende igitur quo affectu fuisse Discipulos verisimile est, hæc audientes, quod nempe illa quæ sapientes non noverant, ipsi noverint, noverintque parvuli manentes, Deoque revelante. Lucas vero dicit in illa hora, qua venerunt Septuaginta nuntiantes illa de dæmonibus [2], tunc exultavisse et illa dixisse, quæ ut studiosiores illos reddebant, ita ad moderationem disponebant. Quia enim verisimile erat illos altum sapere, quod dæmones pellerent, hinc illos reprimit. Revelatio enim erat illud quod factum fuerat, non studii fructus.

II. Ideoque Scribæ et sapientes qui se putabant ex seipsis prudentes esse, ob tumorem proprium exciderunt. » Si itaque id illis ideo absconditum est, timete, inquit, et parvuli manete. » Id enim effecit ut revelatione fruceremini, ut ex contrario vitio hac illi privati sunt. Nam cum dicit : « Revelasti, » non totum ex Deo esse asserit, sed sicut cum Paulus dicit : « Tradidit eos in reprobrum sensum, et excæcavit intelligen- » tiam eorum [3], » non illum hæc omnia fecisse significat, sed illos qui causam præbuerunt. Ita et hic illud ait, « Revelasti. » Quia enim dixit : « Confiteor tibi, quia abscondisti illis, et » revelasti ea parvulis [4], » ne putes ipsum hac virtute privatum, cum illud efficere non posset, sic gratias agere, adjicit : « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo [5]. » Ad eos vero qui lætabantur quod dæmones sibi parerent, « Quid miramini, inquit, si dæmones vobis cedant? Omnia mea sunt, omnia mihi tradita sunt. Cum autem audieris : « Mihi

[1] Rom. x, 3. — [2] Luc. x, 17. — [3] Rom. i, 28. — [4] Matth. xi, 25. — [5] Ibid. 27.

tradita sunt, nihil humanum suspiceris. » Ne enim duos non genitos deos existimes, hanc ponit dictionem. Nam quod simul genitus et omnium dominus sit, sæpe alibi significat. Majus quidpiam deinde dicit, mentemque tuam aperit : « Et nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem » quis novit, nisi Filius [1]. » Videtur autem iis, qui rem ignorant, hæc non hærere superioribus : at multa est inter hæc consonantia. Quia enim dixerat : « Omnia mihi tradita sunt » a Patre meo, » subjungit : « Ecquid mirum si omnium sim dominus, cum aliud majus habeam, quod Patrem cognoscam, et ejusdem cum eo substantiæ sim ? » Etenim hoc occultius significat ex eo quod solus ipsum cognoscat. Cum enim dicit : « Nemo novit Patrem nisi Filius, » hoc significat. Et vide quandonam hæc dicat, cum nempe per opera ejus potentiam clare demonstratam haberent, cum non modo ipsum miracula patrantem vidissent, sed ipsi quoque in nomine ipsius tanta edere potuissent. Deinde quia dixerat : « Revelasti ea parvulis; » ostendit hoc etiam ad se pertinere; nam ait : « Nemo novit Patrem nisi Filius, et » cui voluerit Filius revelare. » Non cui præceperit, nec cui mandaverit. Quod si Patrem revelat, et seipsum quoque. Verum illud quidem quasi in confesso sit relinquit, hoc vero posuit, atque ubique dicit, ut cum ait : « Nemo po- » test venire ad Patrem, nisi per me [2]. » Per hæc autem aliud quoque constituit, quod ejusdem cum illo sit voluntatis ac sententiæ. Tantum abest, inquit, ut cum illo pugnem, ut non possit quis ad illum venire, nisi per me. Quia enim id maxime illis offendiculo erat, quod videretur Deo adversarius esse; id per omnia confutat, nec minus hoc curabat quam signa edere; imo majus ea in re studium impendebat. Cum porro dicit : « Neque Patrem quis novit, » nisi Filius, » non indicat illum omnes ignorare, sed ne-

[1] Matth. xi, 27. — [2] Joan. xiv, 6.

minem illam habere, quam ipse haberet, notitiam : quod etiam de Filio dicendum. Neque enim de ignoto, et a nemine cognito Deo hæc dicebat, ut Marcion asserit, sed accuratam hic subindicat cognitionem : nam ne Filium quidem cognoscimus ut nosse oportet : et hoc ipsum Paulus sic declarabat : « Ex parte cognoscimus, et ex parte pro» phetamus [1]. » Deinde cum per ea quæ dixerat ipsis desiderium indidisset, suamque ineffabilem potentiam demonstrasset, tunc vocavit illos dicens : « Venite ad me » omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam » vos [2]. » Non hic et ille, sed omnes qui in sollicitudine, in tristitia, in peccatis estis. Venite, non ut pœnas expetam, sed ut peccata solvam; venite, non quod gloria vestra egeam, sed quod salutem vestram sitiam. « Ego, inquit, re» ficiam vos. » Non ait : « Salvos faciam; » sed quod multo magis est, « In omni quiete constituam. « Tollite jugum meum » super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, » et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim » meum suave est, et onus meum leve [3]. » Ne timeatis, inquit, cum jugum auditis, suave quippe est; ne formidetis quia dixi : « Onus, » leve quippe est. Et quomodo supra dixit : « Angusta est porta, et arcta via [4]? » Nempe si segnis sis, si remissus, ut si supra dicta perfeceris, leve erit onus; idcirco nunc illud hujusmodi esse dixit. Quomodo autem id perficitur? Si humilis fueris, mansuetus et modestus. Hæc quippe virtus mater est omnis philosophiæ. Quapropter leges divinas efferens, hinc incipit. Hic quoque rursum idipsum facit, magnamque ponit mercedem. « Non tantum enim, inquit, alteri utilis eris, sed ante omnes tibi requiem paras. Invenietis enim requiem animabus vestris. » Ante futura jam hic tibi dat mercedem, et bravium nunc præ-

[1] 1 Cor. XIII, 12. — [2] Matth. XI, 28. — [3] Ibid. 29, 30, et 1 Joan. V, 3. — [4] Matth. VII, 14.

bet : atque hinc et quod seipsum det in exemplum, sermonem reddit acceptiorem.

III. Quid enim times, inquit, ne minor habearis si sis humilis? Me respice et mea omnia a me discito, et tunc clare scies quantum sit bonum. Vides-ne quomodo omni ex parte ipsos inducat ad humilitatem? A quibus ipse fecit; « Discite, inquit, a me quia mitis sum; » ab iis quæ ipsi lucraturi sunt : nam, « Invenietis, inquit, requiem animabus » vestris; » ab iis quæ ipsis largitur, « Reficiam vos, » inquit; ab eo quod onus leve effecerit. « Jugum enim meum » suave est, et onus meum leve. » Ita et Paulus suadet dicens : « Momentaneum et leve tribulationis, mire et supra » modum æternum gloriæ pondus operatur [1]. » Et quomodo leve est onus, inquies, cum dicat : « Nisi quis odio habue- » rit patrem et matrem, et qui non tollit crucem suam et » sequitur me, non est me dignus, » et, « Qui non renun- » tiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse disci- » pulus [2]. » Cum jubeat ipsam quoque animam odio habere? Te Paulus doceat dicens : « Quis nos separabit a charitate » Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? » an nuditas? an periculum? an gladius [3]? » Et, « Non sunt » condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, » quæ revelabitur in nobis [4]. » Doceant te qui a consessu Judæorum post mille verbera redibant gaudentes, quia digni habiti fuerant pro nomine Christi contumeliam pati. Quod si adhuc times et formidas, jugum et onus audiens, non a natura rei timor oritur, sed a tua segnitie; ita ut si sis paratus et diligens, omnia tibi facilia et levia futura sint. Quapropter et Christus ostendens nobis esse laborandum, non suavia tantum posuit, neque onerosa solum, sed utraque. Nam et jugum posuit, et suave illud vocavit,

[1] 1 Cor. IV, 17. — [2] Luc. XIV, 26 et 33. — [3] Rom. VIII, 35. — [4] Ibid. 18.

et onus nominavit, addiditque leve; ne illa ut laboriosa fugias, neve ut admodum facilia despicias. Quod si post hæc omnia difficilis virtus esse tibi videtur, cogita difficiliorem esse nequitiam, quod ipsum subindicans, non primo dixit : « Tollite jugum meum, » sed præmisit, « Venite qui » laboratis et onerati estis, » declarans peccatum labori esse obnoxium, et onus esse grave ac gestatu difficile. Neque enim laborantes solum dixit, sed etiam oneratos. Hoc etiam Propheta dicebat, ejus naturam describens : « Sicut » onus grave gravatæ sunt super me [1]. » Illud quoque describens Zacharias, ait ipsum plumbi talentum esse [2]. Idipsumque experientia declarat. Nihil enim ita aggravat animam, ita mentem excæcat ac deprimit, ut conscientia peccati. Nihil illam voluntatem ita sublimem efficit, ut justitiæ ac virtutis possessio. Animum, quæso, adhibe. Quid onerosius, quam nihil possidere, vertere aliam maxillam, percutienti non vicem reddere, mori violenta morte? Attamen si philosophemur, hæc omnia levia et facilia sunt, voluptatemque pariunt. Sed ne turbemini, eorum singula exploremus et tractemus, et si vultis, primo id quod plurimis laboriosum esse videtur. Utrum, quæso te, grave et laboriosum videtur, unum ventrem curare, an mille sollicitudinibus involvi? Uno vestimento indui hominem, et nihil ultra quærere, an multa intus habentem die noctequc cruciari, in eorum custodia timentem, trementem, anxium, ne a tineis corrodantur, neu servus cum illis aufugiat? Verum quantalibet dixero, tale nihil, quale rerum experientia, depingere valeam. Quare vellem adesse quemdam eorum, qui summum philosophiæ apicem attigerunt, et tunc clare rei voluptatem perciperes. Et nemo eorum qui paupertatem amant, divitias etiam oblatas acciperet. Et hi, inquies, an pauperes unquam fieri vellent, et

[1] Psal. xxxvii, 4. — [2] Zach. v, 7.

possessionum curam abjicere (9)? Et quid hoc est? Argumentum certe stultitiæ et gravissimi morbi, nec rei jucunditatem declarans.

IV. Cujus rei nobis testes fuerint ii, qui quotidie de his sollicitudinibus lamentantur, et vitam hujusmodi non vitalem esse putant. At illi non tales sunt, sed rident, exultant, nec minus de paupertate, quam reges de diademate gloriantur. Rursum maxillam percutienti offerre, quam percutere, levius et jucundius est, si attendas; nam illinc initium lælli, hinc ejus solutio provenit: et illo quidem modo alterius rogum accendisti, hoc autem, flammam tuam extinxisti. Quod autem non uri dulcius sit, quam uri, nemini non notum est. Quod si res in corporeis ita se habeat, multo magis in iis quæ ad animam spectant. Quid autem levius est, pugnare an coronari? pugilatum exercere, an bravium tenere? fluctibus obsistere, an in portu solvere? Certe etiam mori melius est, quam vivere. Mors enim ex fluctibus et ex periculis educit; vita vero in periculis constituit, et obnoxium reddit mille insidiis et necessitatibus, ob quas ingratam vitam existimes. Quod si dictis non credas, audi eos qui certaminum tempore viderunt vultus martyrum, quomodo, dum flagellarentur et cæderentur, læti et hilares erant, magisque gaudebant et lætabantur in sartaginem immissi, quam ii qui in rosario reclinantur. Ideoque Paulus violenta morte vitam clausurus et abscessurus, dicebat: « Gaudeo et congaudeo vobis omnibus, et vos pariter gaudete et congaudete mihi[1]. » Vides quanta cum animi celsitudine totum orbem ad gaudii sui consortium vocet? tantum esse bonum hinc discedere putabat; ita optabilem mortem illam terribilem, ita amabilem et desiderandam. Sed quod virtutis jugum sit dulce ac leve, multa alia declarant. Demum, si placet, peccati onera videamus. Avaros

[1] Philip. II, 17.

itaque in medium adducamus, illos nempe qui impudentes fœnora tractant et retractant. Quid ergo onerosius tali negotiatione fuerit? quot dolores, quot sollicitudines, quot scopuli, quot pericula, quot insidiæ et bella quotidie ex hoc lucro oriuntur? quot turbæ et tumultus? Quemadmodum enim mare nunquam sine fluctibus videas; sic nec hujusmodi animum sine cura mœrore, timore ac perturbatione; sed priora a sequentibus excipiuntur, hæc ab aliis, quibus nondum sedatis, alia insurgunt. Vis-ne contumeliosi et iracundi animum dispicere? Quid hujusmodi cruciatu pejus? quid acrius intestinis vulneribus? quid ferventius fornace illa semper ardente, et flamma illa quæ nunquam extinguitur? Si ad illos te convertas, qui corporum formas depereunt et præsenti vitæ addicti sunt, quid hac servitute gravius? Caïni vitam illi ducunt, in timore tremoreque perpetuo degunt, et si qui ex amatis moriantur, magis quam propinqui et cognati illorum obitum lugent. Quid porro turbulentius ferociusque superbis? « Discite, inquit, a me quia mitis sum » et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. » Omnium quippe bonorum mater est clementia. Ne itaque timeas, neque resilias a jugo illo, quo ab his omnibus eripieris; sed illud alacriter subeas, et ejus voluptatem tunc experieris. Neque enim cervicem tuam atteret; sed ideo impositum est, ut bonus servetur ordo, ut te concinne incedere doceat, et ad regiam viam ducat, atque a præcipitiis hinc et inde positis liberet, ut angustam viam facile emetiaris. Quoniam igitur tot tantaque bona subministrat, tantam securitatem, tantam lætitiam, toto animo, totoque studio hoc jugum trahamus; ut et hic inveniamus requiem animabus nostris, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIX.

CAPUT XII.

In illo tempore, abiit Jesus sabbato per sata : Discipuli autem ejus esurientes, cœperunt vellere spicas et manducare. Pharisæi autem videntes dixerunt ei : Ecce Discipuli tui faciunt quod non licet facere in sabbato. Dixit autem eis : Non legistis quid fecerit David cum esurivit ipse et qui cum illo erant, quomodo ingressus est in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei comedere, neque iis qui cum illo erant, sed solis sacerdotibus [1].

I. Lucas vero ait in sabbato secundo primo [2]. Quid autem est secundum primum? Quando duplices feriæ erant, et sabbati Domini, et alterius festi succedentis. Sabbatum enim quaslibet ferias et quietem appellabant. Et cur illuc eos duxit, qui omnia præsciebat, nisi voluisset solvi sabbatum? Volebat quidem, sed non sine causa; ideoque nunquam sine causa solvit ipsum, sed ex occasione quadam congruenti, ut et legem abrogaret, et illi non offenderentur. Est etiam cum illud solvit, nulla oblata occasione; ut cum oculos cæci luto inunxit; et cum dicit : « Pater meus » usque modo operatur, et ego operor [3]. » Illud vero facit tum ut hoc modo glorificet Patrem suum, tum ut illa ratione imbecillitati consulat Judæorum. Id quod etiam hoc loco facit, naturæ necessitatem obtendens : quanquam eorum quæ peccata esse in confesso est, nulla possit esse de-

[1] Matth. XII, 1-4. — [2] Luc. VI, 1. — [3] Joan. V, 17.

sensio. Neque enim homicida iram in excusationem obtendere possit, neque mœchus concupiscentiam, neque aliam quamvis causam. Hic vero cum famem objecit, omni illos crimine liberavit. Tu vero mihi hic Discipulos mirare, sic egentes et nullam corporearum rerum curam habentes; sed ita perfunctiore mensam apparantes, ut fame plerumque premerentur, nec tamen sic discederent. Nisi enim fames illos admodum invasisset, non id utique facturi erant. Quid igitur Pharisæi? Id videntes dixerunt ei : « Ecce Discipuli » tui faciunt quod non licet facere in sabbato. » Hic porro non admodum vehementes sunt, etsi id res exigere videretur; attamen non admodum incensi sunt, sed simpliciter accusant. Cum autem manum aridam extendit et sanavit, tunc ita efferati sunt, ut etiam de nece ipsi inferenda deliberarent. Ubi enim nihil mirum agitur, quietiores sunt; ubi vero quosdam vident morbo levatos, ferociunt atque turbantur, omniumque sunt molestissimi : ita hominum saluti invident. Quo pacto autem Jesus illorum defensionem suscipit? « Non legistis, ait, quid fecerit David in templo [1], » quando esurivit ipse et qui cum eo erant, quomodo intra» verit in domum Dei, et panes propositionis comederit, » quos non licebat ei comedere, neque iis qui cum eo erant, » nisi solis sacerdotibus? » Nam cum pro Discipulis causam dicit, Davidem in medium adducit; quando autem pro seipso, Patrem memorat. Ac vide quam acriter, « Non le» gistis, inquit, quid fecerit David? » Magna quippe erat Prophetæ hujus existimatio; ita ut postea Petrus, cum apud Judæos sese defenderet, ita diceret : « Licet ad vos libere » de patriarcha David dicere, quoniam obiit et sepultus » est [2]. » Cur autem, cum ejus mentionem tum hic tum postea facit, dignitatem ejus non commemorat? Forte quia ex illo genus ducebat. Si viri probi indulgentesque fuissent,

[1] 1 Reg. xxi, 4. — [2] Act. II, 29.

famis causam inducturus erat, quia vero scelesti inhumanique erant, historiam illis refert. Marcus autem sub Abiathare sacerdote id factum dicit [1], non repugnantia historiæ dicens, sed ostendens illum binominem fuisse, additque ipsum ei panes dedisse, simulque magnam afferens purgationem, quod sacerdos id permisisset ; nec modo permisisset, sed etiam ministrasset. Nec mihi dicas Davidem fuisse Prophetam; nam neque sic licebat, sed penes sacerdotes hæc prærogativa erat : idcirco addidit, « Nisi solis sacerdo» tibus. » Etiamsi enim Propheta esset, non sacerdos erat; imo etiamsi Propheta esset, at non ii qui cum illo erant; nam et illis quoque panem dedit. Quid igitur, inquies, pares-ne erant illi Davidi? Quid mihi dignitatem memoras, ubi legis transgressio esse putatur, et naturalis instat necessitas? Etenim hac ratione magis illos a crimine purgat, cum is qui major est idipsum fecit.

II. Et quid hoc, inquies, ad quæstionem? Non enim ille sabbatum transgressus est. Majus certe quidpiam dicis, quod Christi sapientiam demonstrat, quia ille, misso sabbato, aliud exemplum affert sabbato majus. Non enim æquale erat diem illam violare, et sacram illam mensam attingere, quam adire nemini fas erat. Nam sabbatum sæpe solutum fuit [2], imo semper solvitur, et in circumcisione, et in aliis plurimis operibus : et in Jericho idipsum factum videre est : hoc autem tunc solum factum est. Quare a majori exemplo res evincitur. Cur ergo nemo Davidem accusavit, etiamsi alia major accusandi materia adesset, ob sacerdotum cædem, quæ inde exordium duxerat? Verum illud non memorat ille, sed in re proposita consistit. Deinde autem alio modo criminationem solvit. Initio quippe Davidem in medium adduxit, ejus personæ dignitate arrogantiam illorum reprimens. Postquam autem illos represserat,

[1] Marc. II, 26. — [2] Num. XXVIII, 9. — [3] Jos. VI, 4.

superbiamque illorum coërcuerat, tunc magis idoneam affert solutionem. Quænam illa erat? « Nescitis quoniam » in templo sacerdotes sabbatum violant, et sine crimine » sunt[1]? » Illic, inquit, occasio rem solvit; hic vero adest sine occasione solutio; sed non statim ita solvit; verum primo quasi rem venia dignam ponit, postea vero fortius instat: nam quod validius erat postremo afferendum fuit, etiamsi id quod primum allatum est, vim suam haberet. Ne mihi enim dicas id non esse a crimine liberari, par alterius crimen in medium afferre. Nam quando is, qui fecit, non accusatur, tunc id in defensionem usurpari potest. Verum illo non contentus fuit, sed quod magis consentaneum esse affert dicens id, quod factum est, non esse peccatum: quod conspicuæ victoriæ signum erat, cum ostenderet se legem solvisse, imo id bis fecisse, tum a loco, tum a sabbato; quin etiam et ter fecisse, quod duplex opus factum esset, et aliud ex sacerdotibus subjunxisset: quodque majus est, neque crimen illud esse. Nam ait: « Sine crimine » sunt. » Vides-ne quanta posuit? Locum, nam in templo, inquit, factum est; personam, nempe sacerdotes; tempus, nam sabbatum erat; rem ipsam, nam violant, inquit: neque enim dixit: « Solvunt, » sed, quod gravius est, « Violant: » quod non modo pœnas non dent, sed quod crimine liberentur; nam ait: « Sine crimine sunt. » Id vero ne putetis simile priori esse. Nam illud semel factum est, nec a sacerdotibus, atque ex necessitate; ideo venia digni erant: hoc autem singulis sabbatis, a sacerdotibus, in templo et secundum legem. Quapropter non modo venia digni sunt, sed etiam secundum legem culpa vacui. Neque enim criminando hæc dixi, inquit, neque ex venia solum culpa liberos statuo, sed ex justitiæ lege. Videturque illos defendere, hos autem crimine liberat. Cum enim ait: « Sine

[1] Matth. XII, 5.

» crimine sunt, » at hi multo magis, inquit. Sed non sunt sacerdotes; at sacerdotibus majores : ipse namque templi Dominus hic adest; veritas, non figura : ideo dicebat : « Dico autem vobis, quia templo major est hic [1]. » Attamen cum talia audirent, nihil dixerunt, quia non de salute hominis agebatur. Deinde quia id audientibus grave videbatur esse, cito illud occultavit, rursus ad veniam sermonem agens, nec sine increpatione sic dicens : « Si autem scire- » tis quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium, non » condemnassetis innocentes [2]. » Vides-ne quomodo rursus sermonem ad veniam agat, et rursum venia superiores ostendat? « Non condemnassetis, inquit, innocentes. » Prius sacerdotum exemplum attulit, dicens innocentes illos esse; hoc autem a semetipso ponit, imo vero et hoc a lege; propheticum enim dictum recitavit.

III. Demum aliam affert causam dicens : « Dominus enim » est sabbati Filius hominis [3], » de ipso loquens. Marcus vero illum de communi natura id dixisse refert : « Sab- » batum, inquit, propter hominem factum est, non autem » homo propter sabbatum [4]. » Cur ergo supplicium luit ille qui ligna colligebat? Quia si initio leges contemptæ fuissent, vix postea servandæ erant. Nam initio sabbatum in multis gravibusque rebus utile erat : exempli causa id efficiebat ut mites humanique essent cum propinquis : docebat eos Dei providentiam et creationem : quod ait Ezechiel : « Erudivit eos paulatim ut abstinerent a nequitia, et » ut spiritualibus incumberent [5]. » Nam si cum legem sabbati dedit, dixisset : « Bona facite sabbato, sed mala non operemini, » legem non servasset populus; verum omnia simul vetuit : « Nihil facietis, inquit. » Neque tamen sic se continuere. Ipse vero, cum legem sabbati dedit, obscure significavit

[1] Matth. XII, 6. — [2] Ibid. 7. et Osee VI, 6. — [3] Matth. XII, 8. — [4] Marc. II, 27. — [5] Ezech. XX,

velle se ut a malis solum abstinerent. « Nihil enim facietis, inquit, nisi ea quæ faciet anima. » In templo autem omnia fiebant, et cum majori studio, duplicique opera. Sic per ipsam umbram veritatem illis aperiebat. Tantum ergo lucrum, inquies, abstulit Christus? Absit, imo illud admodum auxit. Tempus enim erat ut per sublimiora erudirentur : neque oportebat manus ejus ligare, qui a nequitia erutus, ad bona omnia volebat, neque inde ediscere Deum omnia fecisse : nec inde institui ad mansuetudinem eos, qui ad Dei benignitatem imitandam vocati erant. « Estote, in- » quit, misericordes sicut Pater vester cœlestis[1] : » nullum diem festum agere eos, qui per totam vitam festum agere jubebantur; nam ait : « Festum celebremus, non in fermento » veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azy- » mis sinceritatis et veritatis[2]. » Non oportet enim prope arcam et altare aureum stare eos, qui omnium Dominum habent secum habitantem, quippe per omnia ipsum alloquuntur, et per orationem, et per oblationem, et per Scripturas, et per eleemosynam, et quod intus illum habeant. Quæ ergo sabbati necessitas ei qui semper festum celebrat, qui in cœlo versatur? Festum ergo perpetuo agamus, nihilque mali operemur. Illud enim vere festum est. Sed spiritualia intendamus, abscedant terrena, spirituali otio otiemur, manus ab avaritia cohibentes, corpus a superfluis et inutilibus abducentes laboribus, quibus afflictus est olim in Ægypto Hebræorum populus. Nihil enim differimus quotquot aurum colligimus, ab iis qui luteo operi addicebantur, lateresque operantes, et paleas colligentes flagellabantur. Nam nunc quoque diabolus lateres jubet apparare, ut olim Pharao. Quid enim aliud est aurum, quam lutum? Quid aliud argentum, quam palea? nam argentum velut palea cupiditatem accendit, et aurum luti instar illum inquinat

[1] Luc. VI, 36. — [2] 1 Cor. V, 8.

qui possidet. Ideo misit nobis non Mosem ex deserto Ægypti, sed Filium suum de cœlo. Si itaque post ejus adventum in Ægypto manseris, eadem patieris quæ Ægyptii : sin Ægypto relicta abieris cum spirituali Israële, miraculorum omnium spectator eris.

IV. Nec tamen id solum ad salutem sufficit. Non enim ab Ægypto tantum recedendum est; sed in terram promissionis intrandum. Quandoquidem Judæi, ut ait Paulus, per mare rubrum transierunt, manna comederunt, et potum spiritualem biberunt, attamen omnes periere. Ne igitur nos quoque talia patiamur, ne segnes simus, sed ad pugnam parati. At si nunc audias malos exploratores, qui angustam et arctam viam calumnientur, atque illa dicant, quæ olim illi dicebant exploratores, non populi turbam, sed Jesum imitemur[1], et Chaleb filium Jephone, neque prius abscedas, quam in promissum cœlum ingradiaris[2]. Neque difficilem putes esse viam. Nam si inimici cum essemus, nos cum Deo reconciliavimus, multo magis reconciliati salutem consequemur. Verum angusta et arcta, inquies, illa via est? Sed prior, per quam transivisti, non angusta et arcta modo est, sed etiam invia, ac feris agrestibus plena : ac quemadmodum non poterant per mare Rubrum transire sine miraculo illo; sic non poteramus in priore vita manentes in cœlum ascendere, nisi baptisma in medio apparuisset. Si autem illud quod fieri non poterat, fieri tamen potuit, multo magis quod difficile erat, facile evadet. Verum illud, inquies, per solam gratiam fiebat. Et ideo maxime jure confidas. Si enim ubi sola gratia erat, illa tamen operata est; ubi labores addideritis, annon multo magis cooperabitur? Si nihil agentem servavit, annon multo magis operantem juvabit? Supra dicebam, ex iis quæ fieri non posse videbantur, et tamen facta sunt, in

[1] Num. XIII. — [2] Jos. XIV et XV.

difficilibus fiduciam tibi dari : nunc autem dico, si vigilemus, hæc ne difficilia quidem fore. Consideres enim velim mortem conculcatam fuisse, diabolum concidisse, legem peccati extinctam esse, Spiritus gratiam datam, vitam in breve tempus contractam, onera præcisa. Et ut hæc ab ipsis operibus ediscas, perpende quot sint qui majora, quam Christus præcipiat, fecerint : tu vero mediocritatem times? Quam ergo excusationem habebis, cum aliis ultra metas exilientibus, tu vel ad constitutum terminum pervenire graveris? Te hortamur ex facultatibus tuis eleemosynam dare ; alius vero sese suis omnibus spoliavit : te rogamus ut cum uxore tua caste vivas; alius vero etiam a connubio abstinuit : te monemus ne sis invidus; alium autem habemus, qui ex charitate dat ipsam animam suam : te obsecramus ut indulgens sis nec nimis severus in peccantes; alius percussus, alteram obtulit maxillam. Quid igitur, quæso, dicemus? quam excusationem afferemus, ne illa quidem facientes, quæ alii longe superant? neque enim superassent, nisi summa esset rei præceptæ facilitas. Quis enim tabescit, an qui aliorum bonis invidet? an qui de iis gaudet et lætatur? Quis omnia suspecta habet et tremit, homo castus, an mœchus? Quis bona cum spe gaudet, an raptor, an is qui miseratus, sua egenti largitur? Hæc itaque cogitantes, ne segnes simus ad virtutis cursum capessendum; sed alacriter ad hæc pulchra certamina nos instruentes, brevi tempore laboremus, ut perpetuas et immortales coronas accipiamus, quas utinam adipiscamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XL.

CAPUT XII.

Et transiens inde, venit in synagogam eorum : et ecce homo erat ibi, habens manum aridam [1].

I. Rursum in sabbato curat, sic purgans ac defendens Discipulorum suorum gesta. Et alii quidem Evangelistæ dicunt Jesum, homine illo in medium adducto, interrogasse illos : « Num licet sabbatis benefacere [2]. » Perpende Domini misericordiam. Ipsum in medio constituit, ut vel ex aspectu ipsos flecteret, et ex spectaculo fracti, nequitiam deponerent, et hominem reveriti, immanitatem suam sedarent. Verum illi indomiti et inhumani malunt Christi gloriam lædere, quam hunc sanatum conspicere, utrinque animi pravitatem ostendentes; et quod Christum impugnarent, et cum tanta contentione id facerent, ut etiam collata in alios beneficia interturbarent. Alii quidem Evangelistæ dicunt ipsum interrogasse; hic vero ait ipsum interrogatum fuisse : « Et interrogaverunt eum, inquit, dicentes : Si licet » sabbatis curare, ut accusarent eum [3]. » Verisimile autem est utrumque factum esse. Scelesti enim cum essent, scirentque ipsum ad curationem haud dubie venturum esse, interrogatione prævertere illum studuerunt, sperantes se id hoc modo impedituros esse. Ideo interrogabant; « Si licet » sabbatis curare, » non ut discerent, sed ut accusandi materiam haberent. Etiamsi ipsum opus satis esset, si accusare voluissent, ex verbis tamen occasionem captare stu-

[1] Matth. XII, 9, 10. — [2] Marc. III, 4. — [3] Luc. VI, 9. — [4] Ibid.

duerunt, ut sibi majorem criminandi copiam pararent. Benignus autem Dominus et illud facit, et respondet, nos modestiam et mansuetudinem docens, totumque in ipsos convertit, ipsorumque inhumanitatem ostendit. Hominem in medio statuit; non quod illos timeret, sed ad ipsorum utilitatem, ut ad misericordiam vocaret. Cum autem ne sic quidem illos flecteret, tunc contristatus est, inquit, et iratus est propter duritiam cordis eorum, dixitque : « Quis » est ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si in foveam » ceciderit sabbatis, nonne apprehendet eam et eriget? Quanto ergo melior est homo ove? Itaque licet sabbatis be» nefacere [1]. » Ne impudenter agant, neve quasi transgressorem accusent, per hoc exemplum cum illis ratiocinatur. Tu vero mihi perpende, quam varie et quam congruenter ubique defensiones paret circa sabbati solutionem. Nam ubi cœlum curavit, lutumque fecit [2], non sese purgavit, licet illi incusarent : etenim creationis modus hic expressus ipsum esse legis dominum demonstrabat. In paralytico autem, qui lectum portavit [3], dum illi accusarent, modo ut Deus, modo ut homo sese purgat : ut homo, cum dicit : « Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solva» tur lex; » nec dixit « Ut homo adjuvetur, » Mihi irascimini » quia totum hominem sanum feci? » Ut Deus autem, cum dicit : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor [4]. » Super Apostolis vero accusatus ait : « Non legistis quid fecit » David, quando esurivit ipse et qui cum eo erant, quomodo » introivit in domum Dei, et panes propositionis comedit? » Sacerdotes quoque in medium adducit : Hic rursum : « An » licet in sabbato benefacere, an malefacere? Quis enim » ex vobis habebit ovem unam? » Noverat enim eos pecuniæ cupidos magis quam humanitate præditos. Alius porro

[1] Matth. XII, 11, 12. — [2] Joan. IX. — [3] Matth. IX. — [4] Joan. V, 17.

Evangelista ait ipsum circumspexisse [1], cum hoc interrogaret, ut vel aspectu ipsos attraheret : at ne sic quidem meliores effecti sunt. Hic vero solum loquitur, alibi manus etiam imponit ut sanet. Attamen nihil eorum illos ad mansuetudinem alliciebat; sed homo quidem sanabatur, illi vero per ejus valetudinem deteriores efficiebantur. Ille volebat ipsos ante ægrum sanare, innumerasque medelæ vias tentabat, et per ea quæ ante fecerat, et per ea quæ loquebatur. Quoniam autem incurabili morbo laborabant, ad opus se contulit. « Tunc dixit homini : Extende manum » tuam, et extendit, et restituta est sanitati, ut et altera [2]. » Quid igitur illi? Egrediuntur, inquit, et consultant, ut occiderent eum : ait enim : « Pharisæi exeuntes consilium ce» perunt adversus eum, ut eum perderent [3]. » Nihil læsi occidere tentabant.

II. Tantum est invidia malum. Nam ea non alienos solum, sed etiam propinquos semper impugnat. Marcus autem dicit ipsos cum Herodianis id deliberasse [4]. Quid ergo ille mansuetus et mitis? Hæc cum didicisset, secessit. « Jesus » autem, inquit, cum sciret cogitationes eorum, recessit » inde [5]. » Ubi sunt ii, qui dicunt oportere signa fieri? His quippe ostendit improbam animam, ne signis quidem obtemperare. Ostenditque etiam Discipulos sine causa accusari. Illud porro observandum est ipsos ob beneficia proximo collata magis efferatos esse, et ubi vident aliquem aut a morbo aut a nequitia liberatum, tunc accusare, tunc feroces esse. Nam cum meretricem ad resipiscentiam deducturus erat, calumniabantur eum; et quando cum publicanis comedebat similiter, ut et nunc cum manum restitutam viderunt. Tu vero mihi considera quomodo et ab ægrotorum cura non absistat, et illorum invidiam mitiget.

[1] Marc. III, 4. — [2] Matth. XII, 13. — [3] Ibid. 14. — [4] Marc. III. — [5] Matth. XII, 15.

« Et secutæ sunt eum turbæ multæ, et curavit illos omnes, » et increpavit eos qui curati fuerant, ut nemini ipsum » manifestum facerent [1]. » Turbæ ubique et mirantur et sequuntur: illi autem a malitia non absistunt. Deinde ne turberis de gestis deque incredibili illorum furore, Prophetam adducit hæc prænuntiantem. Tanta enim erat Prophetarum accuratio, ut ne hæc quidem prætermitterent, sed vias ejus et transitus prophetarent, nec non qua mente hæc faceret, ut discas illos, movente Spiritu, locutos esse. Nam si hominum secreta cognosci non possunt, multo magis Christi scopus edisci non potest, nisi Spiritu revelante. Quid autem dixerit Propheta sic affert : « Ut impleretur » quod dictum est per Isaïam prophetam dicentem : Ecce » puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo complacuit » anima mea [2]. Ponam Spiritum meum super eum, et judi- » cium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, » neque audiet quis in plateis vocem ejus; calamum con- » quassatum non confringet, et linum fumigans non extin- » guet, donec emiserit in victoriam judicium, et in nomine » ejus gentes sperabunt [3]. » His mansuetudinem ejus, et potestatem ineffabilem celebrat, magnamque et apertam gentibus portam aperit, mala etiam Judæos invasura prænuntiat, et ostendit ejus cum Patre consensum : nam ait : « Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo » complacuit anima mea. » Si autem elegit eum, utique non adversans ipsi legem solvit, neque ut inimicus legislatoris id agit, sed ut consentiens, eademque operans. Deinde mansuetudinem ejus prædicans dicit : « Non contendet, » neque clamabit. » Ipse quippe volebat eos sanare. Quia vero ipsum repulere, ille reluctari noluit. Deinde ejus potentiam illorumque imbecillitatem ostendens, dicit : « Cala- » mum conquassatum non confringet. » Nam facile erat eos

[1] Matth. XII, 16. — [2] Isaï. XLII. — [3] Matth. XII, 17-21.

omnes ut calamum confringere, imo non modo calamum, sed jam conquassatum. « Et linum fumigans non extinguet. » Hic illorum iram incensam declarat, illiusque fortitudinem, quæ posset furorem ipsorum solvere, et cum facilitate magna extinguere. Unde ejus mansuetudo ingens ostenditur. Quid igitur, an hæc semper erunt? an semper feret eos insidiantes ac furentes? Apage, sed cum sua exhibuerit, tunc et illa exequetur : id enim significavit his verbis : « Donec emittat in victoriam judicium, et in nomine ejus » gentes sperabunt : » quemadmodum et Paulus ait : « Pa- » rati omnem inobedientiam ulcisci, cum completa fuerit » obedientia vestra [1]. » Quid vero significat illud : « Cum » emiserit in victoriam judicium? » Cum sua omnia impleverit, inquit, tunc vindictam inducet, et ultionem perfectam. Tunc gravia patientur, cum splendidum statuerit tropæum, et ejus justificationes vicerint; ac ne impudenter quidem contradicendi ansam relinquet. Solet enim judicium ipsam justitiam dicere. Sed non in hoc tantum consistet ejus œconomia, quod increduli puniantur; verum etiam totum orbem attrahet : quapropter subjunxit : « Et » in nomine ejus gentes sperabunt. » Deinde ut discas hoc etiam secundum voluntatem Patris esse, in ipso principio Propheta hoc cum prioribus confirmavit dicens : « Dilectus » meus, in quo sibi complacuit anima mea. » Etenim palam est dilectum secundum diligentis se voluntatem hæc fecisse. « Tunc obtulerunt ei dæmoniacum, cæcum et mutum, » et curavit eum [2], » ita ut cæcus et mutus loqueretur et videret.

III. O malitia dæmonis! utramque viam, qua is crediturus erat, obstruxerat, visum et auditum. Sed utramque Christus aperuit. « Et stupebant turbæ dicentes : Numquid » hic est filius David? Pharisæi autem dixerunt : Hic non

[1] 2 Cor. x, 6. — [2] Matth. xii, 22.

» ejicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum [1].» Atqui quid magni turbæ dixerant? attamen id Pharisæi non tulerunt : sic illi, ut supra dixi, semper ex beneficiis proximo collatis mordentur, nihil ita illis dolorem parit, ut hominum salus. Quanquam Jesus recesserat, et locum dederat ut ira sedaretur. Sed rursus accensum malum fuit, quia rursus beneficium factum est : illique indignabantur plus quam ipse dæmon, qui secesserat ex corpore et aufugerat nihil locutus. Hi autem modo illum interficere tentabant, modo calumniabantur. Quia enim illud non recte procedebat, gloriæ ejus nocere volebant. Hujusmodi res est invidia, cui nullum par malum. Nam mœchus voluptatem saltem quamdam percipit, et brevi tempore peccatum suum perficit : invidus vero se prius quam eum, cui invidet, supplicio afficit, neque finem unquam peccandi facit, et in peccato versatur. Sicut sus in luto, et sicut dæmones de damno nostro lætantur : sic et invidus de proximi malis gaudet : et si quid ipsi triste et injucundum eveniat, tunc ille quiescit et respirat, alienas ærumnas gaudium esse suum putans, et aliorum bona proprium sibi malum; neque considerat quid sibi suave, sed quid proximo ærumnosum sit. Nonne tales homines lapidandi et suppliciis torquendi sunt, ut canes rabidi, ut dæmones infesti, ut ipsæ furiæ? Nam quemadmodum scarabæi in fimo nutriuntur, sic et hi in alienis calamitatibus, communes naturæ inimici et hostes. Et alii quidem si brutas animantes jugulatas viderint, misericordia moventur; tu vero hominem videns beneficio affectum, efferaris, tremis, palles? Ecquid hoc furore deterius? Ideo fornicarii et publicani in regnum intrare potuerunt; invidi vero, qui intus erant, egressi sunt. « Nam filii regni, inquit, foras ejicientur [2]. » Et illi quidem ab nequitia erepti, quæ nunquam expectaverant consecuti

[1] Matth. XII, 23, 24. — [2] Id. VIII, 12.

sunt : hi vero bona quæ jam tenebant amiserunt, et jure quidem. Hoc enim diabolum ex homine facit, hoc ferocem dæmonem efficit. Sic prima cædes facta est [1]; sic naturæ nulla habita ratio fuit; sic terra polluta est; sic postea os suum aperiens terra, Dathan, Core et Abiron [2], totumque illum populum excepit et perdidit. At, dixerit quispiam, facile est de invidia accusare, sed docendum quo pacto invidi ab hoc morbo liberentur. Quomodo ergo liberabimur ab iniquitate hujuscemodi? Si cogitemus; sicut fornicatori non licet intrare in Ecclesiam, sic neque invido; imo minus huic licere quam illi. Nunc quidem malum illud quasi indifferens esse videtur, ideoque negligitur. Sed si manifestum semel sit malum esse, facile ab eo resiliemus. Luge igitur et ingemisce, lamentare et Deum precare. Disce te gravissimo peccato detentum jacere, et pœnitentiam age. Et si sic affectus fueris, cito ab hoc morbo liber evades. Ecquis ignorat, inquies, invidiam esse malam? Ignorat quidem nemo, sed tamen non parem esse morbum putant fornicationi et adulterio : nam quis unquam sese damnavit, quod gravi invidia ductus fuisset? Quandonam quis rogavit Deum ut circa hunc morbum sibi propitius esset? Nemo utique unquam, sed si jejunet, ac tantillum pecuniæ det pauperi, quantumvis sit invidus, nihil se grave admisisse putat; licet gravissimo omnium morbo teneatur. Undenam Caïn tam scelestus effectus est? unde Esaü? unde Labani filii? unde filii Jacobi? unde Core, Dathan et Abiron? unde Maria? unde Aaron? unde ipse diabolus?

IV. Cum his hoc etiam perpende te non eum cui invides lædere, sed in teipsum gladium vertere. In quo enim Abelum Caïn læsit? Illum citius vel invitus in regnum misit, seque sexcentis involvit malis. Qua in re Jacobo nocuit Esaü? Annon ille dives erat et mille bonis fruebatur; hic

[1] Gen. IV. — [2] Num. XVI.

vero paterna domo excidit, et post structas insidias in aliena regione erravit. Quid autem Jacobi filii? An Josephum in pejorem statum adduxerunt, etiamsi usque ad sanguinem venissent? Nonne isti famem passi, ac de extremis periclitati sunt; ille vero rex in tota Ægypto fuit? Nam quanto magis invidia laboraveris, tanto majora ei, cui invides, bona concilias. Deus enim qui cuncta perspicit, cum videt eum lædi qui nihil læsit, illum erigit, illustrioremque efficit, invidum vero plectit. Nam si eos, qui de malis inimicorum lætentur, non impunitos sinit; (« Ne gaudeas » enim, inquit, de casu inimicorum tuorum, nequando Deus » videat et displiceat ei[1]; ») multo minus eos qui invident iis, a quibus nihil læsi sunt. Feram itaque hanc, multis instructam capitibus, excindamus. Multæ quippe sunt invidiæ species. Nam si is, qui se amantem amat, nihil plus habet, quam publicanus, qui se nihil lædentem odio habet, quo in loco stabit? quomodo effugiet gehennam, cum ethnicis pejor factus sit? Idcirco admodum doleo, quod qui Angelos, imo Angelorum Dominum imitari jussi sumus, diabolum imitemur. Nam multa et in Ecclesia invidia est; multoque magis in nobis, quam in subditis. Ideo ad nos sermo vertatur. Quare, dic mihi, proximo invides? Quia honore et celebritate fruentem vides? Nec cogitas quantum mali honores afferant iis, qui non attendunt? In vanam gloriam extollunt, in fastum, in arrogantiam, in superbiam, negligentiores reddunt, ac præter hæc mala, facile marcescunt. Quodque gravissimum est, mala hinc importata manent immortalia; voluptas vero ubi primum apparuit, avolavit. His-ne, quæso, de causis invides? Sed potestatem multam habet ille apud imperantem, omnia susdeque versat pro lubito, adversantes sibi ulciscitur, adulatores beneficiis afficit, magnaque fruitur potentia. Sæcularium homi-

[1] Prov. xxiv, 17

num hæc verba sunt. Nam spiritualem hominem nulla res dolore afficere potest. Quid enim illi mali faciet? An a dignitate dejiciet? Et quid hoc est? Si enim juste, id utile ipsi erit. Nihil enim ita Deo displicet, quam si quis indigne sacerdotio fungatur. Sin injuste, culpa penes deponentem erit, non penes depositum. Nam qui injuste quid patitur, si fortiter ferat, majorem hinc apud Deum nanciscitur libertatem ac fiduciam. Ne itaque id in scopo habeamus, ut fruamur potentia, honore, auctoritate, sed ut in virtute atque philosophia versemur. Nam dignitates ad multa Deo non placita patranda inducunt, atque ingenti opus est animo, ut dignitate ac potentia recte utamur: qui vero a dignitate detruditur, velit nolit philosophatur: at qui illa fruitur, simile quid patitur, ac si quis cum formosa puella habitans, lege arceatur ne illam lascivis unquam oculis aspiciat. Talis est potentia. Ideoque multos pene invitos ad contumeliam inferendam induxit, ad iram incitavit, linguæ frenum ipsis abstulit, et januam oris avulsit; venti instar animum circumquaque agitat, et in profundum malorum scapham demergit. Quid igitur in tanto periculo miraris et invidendum putas? et quænam hæc est dementia? Cum iis vero, quæ dicta sunt cogita, quot inimicos et accusatores, quot adulatores habeat se obsidentes? Hæccine igitur, quæso, digna sunt quæ beata prædicentur? Ecquis hoc dixerit? At apud populum, inquies, celebratur? Ecquid hoc est? Neque enim populus est Deus, cui vitæ rationes redditurus sit. Itaque quando populum dicis, nihil aliud memoras, quam obices, scopulos, brevia, latentia saxa. Illa enim in populo celebratis, quanto splendidiorem reddit, tanto majoribus patet periculis, curis, mœroribus. Nam qui talis est, nec stare nec respirare potest, cum tam acerbum habeat dominum. Et quid dico stare vel respirare? etiamsi is sexcentis bonis operibus sit præditus, dif-

ficile in regnum ingreditur. Nihil enim labefactare solet, ut multorum existimatio, quæ timidos, illiberales, adulatores simulatoresque facit. Cur ergo Pharisæi dicebant Christum dæmoniacum esse [1]? annon quia vulgi existimationem captabant? Cur autem multi rectam de illo sententiam ferebant? Nonne quia hoc morbo non detinebantur? Nihil enim, nihil certe homines sic iniquos, sic stultos efficit, quam quod ad multorum existimationem inhient; nihil ita probatos atque adamantinos reddit, ut famam despicere. Quare fortissimo quisque opus habet animo, ut hujus venti impetui et vi resistere possit. Nam quando prospere rem agit, omnibus se anteponit; cum contraria accidunt, seipsum suffodere cupit; et hoc ipsi et gehenna simul et regnum est, cum hoc animi morbo obruitur.

V. Hæccine, quæso, invidia digna sunt? Nonne potius fletibus ac lacrymis? Utique id omnibus palam est. Tu vero idipsum facis cum ei qui sic celebratur invides, ac si quis hominem videns vinctum ac flagellis cæsum, ab innumerisque feris raptatum, invideret ipsius plagis et vulneribus. Nam quot homines in populo sunt, tot habet hic vincula, tot dominos. Quodque gravius est, diversæ sunt singulis sententiæ, et quæ menti succurrunt, de servientibus sibi statuunt omnes, nihil examinantes, sed quæ huic vel illi visa fuerint confirmantes. Hæc quibus fluctibus, qua tempestate graviora non sunt? Etenim is facile statim a voluptate inflatur, et facile rursum submergitur, in vitæ inæquabilitate semper, in quiete nunquam perstans. Nam antequam in concionis theatrum veniat, et antequam laboriosam orationem incipiat, anxius et tremens est, post solutum vero theatrum, vel mœrore deficit, vel sine mensura lætatur, quod ipso dolore deterius est. Quod autem voluptas non sit minus malum, quam dolor, manifestum est ex

[1] Matth. xii, 24.

modo quo animum nostrum afficit; levem enim illud reddit, sublimem et quasi alis instructum. Et hoc a priscis viris cernere est. Quandonam igitur probus erat David, an cum gaudebat? an cum in angustia versabatur? Quando judaïcus populus? An cum gemebant et Deum invocabant? an cum lætabantur in deserto, et vitulum adorabant [1]? Quapropter Salomon, qui maxime omnium sciebat quid esset voluptas, dicit : « Melius est ire in domum luctus, » quam in domum risus [2]. » Et Christus illos quidem beatos prædicat, dicens : « Beati qui lugent [3], » hos vero miseros dicit : « Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis [4]. » Et jure quidem merito. Nam in voluptate mollior et solutior est anima, in luctu contrahitur, et sapit, et a congerie morborum animi liberatur, sublimior item et fortior est. Hæc omnia cum sciamus, fugiamus illam multorum existimationem ejusque voluptatem, ut veram et manentem semper gloriam consequamur, quam utinam omnes sortiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Exod. xxxii. — [2] Eccli. vii, 3. — [3] Matth. v, 5. — [4] Luc. vi, 25.

HOMILIA XLI.

CAPUT XII.

Sciens autem Jesus cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum contra se divisum desolabitur : omnis civitas et domus contra se divisa non stabit. Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est. Quomodo ergo stabit regnum ejus[1] ?»

I. Jam accusaverant illum, quod in Beelzebub ejiceret dæmonia. Sed tunc non increpavit eos ; verum ex signis plurimis facultatem dedit eis suæ cognoscendæ potestatis, exque doctrina magnitudinem suam edocuit. Quia vero eadem dicere perseverabant, illos demum increpat : hoc primo argumento Deitatem suam ostendens, quod nempe arcana eorum in medium adduceret ; secundo autem quod dæmonas facile ejiceret. Quanquam admodum impudens accusatio erat. Nam, ut dixi, invidia non explorat quid dicat, sed temere loquitur. Attamen ne sic quidem agentes despexit Christus ; sed cum moderatione congruenti sese purgat, nos instituens ut erga inimicos mites simus : etiamsi illa dicant, de quibus nobis conscii non sumus ; utque non turbemur, sed æquo animo rationes ipsis reddamus. Quod et ipse tunc præclare faciebat, signum maximum præbens falsa illa esse quæ ab ipsis dicebantur. Neque enim dæmonium habentis erat tantam exhibere mansuetudinem : non dæmonium habentis erat secreta cognoscere. Etenim quod hujusmodi opinio admodum im-

[1] Matth. XII, 25, 26.

pudens esset, et quod plebem timerent, non audebant has accusationes publice proferre, sed eas in mente versabant. Ipse vero ostendens ipsis se illa nosse, non tamen illorum accusationem expromit, neque ipsorum nequitiam declarat; sed solutionem affert, conscientiæ ipsorum confutationem relinquens. Unum enim solum curabat, peccatores juvare, non in vulgus traducere. Quanquam si voluisset longum texere sermonem, illosque ridiculos exhibere, insuperque extremas ab illis pœnas exposcere, nihil officiebat. Verumtamen missis illis omnibus, unum habebat scopum, ut ne illos contentiosiores faceret, sed mansuetiores, et hoc pacto ad emendationem aptiores redderet. Quomodo autem sese purgat? Nihil ex Scripturis affert: neque enim illi animum adhibuissent, sed prave interpretaturi erant; verum ab iis, quæ vulgo eveniunt verba facit: «Omne regnum contra seipsum divisum non stabit: et »civitas vel domus discissa, cito dissolvetur.» Neque enim sic externa, ut civilia bella nocent. Id etiam in corporibus evenit, in omnibusque rebus. Sed interim a notioribus rebus exempla adducit. Quid enim in terra est regno potentius? Nihil. Attamen seditionibus dissolvitur. Quod si illic negotiorum molem quis in causa esse dixerit, quia nempe secum decertat, quid dixerit de civitate, aut de domo? Nam sive parvum sive magnum quid fuerit, si secum dissideat, perit. Si igitur dæmonium habens ego, ejus ope dæmonas pello, seditio et pugna est inter dæmonas, iique stant divisi et adversarii. Si alii contra alios stant, illorum fortitudo periit et labefactata est. « Si enim sata»nas satanam ejicit,» non dixit: «Dæmonas ejicit,» ostendens multam esse inter illos concordiam: in seipsum ergo divisus est, inquit. Si divisus est, ergo imbecillior factus est, et periit: si periit, quomodo potest alium ejicere? Vides-ne quam ridicula sit accusatio, quam stulta, quam

secum ipsa pugnans? Non potest enim idem ipse dicere satanam stare et ejicere dæmones, ac propter illud stare, propter quod jam corruisse debet. Et hæc est prima solutio. Secunda solutio circa Discipulos versatur, neque enim uno tantum semper modo, sed etiam secundo et tertio objectiones solvit, quod illorum impudentiam ex abundanti reprimere velit. Id quod etiam fecit cum de sabbato ageretur, Davidem adducens in medium, itemque sacerdotes et testimonium quo dicitur : « Misericordiam volo, et non » sacrificium [1]; » causam denique ob quam sabbatum fuit institutum : « Propter hominem enim, inquit, est sabbatum. » Hoc autem hic etiam facit. Nam post primam solutionem ad secundam venit priore clariorem. Ait enim : « Si ego in » Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt [2]? »

II. Hic quoque ejus mansuetudinem animadverte; non enim dicit : « Discipuli mei, nec Apostoli mei, » sed « Filii vestri; » ut si velint ad eamdem nobilitatem venire, hinc ansam arripiant : sin ingrati in iisdem persisterent, ne impudentem quidem possent excusationem proferre. Quod autem dicit hoc significat : « Apostoli in quo ejiciunt? » jam enim ejecerant, cum potestatem ab illo accepissent, neque tamen illos accusabant : neque enim contra res ipsas, sed contra personam tantum litigabant. Ut ostendat igitur eos ex invidia solum illa dixisse, Apostolos in medium adducit. Nam si ego sic ejicio, multo magis illi qui a me potestatem acceperunt. Attamen nihil simile dixistis illis : « Cur ergo me accusatis qui auctor illis sum, illos crimine liberos mittitis? Non hoc vos a supplicio liberabit, sed majori damnationi subjiciet : ideo subjunxit : « Ipsi judices vestri » erunt [3]. » Cum enim ex vobis sint orti et hæc exerceant, cum mihi obtemperent et obediant, planum est illos condemnaturos esse eos, qui contraria faciunt et dicunt. « Si

[1] Matth. xii, 7. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid.

» autem in Spiritu Dei dæmonia ejicio, profecto pervenit » in vos regnum Dei [1]. » Quid est regnum? Adventus meus. Vide quomodo rursus eos alliciat et curet, ad suamque cognitionem pertrahat, ostendatque illos bona sua impugnare, et contra salutem suam litigare? Cum oporteret, inquit, gaudere et exultare, quia magna illa et ineffabilia daturus adveni, quæ olim Prophetæ cecinerunt, et quod vobis bene gerendi tempus advenerit; vos contrarium facitis, non modo bona non accipientes, sed etiam calumniantes et causas comminiscentes. Matthæus quidem ait : « Si autem ego in Spiritu Dei ejicio. » Lucas vero : « Si au- » tem ego in digito Dei ejicio dæmonia [2]. » Ostendens maximæ potentiæ opus esse illud, dæmonas ejicere, ac gratiæ non vulgaris; hinc autem ratiocinari vult et dicere : « Si hoc ita est, ergo Filius Dei advenit. » Sed hoc non dicit, verum obscure, ita ut illis onerosum non esset, id subindicat dicens : « Ergo pervenit in vos regnum Dei. » Videsne sapientiam ingentem? Ex iis quæ illi objiciebant, conspicue ostendit adventum suum. Deinde ut illos attraheret, non dicit simpliciter : « Pervenit regnum, » sed adjicit, « Ad » vos; » ac si diceret : « Vobis adveniunt bona. Cur erga propria bona sine sensu estis? cur contra vestram salutem ipsi pugnatis? Hoc est tempus illud, quod olim Prophetæ prædixerunt : hoc signum adventus per illos decantati, quod nempe divina potentia hæc fiant : nam quod fiant, vos nostis; quod autem divina potentia, res ipsæ clamant. Neque enim fieri potest ut satanas nunc sit fortior, imo necessario est imbecillus. Non potest autem imbecillus quis fortem dæmonem ejicere. » Hæc porro dicebat charitatis vim ostendens, ac dissidii atque litigii imbecillitatem. Ideoque ipse frequenter Discipulos circa charitatem hortatur, declaratque diabolum nihil non agere ut illam auferat.

[1] Matth. XII, 28. — [2] Luc. XI, 20.

Post secundam ergo solutionem tertiam quoque inducit dicens : « Quomodo potest aliquis intrare in domum fortis, » et vasa illius diripere, nisi prius ligaverit fortem, et tunc » vasa ejus diripiat [1] ? » Quod non possit satanas satanam ejicere, ex præcedentibus liquet ; quod autem non omnino possit quis illum ejicere, nisi primum superarit, apud omnes in confesso est. Quid igitur ex his conficitur ? Quod prius dictum est, sed longe validius. Tantum abest, inquit, ut adjutore utar diabolo, et eum etiam impugnem et vinciam, cujus rei signum est, quod vasa ejus diripiam. Vide quomodo contrarium quam illi supra statuere conabantur, demonstretur. Illi enim ostendere volebant ipsum non vi propria dæmonas ejicere ; ille vero demonstrat se non modo dæmonas, sed illorum principem ligatum vi detinere, illumque priorem propria potestate vincere, quod a rebus gestis comprobatur. Nam si hic princeps est, cæteri quoque subditi ; quomodo illo non victo, non cedente, hi diriperentur ? Hic vero videtur mihi prophetia esse quod dicitur. Neque enim modo dæmones vasa diaboli sunt, sed etiam homines, qui secundum ipsum operantur. Palam est igitur hic dici eum non dæmonas solum ejicere, sed etiam errorem ex toto orbe eliminaturum esse, diabolique præstigias soluturum, et omnia quæ illius sunt inutilia redditurum. Neque dixit : « Rapiet, » sed, « Diripiet, » declarans illud cum potestate factum esse.

III. Fortem autem illum appellat, non quod natura talis sit. Absit, sed priorem significans tyrannidem ex negligentia nostra stabilitam. « Qui non est mecum, contra » me est, et qui mecum non colligit, spargit [2]. » Ecce quartam solutionem. Quid volo, inquit, Deo offerre, virtutem docere, regnum annuntiare ? Quid diabolus et dæmones volunt ? Iis contraria. Quomodo igitur is, qui mecum non

[1] Matth. XII, 29. — [2] Ibid. 30.

colligit, neque mecum est, mecum operaturus est? Et quid dico mecum operaturus? imo contrarium; cupit enim mea dispergere. Qui ergo non modo mecum non operatur, sed etiam dispergit, quomodo tantam mecum concordiam exhiberet, ut mecum dæmonas ejiceret? Hoc autem non de diabolo tantum, sed ipsum de seipso verisimile est dixisse, utpote qui contra diabolum sit, et quæ illius sunt dispergat. Et quomodo, inquies, qui non est mecum, contra me est? id est, eo ipso quod non colligat. Si autem hoc verum est; multo magis qui contra ipsum est, cum illo non operatur. Nam si is qui cum illo non operatur, inimicus est; multo magis qui impugnat? Hæc porro omnia dicit, ut ostendat magnam sibi cum diabolo inimicitiam esse. Dic mihi, quæso, si quis cum sit pugnandum, tibi auxilio esse nolit, nonne vel eo ipso contra te erit? Quod si alibi dicat: « Qui non » est contra vos, pro vobis est [1], » non est huic dicto contrarium. Nam hic adversarium eis ostendit, illic vero ex parte adversarium. Nam, « In nomine tuo, inquit, ejiciunt » dæmonia [2]. » Mihi vero videtur hic Judæos subindicare, quos cum diabolo constituit. Nam et ipsi adversabantur, et quæ ipse congregasset dispergebant. Quod enim ipsos subindicaret, declaravit his verbis: « Ideo dico vobis: Omne » peccatum et blasphemia remittetur hominibus. » Posteaquam enim responderat et objectionem solverat, ostenderatque ipsos frustra impudenter agere, demum terret. Consilii enim et correctionis hæc non spernenda pars est, non modo objectis respondere et persuadere, sed etiam comminari, quod ille plerumque facit dum leges et consilia profert. Videtur autem id quod dictum est obscurum esse: si vero attendamus, facilis erit solutio. Primo igitur ejus sunt audienda verba: « Omne peccatum et blasphemia re» mittetur hominibus: blasphemia vero Spiritus non remit-

[1] Luc. IX, 50. — [2] Matth. VII, 29.

» tetur eis. Et quicumque dixerit verbum contra Filium » hominis, remittetur ei : quicumque vero dixerit contra » Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, » neque in futuro [1]. » Quid sibi vult ergo? Multa contra me dixistis, seductorem Deoque adversarium vocastis. Hæc vobis pœnitentibus remitto, neque pœnas expeto ; blasphemia autem Spiritus non remittitur, ne pœnitentibus quidem. Et qua ratione stare possit illud? Nam et hoc peccatum pœnitentibus remissum fuit. Multi enim eorum qui talia dixerunt, postea crediderunt, omniaque ipsis remissa sunt. Quid igitur hic significat cum dicit hoc peccatum præ omnibus venia carere? Qua de causa? Quia quis esset Christus ignorabant : Spiritus vero congruentem jam notitiam acceperant. Siquidem per eum Prophetæ loquebantur, et in veteri lege omnes multa de ipso acceperant documenta. Hoc igitur vult dicere : « Esto, in me propter assumptam carnem offenditis : num etiam Spiritum sanctum vos non novisse dicturi estis? Idcirco hujus blasphemiæ venia non dabitur vobis : et hic et illic pœnas dabitis. Multi quidem hic tantum pœnas dederunt, ut ille qui fornicatus erat, ut apud Corinthios ii qui indigne mysteriorum consortes fuerant [2] : vos autem et hic et illic pœnas dabitis. Quæcumque ergo contra me antequam crucifigerer blasphemastis, remitto ; imo etiam iis qui me crucifigent ; neque pro incredulitate sola damnabimini. » Neque enim ii, qui ante crucem crediderunt, plenam fidem habebant : multisque in locis admonet, ne ante passionem quis ipse sit declarent ; et in cruce dicebat, ut illis hoc peccatum remitteretur. Quæ vero de Spiritu dixistis, veniam non impetrabunt. Quod autem de iis quæ ante crucem dicta fuerint hæc intelligat, id declarat cum adjicit : « Quicum » que dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei ;

[1] Matth. xii, 31, 32. — [2] 1 Cor. xi.

» quicumque autem dixerit contra Spiritum sanctum, » non item. Quare? Quia Spiritus sanctus notus vobis est, et contra rem manifestam impudenter agitis. Nam si me vos ignorare dicitis, illud certe non ignoratis, dæmonas ejicere et morbos curare Spiritus sancti esse opus. Non ergo me tantum contumelia afficitis, sed et Spiritum sanctum. Quapropter et hic et illic sine ulla venia pœnas dabitis. Nam ex hominibus, alii et hic et illic supplicium luunt; alii hic tantum; alii illic tantum; alii neque hic neque illic : hic et illic alii, ut illi ipsi. Nam et hic dederunt pœnas, quando in urbis excidio intolerabilia passi sunt; et illic gravissimum supplicium luent ut Sodomitæ et alii multi. Illic vero tantum, ut dives ille qui in flamma cruciatus ne stillam quidem aquæ habuit. Hic vero, ut ille apud Corinthios, qui fornicatus erat. Neque hic neque illic, ut Apostoli, ut Prophetæ, ut beatus Job : nam quæ illi passi sunt, non supplicium erant, sed certamina et pugnæ.

IV. Studeamus ergo ut in eadem portione simus : si non horum, saltem eorum qui hic peccata sua expiarunt. Nam terribile illud judicium est, et inevitabile supplicium intolerabilesque pœnæ. Quod si nolis hic pœnas dare, de teipso judica, a teipso rationes expete. Audi Paulum dicentem : « Quoniam si nosmetipsos judicaremus, non utique judi- » caremur [1]. » Si id feceris, paulatim progrediens, ad coronam venies. Et quomodo, inquies, de nobis judicabimus, et a nobis rationes expetemus? Luge, acerbe ingemisce, teipsum humilia et afflige, recordare peccatorum tuorum speciatim. Non parvus est hic cruciatus animi. Si quis in compunctione fuit, novit animum hac maxime ratione cruciari. Si quis peccata in memoriam revocavit, novit dolorem, qui inde concipitur. Quapropter hujusmodi pœnitentiæ Deus justitiam in præmium constituit, dicens : « Dic tu

[1] 1 Cor. xi, 31.

» prior peccata tua, ut justificeris [1]. » Non enim est, non est utique parva ad emendationem ratio, si peccata omnia secundum speciem collecta in animo verses et volvas. Nam qui hoc facit, ita compungetur, ut ne vita quidem se dignum existimet. Qui autem hoc existimat, cera mollior evadet. Ne mihi solum dixeris fornicationes, vel adulteria et similia, neque alia quæ gravia esse apud omnes in confesso est; verum etiam latentes insidias, calumnias, maledicta, vanam gloriam, invidiam, cæteraque omnia collige Hæc quippe non parvo supplicio plectentur : nam convitiator in gehennam incidet, ebriosusque nihil commune habet cum regno, et qui non amat proximum, sic offendit Deum, ut neque martyrio juvetur. Et qui propinquos negligit, fidem negat, et qui pauperes despicit, in ignem mittitur. Ne parva ergo illa putes, sed omnia collige, et quasi in libro scribe. Nam si tu scripseris, Deus delebit; contra si tu non scripseris, Deus illa describet, pœnasque repetet. Longe porro melius est ut hæc a nobis scribantur, et in cœlis deleantur, quam si, nobis occultantibus, Deus in illo die ante oculos nostros ea deferat. Ne igitur hoc accidat, accurate omnia colligamus, et nos multorum reos deprehendemus. Quis enim ab avaritia mundus est? Ne mihi enim dixeris te mediocriter avarum esse : nam pro modico etiam pœnas dabimus. Hæc cogita et age pœnitentiam. Quis non reus illatæ contumeliæ? et hoc etiam in gehennam conjicit. Quis non occulte de proximo male dixit? et hoc etiam a regno exigit. Quis superbia non intumuit? Hic vero omnium immundissimus est. Quis non impudicis oculis aspexit? Hic porro mœchus omnino est. Quis non sine causa fratri suo iratus est? Hic vero reus est concilio. Quis non juravit? Hoc autem a malo est. Quis non pejeravit? Hic porro plus quam a malo est. Quis non servivit mam-

[1] Isaï. XLIII, 26.

monæ? Hic vero a sincera Christi servitute excidit. Alia his majora proferre possem. Sed hæc satis sunt, et possent ad compunctionem deducere, nisi quis lapideus sit, et omni prorsus sensu careat. Si enim eorum singula in gehennam conjiciunt, quid non facient omnia simul conjuncta? Quomodo igitur, inquies, salutem consequi possumus? Si opposita his remedia adhibeamus, eleemosynam, preces, compunctionem, pœnitentiam, humilitatem, cor contritum, rerum præsentium contemptum. Sexcentas enim salutis vias Deus aperuit, si attendere velimus. Animum adhibeamus ergo, et per hæc omnia curemus vulnera, eleemosynam erogantes, iram in eos qui nos læserunt reprimentes, pro omnibus Deo gratias agentes, pro viribus jejunantes, sincero corde precantes, amicos nobis facientes ex mammona iniquitatis. Sic enim poterimus et veniam peccatorum, et promissa consequi bona, quibus utinam nos omnes dignemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLII.

CAPUT XII.

Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam, et fructum ejus malum. Ex fructu enim arbor cognoscitur [1].

I. Rursus illos pudore afficit, nec sunt illi priora argumenta satis. Hoc autem facit, non ut se a culpa defendat; satis enim essent quæ jam dicta sunt; sed ut illos ad emen-

[1] Matth. XII, 33.

dationem deducat. Quod autem dicit, hoc significat: « Nemo vestrum curatos reprehendit, quasi vere curati non essent, neque dixit malam rem esse a dæmone liberare. » Etiamsi enim admodum impudentes essent, hoc dicere non poterant. Quia ergo opera ipsa traducere non valebant, sed hæc operantem calumniabantur, demonstrat accusationem et cum communi ratiocinio, et cum rerum consequentia pugnare. Quod ingentis impudentiæ est, nempe non modo maligne agere, sed etiam illa comminisci, quæ contra communem omnium mentem pugnant. Ac vide quam extra contentionem sit id quod profert; non enim dicit: « Facite arborem bonam, quoniam fructus ejus bonus est. » Sed egregie illos coërcens, et mansuetudinem suam et impudentiam eorum demonstrans, ait: « Si opera vultis reprehendere, non prohibeo: solum ne de iis, quæ nec consistere, nec consequenter dici possunt, me accusetis. « Sic enim clarius deprehendi poterant contra res manifestissimas impudenter loqui. Itaque frustra malignamini, inquit, nec consequentia loquimini. Nam arborum differentia ex fructu dignoscitur, non autem fructus ab arbore. Vos vero contrarium facitis. Etiamsi enim arbor fructus sit causa, attamen fructus arboris speciem declarat. At consequens erat, ut ipsa opera et nos simul reprehenderetis; vel si opera laudaretis, nos operantes ne incusaretis. Nunc vero contrarium facitis: nam cum opera, quæ sunt fructus, calumniari nequeatis, contrarium contra arborem fertis calculum, dum me dæmoniacum vocatis, quod extremæ est dementiæ. Nam quod prius dicebat, hoc etiam nunc asserit, non posse arborem bonam fructus malos facere, neque malam bonos. Itaque accusationes eorum palam est nihil consequens, nihil secundum naturam rerum habere. Deinde quia non pro se, sed pro Spiritu verba facit, acriter invehitur dicens: « Pro» genies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis

» mali [1]? » Hoc vero simul et accusantis est, et dictorum demonstrationem inde præbentis. Ecce namque vos, inquit, cum sitis arbores malæ, non potestis ferre fructum bonum. Non miror ergo quod talia loquamini; male quippe educati estis, a malis progenitoribus orti, mentemque malam habetis. Et vide quam accurate, nullam præbens illis ansam, accusationes disposuerit. Non enim dixit : « Quomodo potestis bona loqui, cum sitis genimina viperarum? » hoc enim nihil ad illud; sed, « Quomodo potestis bona loqui, mali cum sitis? » Genimina autem viperarum ipsos vocavit, quia de progenitoribus gloriabantur. Ostendens igitur nihil sibi inde lucrum provenire, ex Abrahæ cognatione illos ejecit; progenitores autem ejusdem indolis dat illis, a nobilitate pristina nudatis : nam « Ex abundantia cordis os » loquitur [2]. » Hic quoque rursum Divinitatem suam commonstrat, quæ secreta cognoscat, sciatque ipsos non verborum tantum, sed etiam malarum cogitationum rationem reddituros esse, Deumque ipsas cognoscere. Dicit vero posse etiam homines hæc nosse; quia hæc naturæ consequentia est, ut si intus nequitia superabundet, per oris verba foris effundatur. Itaque cum audieris hominem mala loquentem, non æqualem solum ei nequitiam in ipso inesse putes, quam verba exhibent; sed longe majorem esse conjice. Quod enim extra profertur, intus supereffluit. Videsne quam acriter illos tetigerit? Nam si dicta eorum tam prava sunt, et secundum diaboli mentem, radix et fons quæ sint cogita. Hoc autem sic contingere solet; lingua sæpe pudore detenta, non tantam simul nequitiam effundit : cor autem, cui nullus homo testis adest, sine metu quæcumque velit mala gignit; Deum quippe nihil curat. Quoniam ergo ea quæ dicuntur, in examen veniunt, et omnibus sunt exposita, cor autem latet et quasi umbra ob-

[1] Matth. XII, 34. — [2] Ibid.

volutum est, ideo minora sunt quæ ex lingua proficiscuntur, quæ in corde latent majora. Cum autem ingens copia intus est, tum magno impetu prodeunt illa quæ hactenus occulta erant. At sicut ii qui vomunt, initio videtur exilientes humores vi retinere velle; cum autem vis illa deficit, tunc fœde admodum prodeunt : sic qui pravis consiliis pleni sunt, proximum maledictis impetunt. « Bonus homo, » inquit, ex bono thesauro cordis sui profert bona : et ma» lus homo ex malo thesauro cordis sui profert mala [1]. »

II. Ne putes, inquit, id in malis tantum evenire; in bonis quippe idipsum accidit : etenim major intus virtus est, quam verba exhibeant; unde arguitur illos pejores etiam fuisse, quam verba monstrarent, ipsumque meliorem, quam ex dictis ejus argueretur. Thesaurum autem memorat, magnam copiam indicans. Deinde rursus magnum excitat timorem. Ne putetis, inquit, non ultra procedi, inque facti condemnatione sistendum esse negotium; nam extremas dabunt pœnas quotquot talia perpetrarint. Neque dixit: « Vos; » tum ut omnes erudiret, tum ne onerosior sermo esset. « Dico autem vobis: Omne verbum otiosum, quodcumque » loquentur homines, dabunt de illo rationem in die judi» cii [2]. » Otiosum autem, quod rei non convenit, mendax, sycophantiam continens, imo inane, ut quidam dicunt, quod profusum risum moveat, vel turpe, impudens, illiberale. « Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis » condemnaberis [3]. » Vides-ne non molestum judicium, levesque pœnas? Neque enim ex iis, quæ alius de te dixit, sed ex iis quæ ipse locutus es, judex calculum feret; quod omnium est justissimum. Tu enim et dicendi et non dicendi potestatem habes. Non igitur eos, qui calumniis impetuntur, angi et timere par est, sed eos, qui calumniantur. Neque enim illi coguntur sese purgare, quod male audierint; sed hi, quod

[1] Matth. XII, 35, — [2] Ibid. 36. — [3] Ibid. 37.

male dixerint, ipsisque omne periculum imminet. Quare eos, qui male audierint, nihil curare oportet; neque enim pœnas dabunt pro maledictis aliorum; eos autem, qui maledixerint anxios esse par est et tremere, utpote in judicium hac de re trahendos. Nam diabolicus est laqueus peccatum illud, quod nullam habet voluptatem, sed solummodo damnum. Nam talis homo malum in animo thesaurum deponit. Si vero is, qui pravum habet humorem, in morbum ipse incidit, multo magis ille, qui bile acriorem in se nequitiam thesaurisat, extrema patietur, quia gravem sibi morbum paravit? Idque manifestum est ex iis, quæ ipse eructat. Nam si alios tanto dolore afficit, multo magis animam suam illa parientem? Qui enim insidias parat, seipsum primum occidit: siquidem qui ignem incendit, seipsum comburit; et qui adamantem percutit, sibi ipsi nocumentum parit; ac qui contra stimulum calcitrat, seipsum cruentat. Etenim qui læsus fortiter injuriam ferre novit, is est adamas, stimulus et ignis: qui vero injuriam ferre meditatur, luto imbecillior est. Non ergo injuria affici malum est, sed injuriam inferre, nec posse injuriam ferre. Quantum læsus est David, quantum læsit Saül? Quis ergo fortior beatiorque fuit? quis miserior? nonne is qui læsit? Rem vero perpende. Pollicitus est Saül, si David alienigenam vinceret, se ipsum in generum assumpturum, ac filiam suam illi libentissime daturum[1]. Alienigenam ille occidit: Saül vero pacta violavit; nec modo non dedit filiam (10), sed necem quoque ipsi machinabatur. Quis ergo splendidior fuit? Annon ille mœrore animi et pravo dæmone suffocabatur: hic vero tropæis et gratia divina plus quam sol splendebat? Rursus circa mulierum chorum, nonne ille invidia præfocabatur; hic silentio ferens omnia, omnes attraxit, sibique conjunxit? Cum autem David illum præ manibus habuit, ipsique pepercit,

[1] 1 Reg. XVII, 18.

quis rursum beatus erat, quis miser? Quis imbecillior, quis fortior? Nonne David, qui non illum ultus est, etsi juste posset? Et jure quidem. Nam ille armatos milites habebat, hic justitiam sexcentis exercitibus fortiorem auxiliatricem habuit. Ideoque insidiis injuste impetitus, ne juste quidem voluit hostem occidere. Sciebat enim ex iis, quæ ante acciderant, non eum qui male facit, sed eum qui male patitur, evadere fortiorem: quod et in corporibus et in arboribus videre est. Quid ergo Jacob? annon læsus est a Labano, et male passus est[1]? Quis ergo fortior? An is qui cepit illum, nec ausus est tangere, sed timuit ac tremuit? an hic qui sine armis ac militibus, plus illi formidabilis fuit, quam reges mille fuissent?

III. Ut majorem autem dictorum demonstrationem vobis præbeam, ad ipsum iterum David, sed contrario modo spectatum, sermonem convertamus. Nam hic qui læsus prævaluit, cum læsit postea, imbecillior factus est. Quando igitur Uriam læsit, mutatus est ordo, et imbecillitas in lædentem, virtus autem in læsum transivit[2]: nam mortuus Urias Davidis domum expilavit. Et hic quidem cum rex et in vivis esset, nihil potuit; ille vero cum miles atque interfectus esset, illius omnia subvertit. Vultis-ne ut aliunde rem vobis clariorem efficiam? exploremus eos qui se legitime ulti sunt. Nam eos, qui injuste lædunt, omnium esse vilissimos, qui animam suam lædant, nemini non palam est. Verum quis se juste ultus est, innumeraque excitavit mala, multisque seipsum calamitatibus doloribusque involvit? Davidis dux. Hic enim grave bellum concitavit, et innumera passus est mala, quorum ne unum quidem accidisset, si ipse scivisset philosophari. Fugiamus itaque peccatum illud: ac ne verbis nec factis proximo noceamus. Neque enim dixit: « Si accusaveris et jus dicere compuleris; » sed simpliciter, « Si

[1] Gen. XXXI. — [2] 1 Reg. XI.

male dixeris, etiamsi seorsim, extremas dabis pœnas. Etiamsi id quod tu dicis verum sit, etiamsi ea de re persuasus sis, pœnas tamen dabis. Non enim ex iis, quæ ille fecit; sed ex iis, quæ tu dixisti, sententiam feret Deus. Nam ex verbis tuis condemnaberis, inquit. » Non audis Pharisæum vera locutum esse, omnibusque nota, nec occulta revelasse? sed tamen extremas dedit pœnas. Si vero de iis, quæ perspicua sunt non licet accusare, multo minus de dubiis. Nam judicem habet is qui peccavit. Ne præripias ergo Unigeniti auctoritatem. Illi solium judicii reservatum est. Sed vis judicare? est tibi judicium, multum quæstum præbens, et nulli obnoxium crimini. In conscientia tua rationem statue judicantem, in mediumque adduc omnia peccata tua. Animæ tuæ peccata examina, exacte rationes repete et dic: « Cur hoc et hoc ausus es? » si hæc recuset, et aliorum facta exploret, dic illi: « Non de his te judico, nec de his tete purgare debes. Quid enim ad te si ille malus est? Tu quare hoc et illud peccasti? Defende te, ne accuses: quæ ad te spectant cures, non aliena. Sæpeque illam in hanc concertationem deduc. » Deinde si nihil respondendum habeat, sed subterfugiat, illam flagellis cæde, sicut ancillam superbam et meretricem, et hoc quotidie judicium constitue: describe fluvium igneum, vermem venenosum, aliaque tormenta: nec sinas eam deinde cum diabolo coïre, nec feras impudenter sic loquentem: « Hic advenit, ille insidias struit, ille me tentat. » Sed dic illi: « Si tu nolueris, illa omnia superflua erunt. » Si rursum dixerit: « Corpori colligata sum, in terra versor; carne induta, in mundo sum, » dic illi: « Hæc omnia obtentus sunt. Nam ille carne induebatur, ille in mundo et in terra versans præclare vixit, et tu quoque cum recte agis, carne es induta. » Si hæc audiens angatur, ne subtrahas manum; non enim morietur si percusseris, imo illam a morte liberabis. Si rursum dixerit: « Ille me irritavit; » dic illi: « Sed

licet tibi non irritari, sæpe enim iram superasti. » Si dixerit : « Illius fœminæ pulchritudo me inflammavit, » dic illi : « Sed poteras hoc superare : » affer exempla eorum, qui id superarunt, affer exemplum primæ mulieris, quæ dixit : « Serpens » decepit me [1]; » nec tamen crimine libera fuit.

IV. Cum hæc inquiris, nemo adsit, nemo perturbet : sed quemadmodum judices pone velum sedentes judicant ; sic et tu pro velo tempus et locum quietis quære. Cum post cœnam surgis, et lectum petiturus es, hoc judicium ineas : hoc tempus idoneum est : locus vero, lectus est et thalamus. Illud et Propheta jussit dicens : « Quæ dicitis in cor- » dibus vestris, in cubilibus vestris compungimini [2]. » Parvarum etiam rerum magnas rationes exige, ne unquam ad magnas res accedas. Si hoc quotidie feceris, cum fiducia stabis ante tribunal illud terribile. Sic Paulus purus effectus est ; ideo dicebat : « Si nosmetipsos judicaremus, non » utique judicaremur [3]. » Sic Job filios suos purgabat. Nam qui pro occultis sacrificia offerebat, multo magis pro manifestis rationes expetebat. At nos non ita facimus ; sed omnino secus. Simul enim atque decumbimus, sæcularia omnia in mente versamus ; et alii quidem impuras cogitationes introducunt ; alii fœnora, pacta, et curas fluxas. Cumque filiam virginem habemus, eam accurate servamus : animam vero nobis filia pretiosiorem, sinimus fornicari et pollui, multas illi malas cogitationes immittentes : ac sive avaritiæ amor, sive deliciarum, sive formosorum corporum, sive iræ, sive alius quivis amor intrare voluerit, apertis januis illum excipimus et advocamus, et libere cum illa misceri sinimus. Quo quid magis barbarum, omnium pretiosissimam animam a tot mœchis fœdatam negligere, et tandiu coëuntem donec illi exsatiati fuerint? id quod tamen nunquam erit. Idcirco ubi somnus invadit, tunc tantum absce-

[1] Gen. III, 13. — [2] Psal. IV, 5. — [3] 1 Cor. XI, 31.

dunt; imo ne tunc quidem : nam somnia eadem ipsi simulacra offerunt. Quapropter, illucessente die, quæ illa imaginata est anima, in opus sæpe illarum imaginum ope deducta est. Tu vero in pupillam oculi ne minimum quidem pulveris ingredi sinis, animam vero tantorum malorum congeriem trahere negligenter pateris? Quandonam igitur sordes illas, quas quotidie ingerimus, prorsus deponere poterimus? quando spinas excindere? quando semina jacere? Nescis tu tempus messis instare? Nos vero ne novales quidem adhuc curavimus. Si ergo venerit agricola, et nos incusaverit, quid dicemus? quid respondebimus? An neminem semina dedisse? Atqui illa quotidie jaciuntur. An neminem spinas succidisse? Verum quotidie falcem acuimus. An nos sæcularibus abduci curis et necessitatibus? Et quare non teipsum mundo crucifixisti? Nam si ille malus est qui illud solum reddit, quod sibi datum fuerat, quia non duplicavit summam, qui datum labefactavit, quid audiet? Si ille ligatus eo projectus est ubi stridor dentium, quid nos patiemur, dum sexcentæ res sunt quæ nos ad virtutem trahunt, nosque refugimus et segniter agimus? Quid enim non idoneum sit ad te incitandum? Annon vides quam vilis, quam incerta sit hæc vita? quantus hic labor sit? quantus sudor? Neque enim sic res est, ut virtus cum labore, et vitium sine laboribus adeatur? Si et in hoc et in illo labor est, cur non virtutem eligis quæ tantum quæstum parit? Imo virtutes quædam sunt, quæ nullum habent laborem. Quo labore utendum ut non maledicta proferas, nec mentiaris, nec jures, ut iram proximo remittas? contra vero facere laboriosum est, magnamque affert sollicitudinem. Quæ igitur nobis erit excusatio? quæ venia, qui ne hæc quidem facere velimus? Hinc vero palam est laboriosiora illa per desidiam et socordiam nos fugere. Quæ omnia cogitantes, nequitiam fugiamus, virtutem diligamus, ut et præsentia et futura

bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIII.

CAPUT XII.

Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisæis, dicentes : Magister, volumus a te signum videre. Qui respondit : Generatio prava et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ [1].

I. Quid [2] his stultius? quid magis impium? post tot signa, ac si nullum factum esset, dicunt : « Volumus a te signum » videre. » Cur ergo hæc dicebant? ut carpendi locum iterum haberent. Quia enim ipsos semel, bis et sæpius represserat, et impudentem ipsorum linguam frenarat, ad opera rursus veniunt : quod admirans Evangelista rursus dicebat : « Tunc responderunt ei quidam Scribarum signum peten- » tes. » Tunc, quandonam? Cum morem gerere, mirari, ostupescere, recedere oportebat, tunc a nequitia non absistunt. Consideres autem velim verba adulatione et derisione plena. Expectabant enim hac ratione se illum pellecturos esse. Et nunc quidem contumelia afficiunt, nunc autem adulantur, nunc dæmoniacum vocant, nunc magistrum, utrumque malo animo, etiamsi contraria dicta sint. Ideo in illos vehementer invehitur. Quando autem illum aspere interrogabant, et contumelia afficiebant, moderate cum illis loquebatur; cum autem adulabantur, acriter et cum multa

[1] Matth. XII, 38, 39. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 221-225.

vehementia, ostendens se utroque illo affectu esse superiorem : ac neque tunc in iram concitatur, neque ex adulatione delinitur. Vide autem objurgationem quæ non solum criminatio sit, verum etiam demonstratio nequitiæ eorum. Quid enim ait? « Generatio mala et adultera signum quæ» rit ; id est, « Quid mirum si hæc adversum me facitis, qui adhuc vobis notus non sum, quando erga Patrem, cujus potentiæ tanta experimenta habuistis, idipsum fecistis? Nam illo relicto, ad dæmonas currebatis, amatores pravos attrahentes, quod frequenter illis Ezechiel probro vertit[1]. » Hæc autem dicebat ostendens se cum Patre consentire, ipsosque nihil insolitum facere; arcanaque mentis ipsorum revelat, quod nempe cum simulatione atque ut inimici id peterent. Idcirco illos generationem pravam vocat, quia ingrati semper sunt erga beneficos; et si bene cum illis agitur, pejores fiunt, quod est extremæ improbitatis; adulteram vero vocavit, et priorem et præsentem incredulitatem significans; unde iterum ostendit se Patri æqualem esse, siquidem id illam adulteram facit, quod sibi non credat. Deinde post hæc convitia quid ait : « Nec signum dabitur ei, nisi signum » Jonæ prophetæ. » Jam sermonem de resurrectione præmittit, exque figura confirmat. Quid igitur, inquies, nonne signum datum est ei? Non datum est petenti. Non enim ut illos induceret, signa faciebat : sciebat enim illos excæcatos esse ; sed ut alios emendaret. Vel hoc dicendum est, vel sic, ipsos nempe signum non accepturos esse illi simile. Signum quippe datum illis est, quando castigati ejus potentiam noverunt. Hic itaque minas intentans loquitur, hoc ipsum subindicans, ac si diceret : « Sexcenta beneficia contuli, nullum eorum vos attraxit : neque voluistis potentiam meam adorare. Per contraria ergo cognoscetis fortitudinem meam, cum urbem excisam videritis, quando destructos

[1] Ezech. xvi.

muros, quando templum macericm effectum, quando ex civitate et ex libertate pristina excideritis; et rursus extorres et profugi ubique errabitis. Hæc quippe omnia post crucem facta sunt. Hæc ergo vobis pro signis magnis erunt. Nam certe maximum illud est signum, quod mala ipsorum immota maneant, quod innumeris conantibus, nemo possit mederi malis quæ in ultionem ipsis immissa sunt. » Sed hæc quidem ille non dicit, verum relinquit ea ut insequenti tempore ipsis clara evadant; interim vero resurrectionis sermonem tractat, quem scituri erant per mala ipsos postmodum invasura. « Sicut enim fuit Jonas, inquit, in ventre » ceti tribus diebus et tribus noctibus [1], sic erit et Filius ho» minis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus [2]. » Se resurrecturum clare non dixit, ne se irriderent, sic autem subindicavit, ut credere possent se illud præscivisse. Quod porro nossent, dixerunt ad Pilatum: « Seductor ille » dixit dum adhuc viveret : Post tres dies resurgam [3]. Quanquam Discipuli hoc ignorarent, nam antea rudiores illis erant : quapropter hi ex sua ipsorum sententia damnati sunt.

II. Vide autem quomodo illud accurate subindicet. Non enim dixit : « In terra, » sed, « In corde terræ ; » ut et sepulcrum indicaret, et nemo hæc specie tantum fact suspicaretur (11). Tres autem dies ideo concessit, ut mortuum fuisse illum crederetur. Non enim ex cruce tantum id confirmatur et ex visu omnium, sed etiam ex dierum numero. Nam resurrectioni fidem facere debebat tempus omne sequens. Crux vero nisi multa tunc habuisset testimonia, non credita fuisset : si non crux, nec resurrectio credita fuisset. Ideo signum vocat illud. Si autem crucifixus non fuisset, non dandum foret signum. Ideo figuram in medium adducit, ut veritas credatur. Dic mihi, quæso, an phanta-

[1] Jonæ II, 1. — [2] Matth. XII, 40. — [3] Id. XXVII, 63.

sia erat Jonas in ventre ceti? Verum id diceren on possis : ergo neque Christum in corde terræ fuisse neges. Neque enim typus in veritate et veritas in phantasia est : ideo ubique mortem ejus annuntiamus, in mysteriis, in baptismate, in aliis omnibus. Idcirco et Paulus splendida voce clamat : « Mihi autem bsit gloriari nisi in cruce Domini » nostri Jesu Christi [1] : » unde manifestum est diaboli filios esse eos, qui Marcionis morbo laborant, cum illa deleant, quæ ne abolerentur summo studio Christus curavit, quæ ut abolerentur summo studio diabolus conatus est ; crucem dico et passionem. Quamobrem alibi dicit : « Solvite tem- » plum hoc, et in tribus diebus excitabo illud [2] ; » et, « Erunt » dies quando auferetur ab ipsis sponsus [3] ; » et hic, « Non dabi- » tur illis signum, nisi signum Jonæ prophetæ, » declarans se pro illis passurum, et illos nihil inde lucri accepturos esse : hoc enim postea declaravit, et tamen cum hæc sciret, mortuus est : tanta erat ejus providentia. Ne putes enim Judæorum tales exitus futuros, quales fuere Ninivitarum, ac fore ut illi convertantur : ac quemadmodum illorum urbem jam labantem erexit, barbarosque convertit, sic et Judæos post resurrectionem convertendos esse, audi quomodo contrarium prorsus declaret. Nam quod inde nihil fructus percepturi sint in beneficium, sed et intolerabilia passuri, id deinde declaravit ex dæmonis exemplo. Interim vero de iis, quæ passuri erant sese, purgat, ostendens eos juste passuros esse. Calamitates autem et desolationem eorum hoc exemplo repræsentat ; interim vero declarat illos hæc juste passuros esse : id quod etiam in veteri lege faciebat. Nam Sodoma destructurus, apud Abrahamum prius sese purgavit [4], ostendens quam pauci ibi virtuti studerent, cum enim in tot urbibus ne decem quidem reperirentur qui temperanter

[1] Gal. VI, 14. — [2] Joan. II, 19. — [3] Matth. IX, 15. — [4] Gen. XVIII.

viverent : itemque cum Loto inhospitalitatem ipsorum turpissimosque amores demonstrasset, ignem immisit. Idipsum fecit in diluvio, cum ex ipsis operibus causam suam defendisset ; et apud Ezechielem similiter, cum Babylone degenti, quæ Jerosolymis fierent mala ante oculos posuit[1] ; itemque cum Jeremiæ dicebat : « Noli pro ipsis orare[2], » ut causam suam defenderet, dixit : « Annon vides quid isti » faciunt[3] ? » sic et hoc loco. Quid enim ait : « Viri Ninivi- » tæ surgent, et condemnabunt generationem istam, quia » pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ : et ecce plus » quam Jonas hic[4]. » Ille namque servus erat, ego Dominus. Ille ex ceto exiit, ego ex morte surrexi ; ille excidium prædicavit, ego regnum annuntians veni. Et illi quidem absque signo crediderunt, ego vero multa exhibui signa. Illi nihil aliud quam illa verba audierunt, ego vero nullam non adhibui philosophiæ speciem. Ille minister advenit ; ego ipse dominator et omnium dominus veni, non comminans, non rationes expetens, sed veniam afferens. Et illi quidem barbari, hi vero cum sexcentis Prophetis versati sunt. De illo nullus prædixerat, de me omnes prædixerunt, et opera verbis consona fuere. Ille fugit abiitque ne derideretur, ego adveni etsi scirem et crucem et irrisiones passurum me esse. Illi ne opprobrium quidem tulit pro iis qui servati et liberati sunt, ego mortem sustinui, mortemque turpissimam, et post hæc alios mitto. Et ille quidem extraneus erat et ignotus ; ego secundum carnem iisdem progenitoribus ortus sum. Plura alia quis disquirendo congerere possit.

III. Ipse vero non hic gradum sistit, sed aliud proponit exemplum dicens : « Regina Austri surget in judicio cum » generatione ista et condemnabit eos : quia venit a finibus » terræ ut audiret sapientiam Salomonis : et ecce plus quam

[1] Ezech. v. — [2] Jer. vii, 16. — [3] Ibid. 17. — [4] Matth. xii, 41.

» Salomon hic [1]. » Hoc priore majus est. Nam Jonas ad Ninivitas abiit; regina vero Austri non expectavit ut Salomon ipsam adiret, sed illa ipsum adiit, etsi et mulier et barbara, tantoque spatio remota esset; non minis instantibus, non mortem timens, sed solo sapientium verborum amore. « Sed ecce plus quam Salomon hic. » Illic enim mulier advenit, huc ego veni. Illa a finibus terræ profecta est, ego urbes et vicos circumeo. Et ille quidem de arboribus et plantis disserebat, quæ non multum illam se adeuntem juvare poterant, ego vero de ineffabilibus rebus et tremendis mysteriis. Postquam ergo illos damnavit, ostendens ab omni venia longe alienos esse, illorumque inobedientiam ex ingrato illorum animo, non ex doctoris imbecillitate proficisci : hocque tum ex aliis multis, tum exemplo Ninivitarum et reginæ commonstravit, tunc supplicium ipsos excepturum ænigmatice commemorat, multum in narrando terrorem inferens. Nam ait : « Cum immundus spi» ritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens » requiem, et non inveniens, dicit : Revertar in domum » meam unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, sco» pis mundatam et ornatam. Tunc vadit, et assumit secum » alios septem spiritus nequiores se, et intrantes habitant » ibi : et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic » erit et generationi huic [2]. » Hinc ostendit illos non in futuro tantum sæculo, sed etiam in præsenti gravissima passuros esse. Nam quia dicebat Ninivitas insurrecturos in judicio et hanc generationem condemnaturos, ne ob temporis diuturnitatem id contemnerent, et negligentiores evaderent, hac in vita gravia mala ipsis subeunda statuit. Quod comminando Osee propheta dicebat : « Erunt ut Propheta » in mentis excessu, ut homo a spiritu correptus [3]; » id est sicut pseudo-prophetæ furentes, debacchantes, a malignis

[1] Matth. XII, 42. — [2] Ibid. 43-45. — [3] Osee IX, 8.

spiritibus agitati. Nam hic Prophetam intelligit mente captum, pseudo-prophetam, quales sunt vates. Hoc ipsum Christus significans dicit ipsos extrema passuros esse. Vides-ne quo pacto ipsos undique impellat ut dictis attendant, a præsentibus, a futuris, ab iis qui bene rem gesserunt, a Ninivitis, inquam, et a regina, ab iis qui collapsi sunt, Tyriis et Sodomitis. Quod etiam Prophetæ faciebant, filios Rechabin inducentes et sponsam quæ ornatus proprii, et zonæ suæ non obliviscitur, et bovem qui novit possessorem, et asinum qui præsepe novit[1]. Sic et hoc loco a comparatione ingratum illorum animum declarans, supplicium deinceps prænuntiat. Quid igitur est id quod dicitur? Sicut dæmoniaci, inquit, cum liberantur ab infirmitate sua, si negligentiores fiant, graviorem sibi attrahunt phantasiam; sic etiam vos facitis. Etenim antehac a dæmone detinebamini, cum idola adoraretis, et filios vestros immolaretis dæmoniis, magnam exhibentes insaniam. Nec tamen dereliqui vos, sed per Prophetas ejeci dæmonem illum, et ipse rursus veni, ut vos curarem. Sed quia non vultis attendere, verum in majorem nequitiam prorupistis; etenim multo gravius deteriusque est ipsum Dominum jugulare, quam Prophetas occidere; ideo graviora prioribus patiemini, nempe iis quæ passi estis Babylone, in Ægypto et sub Antiocho. Nam longe iis asperiora acciderunt, Vespasiano et Tito ducibus: quapropter dicebat: «Erit tribulatio magna, » qualis nunquam fuit, neque erit postea[2]. » Neque id solum hoc exemplo significabatur; sed etiam fore ipsos omni virtute vacuos, et a dæmonibus facilius quam ante invadendos. Nam tunc etsi peccarent, at erant inter eos virtutis cultores, aderat Dei providentia, spiritusque gratia ipsis providens, ipsos emendans, suaque omnia præstans. Nunc autem, ait, providentia illa prorsus vacui erunt; ita ut ma-

[1] Isaï. 1, 3. — [2] Matth. XXIV, 21.

jor sit nunc virtutis raritas, calamitatis vis, et dæmonum tyrannica potestas. Nostis certe in generatione hac, cum Julianus fureret, quomodo Judæi sese cum gentilibus jungerent, et illorum mores sectarentur. Itaque etiamsi nunc tantillum moderatiores videantur esse, quia imperatorum metu quiescunt : certe nisi hoc esset, multo graviora quam ante ausi fuissent. Nam in aliis operibus malis priscos illos superant, in præstigiis, maleficis artibus, et in lascivia, omnia istæc supra modum exercentes, etiam in aliis, etsi hoc freno detineantur. Sæpe seditiones moverunt, contra imperatores insurrexerunt, ita ut in extrema delaberentur mala.

IV. Ubinam ergo sunt illi qui signa quærunt? Sciant probo et grato opus esse animo : qui nisi adsit, signorum nulla erit utilitas. Certe Ninivitæ absque signis crediderunt. Hi vero post tot miracula pejores sunt effecti, seque innumerorum dæmonum domicilium constituerunt, et sexcentas sibi pepererunt calamitates, jure illatas. Cum enim quis a malis liberatus non resipiscit, longe graviora prioribus patietur. Ideo enim dixit : « Non invenit requiem ; » ut ostendat dæmonum insidias hunc necessario correpturas esse. Nam ab his duobus ad sanam mentem reduci oportuisset, et quod passi, et quod liberati essent ; imo tertium quoque adest, nempe comminatio ne quid deterius contingat. Attamen ex nullo eorum meliores evaserunt. Hæc vero non ad illos tantum, sed etiam ad nos dicta fuisse opportune credamus ; quando illuminati et a priscis erepti malis, rursus eidem nequitiæ hæremus. Nam ob admissa post hæc peccata graviori ultione plectemur. Ideo paralytico dicebat Christus : « Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, » ne quid tibi deterius contingat[1] : » et hæc homini dicta sunt, qui triginta octo annis æger fuerat. Ecquid, inquies, gravius passurus erat, quam antea? Longe pejora et gra-

[1] Joan. v, 14.

viora. Absit enim ne tanta patiamur, quanta pati possumus. Neque enim Deo supplicia desunt. Nam ut magna misericordia ejus, ita et gravis est ira ejus. Hac de re Jerosolymam apud Ezechielem accusat. « Vidi enim te, in» quit, pollutam sanguine, et lavi et unxi, et factum est tibi » nomen in pulchritudine tua, et fornicata es cum finitimis » tuis [1]. » Ideo graviora tibi peccanti minatur. Hinc vero non supplicium tantum, sed immensam Dei patientiam tecum reputa. Sæpe namque in eadem mala delapsi sumus, et adhuc ille nos tolerat. Verum ne confidamus, sed potius timeamus. Etenim Pharao, si ex prima plaga resipuisset, non sequentes expertus, nec postea cum toto exercitu demersus fuisset. Hæc autem dico, quia multos novi nunc sicut Pharao dicentes : « Non novi Deum, » qui luto et lateribus subditos suos addicunt, quot homines, jubente Deo, minas remittere, ne laborem quidem relaxare volunt? Verum non est jam Rubrum mare trajiciendum. Sed pelagus ignis est, pelagus non cum illo conferendum, sed multo majus et acerbius, cujus fluctus ignis sunt; ignis certe novus et horrendus. Abyssus illic magna est flammæ gravissimæ. Ibi enim ignem semper circumcurrere videre est, feræ immanissimæ similem. Si enim ille sensilis et materialis ignis, quasi fera ex fornace exiliens, insiliit in eos qui extra fornacem erant, dum tres pueri intus essent, quid non faciet ignis ille iis, qui in illum incident? Audi Prophetas de illo die loquentes : « Dies Domini incurabilis, furore » et ira plenus [2]. » Nemo enim erit qui astet, nemo qui eruat, nusquam ibi Christi faciem mitem et serenam conspicies. Sed quemadmodum ii, qui metalla tractant, acerbis traduntur hominibus, neminemque amicorum, sed eos tantum qui præsunt, vident, sic et tunc; imo non sic, sed longe horribiliore modo. Istic enim imperatorem possumus

[1] Ezech. xvi, 6. — [2] Isaï. xiii, 6.

adire et rogare, et sic damnatum solvere. Illic vero secus. Nulla enim remissio; sed manent in tanto cruciatu et dolore, qui non possit exprimi. Nam si eorum, qui hic comburuntur, acutos dolores nullus potest sermo describere, multo minus illi verbis exprimi possunt. Hic enim brevi tempore totum perficitur. Illic vero qui uritur, non consumitur. Quid igitur ibi faciemus? Me ipsum quippe alloquor. Si tu, inquies, doctor te ipsum alloqueris, nulla mihi cura superest. Quid enim mirum si et ego plectar? Ne, quæso, ne quis hanc quærat consolationem. Neque enim ullum ibi solatium. Annon, quæso, incorporea virtus erat diabolus? Nonne præstantior hominibus? Attamen lapsus est. An vero quispiam hinc consolationem accipiet quod cum illo crucietur? Nequaquam. Quid porro Ægyptii illi omnes? Annon præfectos etiam plexos viderunt? et domos singulas in luctu? An ideo consolationem acceperunt, vel respirarunt? Minime certe: id quod liquidum est ex iis, quæ postea fecerunt, quasi flamma quadam flagellati regem adierunt, et Hebræorum populum emittere coëgerunt. Frigida certe consolatio cruciati, quod cum aliis puniatur, quod possit dicere, eadem conditione sum qua alii. Sed quid de gehenna loquor? Cogita eos, qui podagra laborant: qui cum acutis doloribus cruciantur, etiamsi sexcentos ostendas graviora patientes, ne attendere quidem volunt. Vis quippe doloris ne locum quidem sinit ut alios cogitent, hincque consolationem accipiant. Ne itaque hac frigida spe alamur; consolatio quippe illa ex ejusdem mali consortibus parta, in mediocri tantum ærumna locum habet. Quando autem major est cruciatus, et interiora tot fluctibus agitantur, ut ne seipsam possit anima cognoscere, undenam consolationem accipiet?

V. Itaque ridicula sunt hæc omnia verba, et puerorum insipientium fabulæ. Nam id, quod dicis, in mœrore mediocri locum habet, cum alium idipsum pati audimus; imo

nonnunquam ne in mœrore quidem; multoque minus in cruciatu illo ineffabili, quem stridor dentium exprimit. Novi certe hæc dicens me vobis oneri ac dolori esse. Sed quid faciam? Vellem non hæc dicere, sed et me et vos omnes virtutem colentes conspicere. Quia vero plerique nostrum in peccatis degimus, quis mihi dederit, ut vos in dolorem conjiciam, auditorumque animum tangam? Tunc utique finem dicendi facerem. At nunc timeo ne quipiam dicta contemnant; neve ob audientium negligentiam majus supplicium evadat. Neque enim si hero minas intentante, servorum quis contemnat, impune fuerit, imo hæc majoris supplicii causa erit. Quamobrem rogo, de gehenna audientes compungamur. Nihil enim dulcius hoc sermone, quia rebus ipsis nihil amarius. Et quomodo dulce fuerit, inquies, de gehenna audire? Quia injucundum est in gehennam incidere, quod malum amovent verba illa, quæ videntur onerosa; aliam vero præstant voluptatem, quod videlicet animum convertant, et ad pietatem traducant, mentem sublimiorem, ratiocinium expeditius efficiant, a concupiscentiis obsessam animam liberent: hæc vere medicina est. Quapropter concedite mihi ut postquam de supplicio dixi, de pudore etiam ac dedecore dicam. Nam sicut Ninivitæ tunc Judæos condemnabunt, sic et nos multi condemnabunt, qui nunc videntur longe inferiores esse. Cogitemus ergo quantus risus, quantæ damnationes erunt. Cogitemus, initium ducamus, januam aperiamus ad pœnitentiam. Me ipsum alloquor, me primum hortor: nemo ut damnatus irascatur: angustam viam adeamus. Usquequo deliciæ? usquequo oscitantia? Non satiamur desidia, ridentes, procrastinantes? An eadem semper erunt, mensa, satietas, sumptuositas, pecuniæ, possessiones, ædificia? Ecquis eorum finis? Mors. Quis finis? cinis, pulvis, loculi, vermes. Novam ergo vitam exhibeamus. Faciamus terram

cœlum. Hinc ostendamus gentilibus quot careant bonis. Nam cum nos videbunt recte vitam agentes, eodem aspectu regnum cœlorum conspicient. Cum nos viderint modestos, vacuos ira, concupiscentia mala, invidia, avaritia, in omnibusque probos, dicent : « Si hic Angeli fiunt Christiani, quales erunt post excessum ex hac vita? Si ubi peregrini sunt, ita fulgent; cum patriam recipient, quales erunt? Sic et illi meliores evadent, et pietatis sermo curret, non minus quam Apostolorum ævo. Nam si illi, cum duodecim solum essent, civitates integras, regionesque converterunt : si omnes ex accurata vitæ ratione doctores efficiamur, cogita quantam ad sublimitatem nostra sint ascensura. Neque enim gentilem sic attrahit mortuus redivivus, ut vir philosophice vivens. Ad illud enim spectaculum stupebit, ad hoc autem lucrum faciet. Illud factum est et transiit, hoc manet, et semper illius animam excolit. Curam ergo nostri agamus, ut et illos lucremur. Nihil onerosum loquor : non dico : « Ne uxorem ducas, urbes relinque, a rebus urbanis te remove : sed, in his versans virtutem exhibe. » Mallem quippe eos, qui in mediis urbibus versantur, virtute florere, quam eos qui montes occupant. Quare? Quia hinc multum lucri accedit. « Nemo enim lucernam accendit, » et ponit eam sub modio [1]. » Idcirco vellem omnes lucernas supra candelabra esse, ut multa lux effunderetur. Accendamus itaque ignem illum, id efficiamus ut ii qui in tenebris sedent, ab errore liberentur. Ne mihi dicas : « Uxorem habeo, filios, domum, nec possum hæc præstare. » Etiamsi enim horum nihil haberes, si segnis esses, omnia pariter abscederent; si hæc omnia habeas, strenuusque sis atque probus, virtutem coles. Unum quæritur, animæ generosæ alacritas : et nec ætas, nec paupertas, nec divitiæ, nec moles negotiorum, vel quidquam aliud, impedimento

[1] Matth. v, 15.

erunt. Nam senes, juvenes, conjugati, liberos educantes, artifices, milites, præcepta omnia impleverunt. Etenim Daniel juvenis erat, Joseph servus, Aquila artem exercebat, Purpuraria officinæ præerat; alius custos carceris erat, alius centurio ut Cornelius, alius infirmus ut Timotheus, alius fugitivus ut Onesimus. Sed nihil horum cuipiam eorum obfuit, quin recte vitam instituerent, et juvenes et senes, et servi et liberi, milites et idiotæ. Ne itaque vanos quæramus obtentus, sed propositum voluntatis paremus optimum. Cujusvis conditionis simus, virtutem omnino capessamus, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria et imperium, honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIV.

CAPUT XII.

Adhuc autem eo loquente ad turbas, ecce mater et fratres ejus stabant foris quærentes ei loqui. Dixit autem quidam ei : Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes tibi loqui. Ipse autem respondens dicenti sibi ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in Discipulos suos dixit : Ecce mater mea, et fratres mei [1].

I. Quod [2] nuper dicebam sine virtute omnia superflua esse, hoc nunc apertissime demonstratur. Dicebam ego ætatem, naturam, deserti habitationem, cæteraque hujus-

[1] Matth. XII, 46-49. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 221-225.

modi inutilia esse, si voluntatis propositum non sit bonum. Hodie vero aliquid amplius discimus, ne quidem Christum peperisse et mirabilem illum partum edidisse, aliquid utilitatis habere sine virtute. Id vero hinc maxime liquidum est; nam dicit : « Adhuc eo loquente ad turbas, dixit quidam ei : Mater tua et fratres tui quærunt te. Ille vero » dixit : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? » Hoc autem dicebat, non quod de matre puderet, nec quod genitricem negaret : si enim id illi pudori fuisset, non per uterum illum transisset; sed ut ostenderet nihil hinc matri utilitatis proventurum fuisse, nisi præcepta omnia servasset. Nam quod illa fecit ex ambitione proficiscebatur : volebat enim populo sese ostentare ac si imperaret filio, de quo nihil adhuc magnum imaginabatur, ideoque importune accessit. Vide ergo et ejus et fratrum arrogantiam. Cum oporteret enim ingressos audire cum turba, vel si id nollent, expectare concionis finem, et tunc accedere, a foris vocant cum in conspectu omnium, superfluamque exhibent ambitionem, ut ostendant se illi magna cum potestate imperare. Quod etiam Evangelista incusando declarat; hoc ipsum enim subindicans dixit : « Adhuc eo loquente ad » turbas ; » ac si diceret : « Annon aliud tempus erat? annon poterant seorsim alloqui? Quid porro loqui volebant? Nam si de veritate doctrinæ dicturi erant; hæc palam et coram omnibus proferre oportuit, ad aliorum quoque utilitatem; si de aliis ad res suas spectantibus, non sic instare par erat. Nam si illi patrem sepelire non permisit ne sequi se intermitteret; multo minus concionem rumpere debuit pro rebus nullius momenti. Quare palam est eos solum ex vana gloria illud egisse, quod significans Joannes dicebat : « Ne» que fratres ejus credebant in eum[1]. » Illorumque dicta refert admodum insana, dicens ipsos traxisse illum Jero-

[1] Joan. VII, 5.

solymam, non ob aliam causam, quam ut ex ejus signis gloriam captarent. Nam, inquiunt : « Si hæc facis, ostende » teipsum mundo. Nemo quippe in occulto quid facit, et » quærit ipse palam fieri. » Ipse vero illos increpavit, carnalem illorum culpans animum. Quia enim Judæi exprobrantes ipsi dicebant : « Nonne hic est fabri filius? cujus » nos scimus patrem et matrem? et fratres ejus nonne apud » nos sunt[1]? » ignobilitatem generis vituperantes; propterea ipsum ad signorum ostentationem vocabant ; ideo ipsos depellit, volens ab hac animi ægritudine liberare : qui si matrem negare voluisset, tunc negasset cum id ipsi Judæi opproprio verterent. Nunc autem tantam ejus curam exhibet, ut eam in cruce Discipulo, quem maxime omnium diligebat, commendaret, magnamque ejus sollicitudinem exhiberet. At nunc non similiter facit, ut illi et fratribus suis recte consuleret : quia enim illum nudum hominem censebant, atque inani gloria agebantur, morbum illum depellit, non ad contumeliam, sed ad emendationem. Tu vero ne verba illa tantum perpendas, quæ moderatam continent increpationem; sed etiam importunitatem audaciamque fratrum, ac quis sit ille qui increpat. Non enim nudus homo, sed unigenitus Dei Filius, et quid volens increpaverit. Non enim ut illam in dubium conjiceret, sed ut a tyrannico morbo liberaret, ac paulatim induceret ad congruentem de se opinionem, suaderetque ipsi se non modo filium ipsius esse, sed etiam Dominum. Videbisque increpationem admodum et sibi congruentem, et matri utilem, simulque valde mansuetam. Neque enim dixit : « Abi, dic matri illam meam non esse matrem; » sed loquenti respondet his verbis : « Quæ est mater mea? » cum supra dictis aliud etiam efficiens. Quidnam illud? Ut neque illi, neque alii cognationi fidentes, virtutem negligerent. Nam si illam

[1] Matth. XIII, 55, et Marc. VI, 3.

nihil juvabat quod mater esset, nisi esset virtuti addicta, vix ac ne vix quidem alius ratione cognationis salutem consequetur. Sola quippe nobilitas est voluntatem Dei facere. Hic nobilitatis modus melior et præstantior est illo.

II. Hæc ergo cum sciamus, nec de filiis virtute claris altum sapiamus, nisi eadem qua illi virtute præditi simus, neque de generosis probisque patribus, nisi similes illis fuerimus. Potest enim fieri ut qui genuit, pater non sit, et qui non genuit pater sit. Quapropter alibi cum mulier quædam diceret : « Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ » suxisti [1]; » non respondit ille : « Nullus me venter portavit, nulla suxi ubera, » sed : « Quinimo, beati qui faciunt vo- » luntatem Patris mei [2]. » Vides-ne quomodo non uspiam neget naturalem hanc cognationem, sed addat illam affinitatem, quæ secundum virtutem est. Præcursor quoque cum dicit : « Genimina viperarum, ne videamini dicere: » Patrem habemus Abraham [3], » non declarat eos non esse secundum naturam ex Abrahamo ortos; sed nihil illis prodesse quod ex Abrahamo sint orti, nisi etiam morum cognationem haberent : quod etiam Christus declarat his verbis : « Si filii Abrahæ essetis, opera utique Abrahæ fa- » ceretis [4] : » non eos a carnali cognatione removens, sed docens aliam hac majorem ac veriorem esse quærendam. Hoc etiam hic facit, sed moderatius et lenius : nam de matre sua sermo habebatur. Neque enim dixit : « Non est mater mea, neque illi fratres sunt, quia non faciunt voluntatem meam ; » neque sententiam tulit vel condemnavit : sed in arbitrio ipsorum reliquit ut id vellent, loquens cum mansuetudine sibi congruenti. « Qui enim facit, inquit, vo- » luntatem patris mei, ille meus frater et soror et mater » est [5]. » Quare, si sic etiam esse volunt, hanc ineant viam.

[1] Luc. xi, 27. — [2] Ibid. 28. — [3] Matth. vii, 9. — [4] Joan. viii, 39. — [5] Matth. xii, 50.

Et cum clamavit mulier dicens : « Beatus venter qui te por-» tavit, » non dixit : « Non est mater mea ; » sed « Si vult esse beata, voluntatem patris mei faciat. Nam qui talis est, et frater, et soror, et mater est. » Papæ, quantum honoris ! Papæ, quanta est virtus ! Ad quantum culmen se adeuntem erigit ! Quot mulieres beatam dixerunt sanctam illam Virginem, ejusque uterum, et optarunt tales esse matres cæteraque abjicere? Quid ergo prohibet? Ecce latam viam nobis aperit, et licet non mulieribus modo, sed etiam viris in tali locari ordine ; imo et in longe majori. Id enim longe magis matrem facit, quam partus. Itaque si beatum est illud, multo majus et verius hoc, utpote optabilius. Ne igitur solum desideres : sed et viam, quæ te ad rem desideratam ducit, capesse cum magno studio. « Hæc ergo cum » dixisset exivit de domo. » Vidistis-ne quomodo et increpavit, et fecit id quod desiderabant? Quod etiam in nuptiis fecit. Nam et illic increpavit intempestive petentem, neque tamen postulatum negavit, tum ut imbecillitati mederetur, tum ut suam erga matrem benevolentiam exhiberet. Sic et hoc loco inanis gloriæ morbum sanavit, et debitum matri honorem præstitit, licet illa inopportuna peteret. « In illo die, ait, exiens Jesus e domo, sedebat » secus mare [1]. » Nam si vultis, inquit, videre et audire, jam exeo ut disseram. Quia enim signa multa faciebat, rursus ex doctrina prodest. Et sedens secus mare, terrenos homines piscabatur. Sedit vero secus mare, non sine causa. Atque hoc ipsum subindicans posuit Evangelista : ut enim ostenderet se accurate velle theatrum congregare, se hoc situ posuit, ut neminem a dorso haberet, sed omnes ad se conversos. « Et congregatæ sunt, inquit, ad eum turbæ » multæ ; ita ut in naviculam ascendens sederet ; et omnis » turba in littore stabat [2]. » Ibi vero sedens per parabolas

[1] Matth. XIII, 1, — [2] Ibid. 2.

loquitur. «Et locutus est eis, inquit, multa in parabolis[1]. » Atqui in monte non ita fecit, neque per tot parabolas sermonem contexuit : tunc turbæ solum erant, et plebs rudis; hic vero et Scribæ et Pharisæi. Tu vero mihi animadverte quam primam ponat parabolam, et quomodo illas Matthæus per ordinem ponat. Quam ergo primam dicit? quam maxime primam dicere oportebat, quæ auditorem reddat attentiorem. Nam quia ænigmatice prædicaturus erat, auditorum animum primo per parabolam excitat. Ideo alter Evangelista ait sic increpasse illos, quod non intelligerent. « Quomodo non nostis parabolam? » Nec ideo solum in parabolis loquitur, sed ut majore cum emphasi verba faceret, et magis memoriæ imprimeret, resque sub aspectum poneret. Sic et Prophetæ faciunt.

III. Quæ est ergo parabola? « Ecce exiit qui seminat » seminare[2]. » Unde exiit qui ubique præsens est, qui omnia implet? Quomodo exiit? Non loco, sed habitu et dispensatione qua nostra curavit, propior nobis factus ob amictum carnis. Quia enim nos ingredi non poteramus, quod peccata nostra nobis aditum intercluderent, ipse ad nos egreditur. Et cur egressus est? Ut perderet terram spinis plenam? ad puniendos agricolas? Nequaquam, sed ad excolendam curandamque terram, et ad seminandum pietatis sermonem. Semen quippe hic doctrinam dicit : arvum vero hominum animas, seminatorem se ipsum. Quid igitur fit de hoc semine? Tres pereunt partes, una servatur. « Et » dum seminaret, alia, inquit, cecidere secus viam et vene- » runt volucres cœli, et comederunt ea[3]. » Neque dixit se jecisse, sed cecidisse semen. « Quædam vero super petrosa, » ubi non habebant terram multam, et continuo exorta » sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem » orto æstuaverunt, et quia non habebant radicem, aruc-

[1] Matth. XIII, 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 4.

»runt. Quædam autem ceciderunt inter spinas, et creve»runt spinæ, et suffocaverunt ea. Quædam vero in terram »bonam, et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexa»gesimum, aliud trigesimum. Qui habet aures audiendi, »audiat[1]. » Quarta pars servata est; neque illa æqualiter, sed etiam hic magnum discrimen est. Iis significat se affatim omnibus loqui. Sicut enim is, qui seminat, non distinguit arvum, sed simpliciter et indiscriminatim semina mittit; sic et ille non divitem, non pauperem distinguit, non sapientem, non insipientem, non segnem, non studiosum, non strenuum, non timidum, sed omnibus loquebatur, quæ sua erant implens, etiamsi futura præsciret : ut dicere posset : « Quid me oportuit facere, et non feci[2] ? » Et Prophetæ quidem de populo quasi de vinea loquuntur. « Vinea enim facta est dilecto[3], inquit; » et : « Vineam de »Ægypto transtulit[4] » Ille vero quasi de semine. Quid autem significat? Promptam nunc fore obedientiam, et faciliorem, et cito fructum daturam. Cum autem audis : « Exiit »qui seminat seminare, » non idem iterari putes. Sæpe enim qui seminat egreditur ad aliam rem; vel ut novales sulcet, vel ut malas plantas reseret, vel ut spinas evellat, vel aliud quid simile efficiat. Ipse vero ad seminandum egressus est. Undenam, quæso, factum est, ut maxima pars seminis periret? Non ex seminante id ortum est, sed ex terra semen excipiente, id est, ex anima non audiente. Et qua de causa non dicis inertes alia semina suscepisse, eaque perdidisse; alia divites, et ea suffocasse; alia molles, eaque prodidisse? Non vult eos vehementius insectari, ne in desperationem conjiciat, sed illud arguendum auditorum conscientiæ relinquit. Non autem semen tantum hoc passum est, sed etiam sagena. Nam et illa inutilia multa tulit.

[1] Matth. XIII, 5-9. — [2] Isaï. V, 4. — [3] Ibid. 1. — [4] Psal. LXXIX, 9.

Hanc porro parabolam dixit, ut Discipulos exerceret docereturque, ut si inter eos qui semen reciperent, plures essent qui illud perderent, ne animo conciderent. Nam et Domino id accidit; et qui plane noverat hæc esse futura, seminare non destitit. Et qua de causa, inquies, in spinis seminare, supra petram, in via? In seminibus et in terra, nulla esset ratio. In animabus autem et in doctrina, id summopere laudandum. Agricola enim jure culparetur si id faceret, non potest enim petra fieri terra, neque via non esse via, neque possunt spinæ non esse spinæ : in rationalibus autem non sic : potest enim petra mutari in fertilem terram, viaque non ultra conculcari ab omnibus prætereuntibus, esseque pinguis ager; spinæque possunt evelli, ita ut semina iis liberata fructificent. Nisi enim id posset fieri, non seminasset ille. Quod si hæc mutatio in omnibus facta non sit, id non ex seminante provenit, sed ex iis qui mutari noluerunt. Nam ille quidem quæ ipsius erant effecit. Si vero illi quæ acceperant ab eo prodiderunt, sine culpa ille est qui tantam benignitatem exhibuit. Tu vero illud mihi perpende non unam esse perniciei viam, sed diversas esse aliasque ab aliis dissitas. Alii namque viæ similes sunt : ut forenses, segnes et negligentes; alii petram referentes, infirmiores sunt. Quod in petra seminatur semen, refert illum qui verbum audit, et statim cum gaudio accipit, sed non habet radicem in seipso, et ad tempus tantum consistit : sed adveniente propter verbum calamitate vel persecutione, statim offendit. Cum vero quis audit verbum regni, et non intelligit, venit malignus, et rapit id quod seminatum erat in corde ipsius. Hoc est semen juxta viam jactum. Non est autem æquale nemine vexante vel molestiam inferente doctrinam exsiccari, et instante tentatione idipsum fieri. Qui vero spinis similes sunt, minus his sunt venia digni.

IV. Ne igitur eorum quidpiam patiamur, hæc semina magnitudine animi et diuturna memoria obtegamus. Etiamsi enim rapiat diabolus, in nobis est ne rapiantur. Quod si semina siccentur, non id ab æstu efficitur. Non enim dixit: «Hæc propter æstum exsiccata sunt,» sed «Quod radicem non habeant.» Et si illa præfocantur, non a spinis, sed ab iis qui has crescere siverunt. Licet enim si volueris hoc malum germen impedire, ac divitiis, ut decet, uti. Ideo non dixit: «Sæculum,» sed «Sollicitudo sæculi,» neque «Divitiæ,» sed «Fallacia divitiarum.» Ne igitur res ipsas culpemus, sed corruptam voluntatem. Licet enim divitem esse, et non decipi : in hoc esse sæculo, et sollicitudinibus non præfocari. Duo quippe vitia inter se opposita in divitiis sunt; aliud quod cruciat et offuscat, est sollicitudo ; aliud quod molliores reddit, sunt deliciæ. Recte autem dixit : « Fallacia divitiarum. » Omnia quippe in divitiis fallacia sunt : nomina quippe sunt, non in rebus sita. Etenim voluptas, gloria, pulchritudinis studium, similiaque omnia, species quædam et phantasiæ sunt, non rerum veritas. Cum ergo perniciei modos dixisset, demum ponit terram bonam, non desperare sinens, sed spem dans pœnitentiæ, ostendensque posse a supradictis ad illam transitum fieri. Atqui si terra bona est et agricola unus, seminaque eadem, cur aliud centum, aliud sexaginta, aliud triginta tulit? Hic rursus ex terræ natura discrimen : nam ubi bona terra est, multa ibi differentia. Vides non agricolam esse causam, neque semina, sed terram excipientem, neque ex natura, sed ex voluntate discrimen censeri. Hic autem multa Dei benignitas deprehenditur, qui non unam exigit virtutis mensuram ; sed primos libenter recipit, secundos non ejicit, tertiis dat locum. Hæc porro dicit, ne putent ii qui ipsum sequuntur, auditu exceptam doctrinam ad salutem esse satis. Sed cur, inquit, non cætera ponit vitia, ut corporum concupiscentiam, vanam

gloriam? Cum dixerit sollicitudinem hujus sæculi, et fallaciam divitiarum, omnia posuit. Nam et vana gloria et cætera omnia et hujus sæculi sunt, et ad divitiarum fallaciam reduci possunt; exempli causa, voluptas, gula, invidia, vana gloria, et similia omnia. Addidit autem et viam et petram, ut ostendat non satis esse si a pecuniarum amore tantum nos expediamus; sed cæteras quoque virtutes exercendas esse. Quid enim prodest si divitiis non servis, esque tamen ignavus et mollis? Quid si ignavus non sis quidem, sed segnis ad doctrinam audiendam? Neque enim illorum unum satis est ad salutem; sed opus est primo audiendi sedulitate, deinde jugi memoria, hinc forti animo, divitiarum nec non sæcularium omnium contemptu. Ideo enim audiendi studium primo ponit, deindeque cætera : quia hoc primo est opus : « Quomodo enim credent, nisi au» diant [1] ? » ut nos quoque nisi dictis attendamus, non poterimus ea quæ agenda sunt ediscere. Deinde animi fortitudinem ponit et rerum præsentium contemptum. Hæc itaque audientes, nos undique muniamus, dictis attendentes, firmas mittentes radices, sæcularibusque omnibus nos expedientes. Si autem alia quidem faciamus, alia negligamus, nihil nobis conferet, ac si non hoc, certe altero modo peribimus. Quid enim refert, utrum ob divitias, utrum ob segnitiem, utrum ob mollitiem pessum eamus? Nam agricola æque luget si hoc, æque si illo modo semen perdat. Ne itaque quod non per omnes modos pereas, hinc consolationem admittas, sed quocumque tandem modo pereas, luge. Spinas comburamus, quæ verbum suffocant. Id norunt divites, qui neque ad hæc, neque ad alia sunt utiles. Servi namque et captivi voluptatum, ne ad civilia quidem negotia sunt utiles; si non ad illa, multo minus ad cœlestia. Duplex enim pestis cogitationes eorum invadit, deliciarum scilicet

[1] Rom. 1, 14.

et sollicitudinis : quorum singula possunt scapham demergere. Cum autem ambo concurrunt, cogita quanta sit tempestas.

V. Nec mireris si delicias spinas vocet. Tu enim quia hoc vitio ebrius es, id ignoras. Qui vero sani sunt, norunt eas vehementius quam spinas pungere : deliciæ plus quam sollicitudines animam tabefaciunt, gravioresque et corpori et animæ pariunt dolores. Neque enim quis ita sauciatur curis, ut satietate. Quando enim quis et somno privatus, ac capitis temporumque ægritudine, et viscerum doloribus distentus fuerit, cogita quot spinis hæc graviora sint. Ac quemadmodum spinæ quacumque ex parte capiantur, manus cruentant; sic et deliciæ pedes, manus, caput, oculos, et omnia demum membra pessumdant, illæque aridæ infructuosæque sunt sicut spinæ, et magis quam illæ nocent in præcipuis ; nam et senectutem ante tempus inducunt, sensus sopiunt, cogitationem tenebris offundunt, mentem acute videntem excæcant, flaccidum corpus efficiunt, majorem stercorum copiam recondunt, mala congerunt, majus onus et pondus faciunt : hinc frequentes casus et ruinæ, multa naufragia. Cur, quæso, corpus impinguas? An te immolaturi sumus? an in mensa appositurì? Aves recte impinguas; imo ne aves quidem, cum enim pingues sunt, ad sanum edendi usum sunt inutiles. Tantum malum est ciborum voluptas nimia, ut etiam in brutis perniciosa sit. Nam illa saturitate nimia et sibi et nobis inutilia efficimus. Superfluitates quippe indigestæ, et humida putredo ab illa oritur pinguedine. Quæ vero animalia non ita aluntur, sed quasi jejunant et laborant, illa certe et sibi et aliis utilissima sunt, tum ad cibum, tum ad alia omnia : quique iis vescuntur, firmiore gaudent valetudine; qui autem pinguioribus, ipsis similes facti tardiores sunt, infirmi, duroque vinculo ligati. Nihil enim ita corpori noxium ut ciborum

deliciæ : nihil ita rumpit et obruit ipsum, ut ingluvies. Ideo hinc maxime illorum stultitiam quis miretur, quod non sibi parcant ut cæteri utribus. Nam qui vina vendunt, nolunt plus æquo utres implere, ne rumpant : hi vero miserum ventrem, ne hac quidem cura dignum censent; sed postquam illum impleverint atque ruperint, usque ad aures, nares, fauces vino replent, duplicem hinc parientes angustiam, et spiritui, et vi illi quæ animal totum moderatur. An ideo tibi guttur datum est, ut usque ad os illud vino aliisque corruptis materiis repleas? Non ideo datum est, o homo, sed præcipue ut Deo canas, et sacras preces emittas, leges divinas legas, consiliaque des proximo profutura. Tu vero quasi illa tantum de causa datum esset, ne minimum quidem sinis ipsum ministerio sacro servire, sed totam vitam huic pessimæ servituti tradis : ac quemadmodum si quis citharam sumens aureis fidibus compactam, ac pulchre concinnatam, non ad dulcem modulationem pulsaret, sed fimo repleret ac luto : sic et hi faciunt. Fimum voco non cibum, sed delicias, et illam tantam intemperantiam. Nam quod extra necessitatem est, non cibus, sed lues est. Venter enim ad alimenta solum accipienda datus est, os et fauces et lingua et ad hoc et ad alia his magis necessaria. Multoque magis neque venter ad cibos quolibet modo excipiendos, sed moderatos tantum. Idque ostendit ipse, dum mille modis clamat : quando ipsi per hanc nimiam copiam nocemus; neque clamat solum, sed etiam id quasi injuriam ulciscitur, extremasque reposcit pœnas. Primo pedes punit, qui nos ad illas pessimas deportant epulas : deinde manus ligat, quod tot et tanta ministrent : multorum etiam os distortum fuit, oculi et caput laborarunt. Ac veluti servus, cum quid vires excedens agere præcipitur, efferatus nonnunquam imperanti maledicit; sic et venter vim passus, cum his membris etiam cerebrum sæpe labefactat et

perdit. Deusque optime providit ut ex immoderato usu tantum damnum accedat; quo cum lubens philosophari nolueris, vel invitus salutem ex metu tantæ pernicici moderate agere discas. Hæc cum sciamus, ciborum delicias fugiamus, moderationique studeamus, ut et corporis valetudine fruamur, et animam infirmitate omni liberemus, sicque futura consequamur bona; gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLV.

CAPUT XIII.

Et accedentes Discipuli dixerunt ei : Quare in parabolis loqueris eis ? Ipse autem respondens dixit eis : Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non datum est [1].

I. Jure admiremur Discipulos, quod discendi cupidi, sciant quando interrogandum sit. Non enim, omnibus præsentibus, id faciunt, quod Matthæus ita significavit : « Et ac» cedentes. » Hoc porro non ex conjectura dico ; Marcus enim id clarius indicavit, cum ait ipsos seorsim ad illum accessisse [2]. Sic et matrem et fratres ejus facere decebat, non vocare foras, et sese ostentare. Perpende autem charitatem ipsorum, quantam scilicet aliorum curam gerant, ac prius quæ ad illos pertinent quærant, deinde sua. « Cur, » inquiunt, in parabolis loqueris ad eos? » Non dixerunt : « Cur in parabolis loqueris nobis : » nam et alibi sæpe vi-

[1] Matth. XIII, 10, 11. — [2] Marc. IV, 11.

dentur bono esse erga omnes affectu; ut cum dicunt: « Dimitte turbas[1];» et, « Scis quod scandalizati sint[2].» Quid ergo Christus? « Vobis datum est nosse mysterium regni » cœlorum : illis autem datum non est. » Illud autem dixit, non necessitatem inducens, neque sortem quamdam temere et simpliciter missam; sed ostendens ipsos sibi causam esse malorum, ut declaret donum illud esse, et gratiam supernе datam. Neque tamen quia donum est, ideo liberum arbitrium est sublatum: id quod ex sequentibus manifestum est. Vide igitur quomodo, ut neque illi desperent, neque hi negligenter agant audientes illud datum esse, penes nos esse initium dicat. « Quicumque enim habet, dabitur ei, et » abundabit : quicumque autem non habet, et quod videtur » habere auferetur ab eo[3]. » Multa obscuritate plenum est id quod dicitur, ineffabilemque justitiam ostendit : hoc autem significat: « Ei qui desiderio et studio plenus est, dabuntur a Deo omnia : ei vero qui his vacuus est, nec ea quæ penes se sunt facit, neque ea quæ a Deo sunt dabuntur illi. Nam « Et quod videtur habere, inquit, auferetur ab » eo : » non Deo auferente, sed sua non præbente. » Hoc et nos facimus, cum videmus quemdam segniter audientem, et monitis multis non attendentem, silemus deinceps. Nam si monere pergamus, augetur segnities. Cupidum autem discendi attrahimus, multaque verba fundimus. Pulchre vero dixit : « Et quod videtur habere. » Neque enim hoc ipsum habet. Deinde hæc clariora efficit, ostendens quid sit illud, « Habenti dabitur, » his verbis : « Ab eo autem qui » non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo. Ideo, » inquit, in parabolis loquor ipsis, quia videntes non vi» dent[4]. » Atqui aperiendi, inquies, ipsorum oculi erant, si non videant. Verum si ex natura cæcitas erat, aperire oportebat; quia vero voluntaria cæcitas, ideo non simpli-

[1] Luc. IX, 12. — [2] Matth. XV, 12. — [3] Id. XIII, 12. — [4] Ibid. 13.

citer dixit : « Non vident ; » sed, « Videntes non vident ; » ita ut ex eorum nequitia cæcitas sit. Viderunt enim dæmonas egressos, et dicebant : « In Beelzebub principe dæmoniorum » ejicit dæmonia [1]. » Audierunt illum ipsos Deo adducentem, et cum Deo magnum consensum exhibentem, et dicunt : « Hic non est ex Deo. » Quia igitur contraria et visis et auditis exhibebant, ideo dicit : « Et visum et auditum ipsis aufero. » Nihil enim hinc illis plus accedit, nisi major damnatio. Non modo enim non credebant, sed etiam increpabant, accusabant, insidias struebant. Verum non hoc dicit, non vult enim onerosus accusando esse. Initio quippe non sic cum illis disserebat, sed cum magna perspicuitate : quia vero sese pervertebant, in parabolis demum loquitur. Deinde ne quis putaret hæc per calumniam dici, nec dicerent illi : « Inimicus noster est is qui criminatur ; » Prophetam adducit eadem ipsa proferentem. « Impletur enim in » ipsis, inquit, prophetia Isaïæ dicentis : Auditu audietis, et » non intelligetis, et visu percipietis, et non videbitis [2]. » Vides-ne quam accurate Prophela accuset illos ? Neque enim ipse dixit : « Non videtis ; sed videbitis et non videbi- » tis ; » neque dixit : « Non audietis ; sed audietis, et non in- » telligetis. » Quare ipsi seipsos primo excluserunt, aures obturantes, oculos claudentes, cor obdurantes. Non modo enim non audiebant, sed « Et graviter audiebant ; » idque faciebant, « Nequando convertantur, et sanem eos [3], » intensam illorum nequitiam indicans, et aversionem studio paratam.

II. Hoc autem dicit ut illos attrahat incitetque, et ostendat, si convertantur, se ipsos sanaturum esse : ac si quis diceret : « Noluit me videre, et gratiam habeo : nam si me dignatus fuisset, statim flectendus eram. » Hoc porro dicit ostendens quomodo reconciliatus fuisset. Sic et hoc loco

[1] Luc, xi, 15. — [2] Isaï. vi, 9, et Matth. xiii, 14. — [3] Ibid. 15.

ait : « Nequando convertantur, et sanem eos, » ostendens posse illos converti, et per pœnitentiam salutem consequi: seque non ad gloriam suam, sed ad illorum salutem omnia facere. Si enim noluisset eos audire et servari, silere oportebat, non in parabolis loqui. Nunc autem hoc ipso incitat illos, quod obscure loquatur. « Nam Deus non vult mortem » peccatoris, sed ut convertatur et vivat [1]. » Quod autem peccatum non ex natura sit aut ex necessitate et violentia, audi quid Apostolis dicat : « Vestri autem beati oculi, quia » vident, et aures quia audiunt [2]. » Non de visu vel auditu corporis loquens, sed de visu et auditu mentis. Judæi enim etiam hi erant, atque in iisdem educati : ipsis tamen nihil nocuit prophetia, quia bonorum radicem habebant recte insitam, propositum nempe et voluntatem. Vides-ne illud, « Vobis datum est, » non necessitatem inditam significare? neque enim beati prædicati fuissent, nisi bonum illud opus ipsorum fuisset. Ne dixeris enim illum obcure locutum fuisse. Poterant enim illi et accedere et interrogare, quemadmodum et Discipuli; sed torpore ac negligentia correpti noluerunt. Et quid dico, noluerunt? Etenim contra nitebantur. Non solum enim non credebant nec audiebant, sed etiam impugnabant, et ægre admodum dicta audiebant, quod Prophetam inducit accusantem, cum dicit : « Graviter audierunt. » At non illi tales fuerunt : quapropter beatos dicebat eos. Alio quoque modo confirmat ipsos his verbis : « Amen quippe dico vobis : Multi Prophetæ et » justi voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, » et audire quæ auditis, et non audierunt [3], » nempe adventum meum, miracula, vocem, doctrinam. Hic porro eos non modo perditis istis et nequam hominibus, sed etiam præclaris illis anteponit, cum dicit eos beatiores illis esse. Cur autem? Quia non modo quæ Judæi non viderunt ipsi

[1] Ezech. xviii, 23. — [2] Matth. xiii, 16. — [3] Ibid. 17.

videbant, sed etiam ea quæ prisci illi videre concupierant. Illi namque fide tantum viderunt, hi autem ipsis oculis, et longe clarius. Vides-ne quomodo veterem legem iterum cum nova copulet, ostendens illos non modo futura vidisse, sed etiam valde concupivisse? Neque si alieni Dei, et huic contrarii cultores fuissent, id desiderassent. « Vos ve-» ro, inquit, quibus id datum est, audite parabolam semi-» nantis[1], » et narrat ea quæ supra diximus, de segnitie et diligentia, de metu et fortitudine, de divitiis et paupertate, ostendens et damnum inde et utilitatem hinc partam. Deinde varios inducit virtutis modos. Nam misericors cum sit, non unam aperuit viam: neque dixit: « Nisi quis cen-tesimum fructum fecerit, is decidit, sed qui sexagesimum, imo qui trigesimum fecerit, salvus erit. » Illud autem sic disposuit, ut facilior via ad salutem esset. Et tu ergo non potes virginitatem servare? caste connubium ineas. Non potes esse sine possessione? de bonis tuis largire. Non potes hoc onus ferre? cum Christo bona divide. Non vis ipsi dare omnia? vel dimidiam vel tertiam partem dato. Frater tuus est etiam cohæres tuus? fac illum hic etiam cohæredem. Quæcumque illi dederis, tibi ipsi dabis. Non audis quid dicit Propheta? « Propinquos seminis tui ne des-» picias[2]. » Si vero cognatos despicere non oportet, multo minus dominum, qui cum dominio etiam cognationis jus tecum habet; multoque plura alia: nam participem te fecit bonorum suorum, cum nihil a te accepisset, et hoc ineffabili beneficio te prior provocasset. Quomodo igitur non esset extremæ dementiæ post tantum donum benignum non effici, nec vicem ullam pro tanta gratia reddere, minima pro magnis? Nam ipse te cœli hæredem fecit; tu vero ipsi ne terrenorum quidem quidpiam largiris? Ipse nullius te boni auctorem, sed et inimicum sibi reconcilia-

[1] Matth. XIII, 18. — [2] Isaï. LVIII, 7.

vit; tu vero nec amico nec benefactori ipsi quidpiam retribuis, quanquam et ante regnum, et ante cætera omnia, ex eo ipso quod das, gratiam ei referre debeas? Etenim liberti qui heros suos ad convivium invitant (12), non præbere gratiam, sed accipere censent. Hic vero contra : non enim servus dominum, sed dominus servum prior vocavit ad mensam; tu vero ne postea quidem illum vocas? Prius te sub tectum suum introduxit; tu vero nec secundus id agis? Te nudum induit; tu vero ipsum nec peregrinum excipis? Primus tibi ex calice suo potum dedit; tu vero ne aquam quidem frigidam das? Potum dedit tibi Spiritum sanctum; tu vero ne corpoream sitim ejus sedas? Potum dedit Spiritum tibi cruciatibus digno; tu vero sitientem despicis, cum tamen ex ipsius bonis omnia largiturus sis?

III. Nonne magnum ducis te poculum illud tenere, ex quo bibiturus Christus est, et ipsum ori admoturus? Annon vides soli sacerdoti licere sanguinis calicem tradere? «Ego, inquit ille, hæc non tam accurate dispicio; sed si ipse dederis accipio. Etiamsi laïcus sis, non recuso, neque quod dedi repeto. Non enim sanguinem quæro, sed aquam frigidam. Cogita cui potum des, et perhorresce: cogita te Christi sacerdotem fieri, cum manu propria das non carnem, sed panem; non sanguinem, sed calicem aquæ frigidæ. Induit te vestimento salutari, et hoc per seipsum, tu saltem per servum induc. Gloriosum te fecit in cœlis, tu a frigore illum eripe, nec non ab indecora nuditate. Angelorum te concivem fecit, tu ipsum sub tecto excipe, saltem sicut unum ex famulis tuis domi excipias, hoc diversorium non recuso, licet totum tibi cœlum aperuerim. Te a gravissimo carcere eripui; hoc a te non expeto, nec dico : «Eripe me;» sed si me vinctum videas, id mihi ad consolationem satis est. Mortuum te suscitavi; id a te non exigo,

sed dico : «Me ægrotum solummodo visites.» Cum ergo tanta sint dona, tamque levia expetantur, nec tamen illa præbeamus, quanta non sumus digni gehenna? jure in ignem abimus paratum diabolo et angelis ejus, cum non majore quam petra sensu præditi simus. Quantæ enim stupiditatis est, quæso te, nos cum tanta acceperimus, et tanta accepturi simus, servos esse pecuniarum, quas paulo postea vel inviti relinquemus? Et alii quidem animam dederunt ipsam, et sanguinem fuderunt: tu vero ne superflua quidem largiris propter regnum cœlorum, propter tot coronas? Et qua dignus fueris venia, qua excusatione, qui semina in terram libenter projicis, qui nulli rei parcis ad pecunias fœnore locandas, cum autem agitur de Domino per egenos alendo, inhumanus durusque es? Hæc itaque omnia cogitantes, animoque reputantes, quæ acceperimus, quæ accepturi simus, quæ a nobis expetantur; ne curam nostram in sæcularibus rebus exhibeamus. Simus tandem mansueti et humani, ne intolerabile supplicium nobis attrahamus. Quæ enim nos damnandi causa non suppetit, qui cum tot tantisque fruamur, nec magnum quid expetatur a nobis; imo talia expetantur, quæ vel inviti hic relinquemus, tantum in rebus sæcularibus studium impendamus? Horum singula sunt ad nos damnandos satis; si vero omnia simul concurrant, quæ spes salutis erit? Ut ergo omnem hanc damnationem fugiamus, quamdam saltem erga egenos liberalitatem exhibeamus. Sic enim et præsentibus et futuris fruemur bonis, quæ utinam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVI.

CAPUT XIII.

Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminat bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit ejus inimicus, et seminavit zizania per medium tritici, et abiit. Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes vero servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo zizania? Qui dixit eis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis ergo abeamus et colligamus ea? Ille autem dixit: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem: et tunc dicam messoribus: Colligite primum zizania[1].

I. Quid interest discriminis inter hanc et superiorem parabolam? Illic loquitur de iis qui non attenderunt, sed resilientes semina projecerunt: hic de hæreticorum cœtibus loquitur. Ne enim id Discipulos turbaret, prædixit, postquam docuerat illos cur in parabolis loqueretur. Parabola illa dicebat, non susceptum ipsum; hæc autem corruptores simul susceptos. Hæc quippe diaboli versutia est, ut cum veritate semper commisceat errorem, cui veritatis colorem et similitudinem affingat, ita ut simplices facile circumvenire possit. Ideo non alia semina, quam zizania

[1] Matth. XIII, 24-30.

dixit, quod semen specie quidem frumento simile est. Deinde modum insidiarum dicit. « Dum dormirent homines, » inquit. Non parvum hic præsulibus proponitur præcipitium et periculum, quibus maxime arvi cura demandata est; neque illis tantum, sed etiam subditis. Ostendit autem errorem post veritatem venisse; id quod etiam rerum eventus testificatur. Nam post Prophetas pseudo-prophetæ; post Apostolos pseudo-apostoli, et post Christum antichristus. Nisi enim diabolus viderit quid imitari possit, aut quibus insidiari, nihil insidiarum ponit, nihil novit. Nunc ergo, quia vidit alium centesimum fecisse, alium sexagesimum, alium trigesimum, alia deinceps incedit via. Quia enim id quod radices posuerat abripere non poterat, neque suffocare, vel comburere, per aliam fallaciam insidiatur, sua inserens aliis. Et in quo differunt, inquies, hi dormientes ab iis qui per viam significati fuerant? Quod videlicet ibi statim abripuerit; neque enim radices ponere permisit: hic vero majore opus habuerit artificio. Hæc autem dicit Christus, ut doceat semper esse vigilandum. Etiamsi enim, inquit, hæc nocumenta effugias, aliud adhuc superest. Sicut enim ibi per viam, per petram et per spinas, sic et hic per somnum pernicies accedit. Quapropter assidua opus est custodia. Ideo dicebat: « Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit [1]. » Simile quidpiam in principio accidit. Multi enim antistites improbos viros hæresiarchas occultos in Ecclesias inducentes, hujusmodi insidiis struendis facultatem magnam præbuere. Neque enim labore opus est diabolo, postquam hujusmodi homines in medio inseruit. Et quomodo fieri potest, inquies, ut non dormiant? Naturali quidem somno fieri nequit, voluntatis somno, secus. Quapropter Paulus dicebat: « Vigilate, state » in fide [2]. » Nec noxiam solum, sed et superfluam rem os

[1] Matth. x, 22. — [2] 1 Cor. xvi, 13.

tendit : nam postquam ager cultus fuit, cum nulla re opus est, tunc seminat, quod et hæretici faciunt : qui nonnisi propter vanam gloriam venenum suum injiciunt. Neque ex his tantum verbis, sed etiam ex sequentibus, totam illorum scenam accurate describit. Cum pullulavit, inquit, herba et fructum tulit, tunc apparuerunt et zizania : quod et ipsi faciunt. Initio namque sese occultant : postquam vero majorem accepere fiduciam, et aliquam existimationem nacti sunt, tunc virus effundunt. Cur autem servos inducit, quæ accidere narrantes? Ut hinc ansam arripiat dicendi non occidendos illos esse. Inimicum hominem vocat illum, ob damna quæ infert hominibus : damnum enim nos impetit; damni vero initium, non odio nostri, sed odio Dei factum est. Unde palam est Deum nos magis diligere, quam nos a nobis ipsis diligamur. Sed aliunde videre est diaboli versutiam : non enim antehac seminavit, quia nihil quod perderet habuit, sed cum omnia plena essent, ut totum agricolæ studium labefactaret : sic inimico erga illum animo cuncta faciebat. Vide autem servorum diligentiam : nam zizania cito evellere cupiunt, etiamsi id non considerate faciant : quod illorum circa semina sollicitudinem declarat, arguitque ipsos ad unum tantum respicere, non quo pacto ille pœnas det : neque enim illud ita urget; sed ne jacta semina pereant. Ideo id cogitant ut morbum celeriter avellant. Illud vero non statim efficere conantur; neque enim id sibi arrogant; sed domini sententiam expectant dicentes : « Vis? » Quid igitur dominus? id vetat dicens : « Ne forte eradicetis simul et triticum. » Hoc porro dicebat, ut bella, cædesque prohiberet. Neque enim hæreticum occidere oportet : nam sic irreconciliabile bellum in orbem induceretur.

II. His autem duobus ratiociniis movetur ad illos cohibendos; primo, quod frumentum non læderent; secundo

quod illi incurabili morbo laborantes, supplicium luituri essent. Quapropter si vis illos puniri sine frumenti noxa, expecta tempus opportunum. Quid autem aliud sibi vult cum dicit : « Ne eradicetis simul et triticum, » quam hoc quod dicimus? Si arma moveatis, ut hæreticos occidatis, multos etiam Sanctorum una occidi necesse est; vel etiam multi ex istis zizaniis, ut verisimile est, convertentur in frumentum. Si ergo prius illos eradicetis, frumento etiam venturo nocebitis, si illos qui mutari et boni effici possunt, eradicetis. Non igitur prohibet hæreticos reprimere, illorum ora obstruere, libertatem loquendi coërcere, coëtus eorum solvere, pacta respuere; sed occidere vetat. Tu vero illius mansuetudinem perpende, quomodo scilicet non sententiam solum efferat et jubeat, sed etiam rationem exponat. Quid ergo eveniet si usque in finem zizania maneant? « Tunc dicam messoribus, inquit : Colligite primum » zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum. » Revocat ipsis in mentem verba Joannis, quibus ipse judex inducebatur, dicitque, donec prope frumentum stant zizania, parcendum ipsis esse; potest enim fieri ut frumentum efficiantur. Cum autem nullo reportato lucro abcesserint, tunc illos inevitabilis ultio excipiet. « Dicam enim » messoribus, inquit : Colligite primum zizania. » Cur primum? Ne terreantur illi, quasi triticum cum illis auferatur. « Et alligate ea in fasciculos ad comburendum. Triti- » cum autem congregate in horreum. Aliam parabolam » apposuit eis dicens : Simile est regnum cœlorum grano » sinapis [1]. » Quia enim dixit ex semine tres partes perire, unamquæ servari, et in hac quoque servata parte tot tantaque imminere detrimenta; ne dicerent : « Et quinam quantoque numero fideles erunt? » hunc quoque metum aufert; illos per parabolam sinapis ad fidem inducens, osten-

[1] Matth. XIII, 31.

densque prædicationem ubique pervasuram esse. Ideo oleris imaginem in medium adduxit huic argumento admodum opportunam : « Quod minus est, inquit, omnibus » seminibus ; cum autem creverit, majus est omnibus ole- » ribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et in ra- » mis ejus habitent [1]. » Magnitudinis enim indicium declarare voluit. Sic, inquit, et in prædicatione erit. Nam omnium infirmissimi erant Discipuli, omniumque minimi. Attamen quia magna in ipsis virtus erat, per totum orbem effusa est. Deinde sub hac imagine fermentum posuit dicens : « Simile est regnum cœlorum fermento, quod ac- » ceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fer- » mentatum est totum [2]. » Sicut enim fermentum, multæ farinæ vim suam indit ; sic et vos totum mundum convertetis. Et vide prudentiam : naturæ imagines affert, quo ostendat, ut hæc secundum naturalem rerum seriem necessario ita fiunt, sic et ista. Ne mihi dixeris : « Quid poterimus duodecim homines in tantam multitudinem incidentes? » Nam idipsum maxime virtutem vestram splendidam reddit, quod multitudini admixti non fugiatis. Quemadmodum et fermentum tunc massam fermentat, cum farinæ admovetur. Nec modo admovetur, sed ita ut misceatur ; non enim simpliciter dixit : « Posuit, » sed, « Ab- » scondit. » Sic et vos agglutinati et juncti cum impugnantibus vos, ipsos superabitis. Et sicut illud obruitur in massa, sed non perditur, sed paulatim toti massæ vim suam indit ; idipsum in prædicatione continget. Ne itaque quia multas ærumnas prædixi, ideo timeatis : nam sic splendidi eritis et omnia superabitis. » Tria porro sata hic multa significant ; hunc quippe numerum solet pro multitudine adhibere. Ne mireris autem si de regno loquens, granum et fermentum memoret, hominibus quippe loque-

[1] Matth. XIII, 32. — [2] Ibid. 33.

batur imperitis et ignaris, quos opus erat his erigi. Nam ita simplices erant, ut postea multa opus haberent interpretatione. Ubi sunt gentiles? Christi virtutem ediscant, rerum veritatem conspicientes; et hac utraque de causa illum adorent, et quod rem tantam prædixerit, et quod illam impleverit. Nam ipse est qui vim fermento indit; ideo multitudini admiscuit eos qui in se credebant, ut intelligentiam nostram mutuo tradamus. Nemo de paucitate causificetur. Multa quippe est prædicationis virtus; et quod semel fermentatum est, fermentum reliquis efficitur. Ac quemadmodum scintilla cum in ligna incidit, combusta in flammam convertit, et sic alia invadit; ita et prædicatio. Non dixit tamen ignem, sed fermentum, quare? Quia ibi non totum ab igne oritur, sed simul etiam a lignis incensis; hic vero fermentum per se totum efficit. Quod si homines duodecim totum orbem fermentarent, cogita quanta sit nequitia nostra, quod cum tanto numero simus, non possimus tamen eos qui supersunt emendare, quos oportuisset vel mille mundis ad fermentationem sufficere.

III. At, inquies, illi Apostoli erant. Et quid hoc est? Annon eadem ipsa qua tu conditione erant? Nonne in civitatibus versabantur? Annon eorumdem consortes erant? Annon artes exercebant? Num Angeli erant? Num ex cœlo descenderant? Sed, inquies, signa fecerant. Non signa certe ipsos mirabiles effecerunt. Usquequo miraculis illis ad ignaviam nostram tegendam utemur? Vide Sanctorum chorum, qui non miraculis illis fulsit. Multi enim qui dæmones ejecerant, quia iniquitatem operati sunt, mirabiles non fuerunt; sed suppliciis sunt affecti. Ecquid, inquies, illos magnos effecit? Contemptus pecuniarum, vanæ gloriæ despectus, sequestratio a bonis sæcularibus. Qui si hæc non habuissent, sed animi morbis paruissent, etiamsi sexcentos mortuos suscitassent, non modo ad nihilum utiles

fuissent, sed etiam deceptores et fallaces habiti fuissent. Sic certe vita ipsa est quæ ubique fulget, quæ etiam Spiritus gratiam attraxit. Quod signum fecit Joannes, qui tot civitates erudivit? Quod enim miraculum nullum ediderit, audi Evangelistam dicentem : « Joannes quidem nul» lum fecit signum [1]. » Unde admirandus fuit Helias? Annon a fiducia, qua regem monuit? Annon a zelo suo erga Deum? Annon a paupertate, a melote, a spelunca, a montibus? Nam signa omnia post hæc fecit. Jobi vero quod signum videns diabolus obstupefactus est? Signum certe nullum, sed vitam præclaram, patientiam adamante quovis firmiorem. Quod signum David fecit, juvenis cum esset, ut Deus diceret : « Inveni David filium Jessæ virum secun» dum cor meum [2] ? » Abraham, Isaac et Jacob quem mortuum suscitaruut? quem leprosum mundarunt? An ignoras signa, nisi vigilemus, plerumque nocere? Sic multi Corinthiorum alii ab aliis discissi sunt; sic multi Romanorum superbierunt; sic Simon ejectus est [3]. Sic ille qui Christum sequi optaverat, reprobatus est, audiens : « Vulpes » foveas habent, et volucres cœli nidos [4]. » Horum singuli, sive quod pecunias, sive quod gloriam ex signis quærerent, exciderunt et perierunt. Vitæ autem accurata sanctitas, et virtutum amor non modo non parit talem cupiditatem, sed si adsit aufert. Ipse vero Christus cum leges daret Discipulis, quid dicebat? An, « Signa facite, ut videant homines? nequaquam. » Sed quid? « Luceat lux vestra coram » hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent » Patrem vestrum, qui in cœlis est [5]. » Petro quoque non dixit : « Si me amas, signa fac; sed, « Pasce oves meas [6]. » Et cum semper illum cæteris præponat, una cum Jacobo et Joanne, unde, quæso, præponit? Num a signis? Atqui

[1] Joan. x, 41. — [2] Act. xiii, 22. — [3] Matth. viii, 10. — [4] Luc. ix, 58. — [5] Matth. v, 16. — [6] Joan. xxi, 15.

omnes Discipuli leprosos mundabant, mortuos suscitabant, omnibusque similiter potestatem concessit. Cur ergo tres illi anteponebantur? Ex animi nempe virtute. Vides-ne ubique bona opus esse vita, et rectis operibus? « Ex fructibus enim, inquit, eorum cognoscetis eos [1]. »

IV. Quid autem vitam nostram constituit? An signa, an vita recte et accurate acta? Vitam certe esse liquidum est : signa vero inde ducunt occasionem, et in eum finem desinunt. Nam qui vitam exhibet optimam, hanc sibi attrahit gratiam. Qui vero gratiam accipit, ideo accipit ut aliorum vitam emendet. Quandoquidem Christus miracula illa ideo fecit, ut inde fide dignus ad se homines pertrahens, virtutem in mundum induceret. Ideo maximam hujusce rei curam habet. Neque enim solis signis satis habet, sed et gehennam comminatur, et regnum promittit, sicque inexpectatas illas ponit leges, nihilque non agit ut nos Angelis pares efficiat. Et quid dico Christum omnia hujusce rei causa facere? Si quis, dic mihi, optionem tibi daret, aut mortuos in nomine ejus suscitare, aut propter nomen ejus mori, quid optares? Annon palam est te secundum optaturum esse? Atqui illud signum, hoc autem opus est. Si quis vero tibi optionem cum potestate daret fœnum in aurum vertendi, aut posse omnes divitias ut fœnum conculcare? Nonne hoc potius eligeres? Et jure quidem. Nam illud omnes homines maxime pertraheret. Si viderent enim fœnum aurum fieri, hanc potestatem omnes cuperent obtinere sicut Simon; augereturque divitiarum cupiditas : si autem viderent omnes aurum tanquam fœnum despicere, jam olim morbo liberati essent. Vides-ne bonam vitam posse magis juvare? Vitam autem dico, non jejunium, non saccum et cinerem stratum; sed divitiarum contemptum, ut par est eas contemnere, amorem proximi, eleemosynam

[1] Matth. VII, 16.

et panem esurienti datum, sedatam iram, inanis gloriæ depulsionem, invidiæ eliminationem. Sic et ille nos instituit cum dixit : « Discite a me quia mitis sum et humilis »corde [1] : » non dixit : « Quia jejunavi, » etsi posset quadraginta dies jejunii proferre : at non hoc dicit ; sed « Quia »mitis sum et humilis corde. » Rursusque cum misit eos, non dixit : « Jejunate ; » sed, « Manducate quod apponitur »vobis [2]. » De pecunia vero severam legem posuit dicens : « Nolite possidere aurum vel argentum, neque æs in zonis »vestris [3]. » Hæc porro dico, non quod jejunium vituperem ; absit ; multum quippe laudo. Sed angor cum video vos, aliis neglectis, putare illud esse ad salutem satis, cum tamen in choro virtutum ultimum teneat locum. Hæ quippe maximæ sunt, charitas, æquitas, eleemosyna, quæ etiam virginitatem superat. Quare si velis Apostolis par esse, nihil obstat. Si illam virtutem obtineas, sufficit illa tibi ut nihil minus quam Apostoli habeas. Nullum igitur signorum expectatio moretur. Angitur dæmon cum de corpore ejicitur ; multo magis autem cum viderit animam a peccato liberatam. Hæc quippe est illius maxima virtus. Propter peccatum mortuus est Christus, ut illud solveret : illud enim mortem induxit : propter illud omnia susdeque versa sunt. Si peccatum sustuleris, diaboli nervos succidisti, ejus caput contrivisti, ejus vim omnem solvisti, exercitum illum dissipasti, signum omnium signorum maximum exhibuisti. Non meus est hic sermo, sed beati Pauli. Cum dixisset enim : « Æmulamini charismata meliora, et adhuc »vobis excellentiorem viam demonstravi [4], » non subjunxit signum, sed charitatem omnium radicem bonorum. Si ergo hanc exerceamus, et philosophiam omnem inde sequentem, non opus habebimus signis ; sicut si non exerceamus, nihil nobis signa proderunt. Hæc itaque omnia

[1] Matth. xi, 29. — [2] Luc. x, 8. — [3] Ibid. 4. — [4] 1 Cor. xii, 31.

cogitantes, ex quibus Apostoli magni evaserunt, hæc æmulemur. Undenam illi magni effecti sunt? Audi Petrum dicentem : « Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, » quid ergo erit nobis [1]? » Audi et Christum ipsis dicentem : « Sedebitis super sedes duodecim, et quicumque relique- » rit domum vel fratres, vel patrem, vel matrem, centu- » plum recipiet in hoc sæculo, et vitam æternam posside- » bit [2]. » Nos itaque a sæcularibus omnibus abducentes, Christo nos consecremus, ut et Apostolis pares simus secundum ejus sententiam, et æterna vita fruamur, quam utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVII.

CAPUT XIII.

Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabola non loquebatur eis. Ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi [3].

I. Marcus vero dicit ipsum locutum fuisse eis in parabolis, « Prout poterant audire. » Deinde ostendens se nihil novi inducere, affert Prophetam hunc doctrinæ modum prænuntiantem, utque significaret nobis Christum, non ut in ignorantia permanerent, sed ut ad interrogandum cogerentur, sic illis locutum fuisse, subjunxit : « Et sine para- » bola nihil loquebatur eis. » Etsi multa sine parabola dixe-

[1] Matth. XIX, 27. — [2] Ibid. 28, 29. — [3] Id. XIII, 34, 35.

rit; sed tunc temporis nihil. Et tamen nemo ipsum interrogavit, quanquam Prophetas olim sæpe interrogarent, ut Ezechielem aliosque multos. Hi vero secus, licet ea, quæ dicta fuerant, possent illos in dubium conjicere, et ad interrogandum excitare. Etenim supplicium maximum parabolæ minabantur, neque tamen inde commoti sunt. Quapropter, dimissis illis, abiit. « Tunc enim, ait, dimissis turbis, » Jesus venit in domum suam [2], » Nullusque Scribarum ipsum sequitur; unde liquidum est eos, nonnisi ut carpendi ansam arriperent, secutos fuisse. Quia vero ea, quæ dicta fuerant, non intelligebant, reliquit eos. « Et accesserunt » Discipuli ejus interrogantes de parabola zizaniorum [2]. » Atqui interdum discendi cupidi interrogare non audent : undenam illis nunc fiducia? audierant illud, « Vobis datum » est nosse mysteria regni cœlorum [3]; » et hinc fiduciam assumpserant. Ideoque seorsim interrogant, non quod multitudini invideant, sed ut Domini legem servent. « His enim, » inquit, datum non est. » Cur autem, missa fermenti et sinapis parabola, de hac interrogant? Illas utpote clariores reliquerunt; hanc vero, utpote quæ affinitatem haberet cum præmissa parabola, et quid amplius efferret, edicere cupiebant. Neque enim scire volunt, utrum eamdem repetierit, nam videbant in hac magnam efferri comminationem. Quapropter non incusat eos, sed explanavit ea quæ dicta fuerant. Et ut semper dixi, parabolæ non sunt ad litteram accipiendæ, inde enim absurda multa sequerentur; quod ut nos doceat, sic parabolam explicat. Non dicit qui essent servi illi qui accesserunt, sed ut ostendat se, seriei concinnandæ causa, et ad complementum imaginis, ipsos induxisse, hac missa parte, quæ ad rem maxime pertinebant, ob quam hæc parabola dicta fuerat, explicat, se universi judicem et dominum declarans. « Et respondens, inquit,

[1] Matth. XIII, 36. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 11.

» dixit eis : Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. » Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii » regni; zizania, filii maligni illius. Inimicus vero qui ea » seminat, est diabolus. Messis est consummatio sæculi, » messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur ziza- » nia, et igni comburuntur; ita erit in consummatione sæ- » culi hujus. Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent » de regno ejus omnia scandala, et facientes iniquitatem, et » mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor » dentium. Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris » eorum [1]. » Cum enim qui seminat ipse sit, et agrum suum seminet, atque ex regno suo colligat, palam est hunc mundum ipsius esse. Perpende autem ejus inenarrabilem misericordiam, et pronum ad beneficia præstanda animum, et quam a supplicio inferendo sit alienus. Cum enim seminat, per seipsum seminat; supplicia vero per alios infert, id est per Angelos. « Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno » Patris eorum. » Non quod sic tantum fulgeant, sed quia hoc astro nullum fulgentius videmus, notis exemplis est usus. Certe alibi quoque dixit jam adesse messem, ut cum de Samaritanis ait : « Levate oculos vestros, et aspicite re- » giones, quia albæ jam sunt ad messem [2], » et rursus, « Messis quidem multa, operarii autem pauci [3]. » Quomodo ergo illic quidem jam messem adesse ait, hic vero futuram messem dicit? Secundum aliud nempe significatum. Quare etiam cum alibi dixisset alium esse qui seminat, alium qui metit, hic dicit se eum qui seminat esse? Quia ibi sic loquebatur, ut non sibi, sed ut Prophetis Apostolos compararet, sive cum Judæos, sive cum Samaritanos alloquebatur. Nam etiam per Prophetas ipse seminabat. Est autem ubi messem et semen idipsum dicat, secundum diversam rationem sic appellans.

[1] Matth. XIII, 37-43. — [2] Joan. IV, 35. — [3] Luc. X, 2.

II. Nam quando obsequentes obtemperantesque auditores dicit, messem vocat, ut rem consummatam declaret. Quando autem fructum prædicationis quærit, semen et messem ipsam consummationem appellat. Et quomodo etiam alibi dicit: «Primi justi rapiuntur[1]?» Rapiuntur quidem primi, adveniente Christo; traduntur autem isti supplicio, et tunc illi ad regnum cœlorum proficiscuntur. Quia enim justos in cœlo esse oportet : in terram autem ipse venturus est de omnibus hominibus judicaturus, sententiamque laturus, quasi rex surgens cum amicis suis, eos ad beatam illam sortem ducturus est. Vides-ne duplex fore supplicium, tum quod comburantur, tum quod a gloria illa excidant? Sed cur demum, illis recedentibus, ipsis etiam Apostolis in parabolis loquitur? Sapientiores ex supra dictis effecti, tunc intelligebant. Hinc cum dixisset illis postea : «Intellexistis hæc omnia? dicunt ei: Etiam, Domine.» Sic et hoc cum aliis effecit parabola, ut perspicaciores deinde essent. Quid igitur post hæc dicit? « Simile est reg-» num cœlorum thesauro abscondito in agro : quem cum » invenit homo abscondit, et præ gaudio illius vendit uni-» versa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum simile est » regnum cœlorum negotiatori quærenti bonas margaritas. » Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit » universa quæ habuit, et emit eam[2]. » Quemadmodum illic granum frumenti et fermentum parum inter se differunt; sic et hoc loco duæ parabolæ thesauri et margaritæ. Nam per utrumque hoc significatur oportere prædicationem omnibus anteponere. Et illæ quidem fermenti et sinapis parabolæ, ad vim prædicationis pertinent, ipsamque totum orbem esse superaturam indicant : hæ autem duæ parabolæ ejus pretium et dignitatem declarant. Extenditur quippe illa ut sinapi, superat ut fermentum, pretiosa est

[1] 1 Thess. IV, 16. — [2] Matth. XIII, 44-46.

ut margarita, innumera præbet commoda, et ornatur ut thesaurus. Neque id solum hic discimus omnibus se exuere par esse, ac prædicationi hærere; sed etiam id cum gaudio esse faciendum. Certe is qui omnibus renuntiat, sciat oportet rem illam esse negotiationem, non jacturam. Vides-ne quomodo prædicatio in mundo sit occulta, et in prædicatione quot sint bona? ac nisi omnia vendideris, non emis illam : nisi sollicito animo quæsieris, non invenis. Duo igitur necessaria sunt, sæcularium rerum abdicatio, et summa vigilantia. Nam ait : « Quærenti bonas margaritas. Inventa » una pretiosa, vendidit omnia, et emit eam. » Una quippe est veritas, nec in partes divisa. Ac sicut is qui margaritam habet, novit ipse se divitem esse; sæpe autem, licet illam manu teneat, id aliis est ignotum : neque enim mole corporis insignis est; sic et in prædicatione, qui illam tenent, se divites esse norunt, increduli autem thesaurum hujusmodi ignorantes, nostras item divitias nesciunt. Deinde ne prædicationi tantum fidamus, neve putemus solam fidem ad salutem nobis sufficere, aliam terribilem effert parabolam. Quænam illa est? Sagenæ parabola. « Simile est reg- » num cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere » piscium congreganti. Quam educentes ad littus maris, » sedentes et colligentes bonos in vas jecerunt, malos autem » foras miserunt [1]. » In quo differt hæc a parabola zizaniorum? Nam et illic alii servantur, alii pereunt; sed illic ob pravorum dogmatum hæresim : et qui ante memorantur, quia dictis prædicantium non attendunt; hi vero ob scelleratam vitam, qui omnium miserrimi sunt, utpote qui in notitiam veritatis pervenerint, et in rete piscantium inciderint, ac neque sic salutem consequi potuerint : quanquam alibi dicat ipsum pastorem segregasse oves, hic dicit Angelos id facere, ut et in zizaniorum parabola. Quid ergo

[1] Matth. XIII, 47-48.

dicendum? Aliquando demissius, aliquando sublimius ipsis loquitur. Hanc porro nec rogatus parabolam sponte interpretatur: ex parte solum explicavit illam, et timorem auxit. Ne enim postquam audisti malos ejectos fuisse foras, sine periculo rem esse putares, interpretatione sua supplicium extulit dicens: « Mittent eos in caminum ignis [1]; » stridorem dentium memorans ineffabilemque dolorem. Vides-ne quot ad perniciem viæ? per petram, per spinas, per viam, per zizania, per sagenam. Non ergo immerito dixit: « Lata » est via quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui ingre» diuntur per eam [2]. » Hæc ergo cum dixisset, ac terribili modo finem dicendi fecisset, hæcque plura adjecisset: diutius enim in illis moratus est, ait: « Intellexistis hæc omnia? » Dicunt ei, etiam, Domine [3]. » Post hæc quia intellexerunt, ipsos laudat his verbis: « Ideo omnis scriba doctus in regno » cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de » thesauro suo nova et vetera [4]. » Ideo alibi quoque ait: « Mittam ad vos sapientes et scribas [5]. »

III. Vides quomodo non excludat Vetus Testamentum, sed potius laudet et celebret, thesaurum vocans? Itaque quotquot divinarum Scripturarum imperiti sunt, non patresfamilias fuerint, qui neque habent ipsi, nec ab aliis accipiunt, sed se fame pereuntes negligunt. Nec modo ipsi, sed etiam hæretici expertes sunt hujus beatitudinis. Non enim proferunt nova et vetera. Nam cum vetera non habeant, nec nova habere possunt: quemadmodum etiam ii, qui nova non habent, veteribus quoque carent, sed utrisque privantur: hæc enim mutuo colligantur et connectuntur. Audiamus itaque quotquot Scripturarum lectionem negligimus, quantum patiamur damnum, quantam paupertatem. Quandonam vitam cum operibus jungemus, qui ne

[1] Matth. XIII, 50. — [2] Id. XII, 13. — [3] Id. XIII, 51. — [5] Ibid. 52. — [5] Id, XXIII, 34.

leges quidem novimus, quas observemus? Sed divites, qui divitiarum cupiditate insaniunt, sæpe vestes suas ne a tineis corrodantur excutiunt. Tu vero dum oblivio tinea perniciosior animam tuam labefactat, non libros legis, non pestem illam depellis, animam non exornas, non aspicis assidue virtutis imaginem, nec membra ejus et caput consideras? Nam et caput habet et membra, specioso corpore formosiora. Quod ergo caput est, inquies, virtutis? Humilitas. Quamobrem ab hac incipit Christus dicens : « Beati » pauperes [1]. » Hoc est caput : non comas habet, non cincinnos, sed tantam pulchritudinem, ut Deum ipsum attrahat; nam ait : « Super quem respiciam, nisi super man» suetum et humilem, et trementem verba mea [2]? » et : » Oculi mei ad mansuetos terræ [3], » et, « Prope est Domi» nus contritis corde [4]. » Hoc est caput : pro capillis et coma, sacrificia offert Deo grata : ara est aurea, et altare spirituale: « Nam sacrificium Deo spiritus contribulatus [5]. » Hæc est sapientiæ mater. Si quis illam habeat, reliqua habebit. Vidisti-ne caput, quale nusquam videras? Vis-ne faciem videre, imo ediscere? Jam disce colorem ejus rubicundum, floridum et valde gratiosum : disce quibusnam constet. Quibus ergo constat? pudore atque rubore. Quapropter ait quispiam : « Ante verecundum præcedet gra» tia [6]. » Hoc et aliis membris magnam infundit pulchritudinem. Etiamsi mille misceas colores, non tantam speciem efficies. Si autem et oculos videre cupias, aspice illos modestiam et continentiam accurate exhibentes. Ideo ipsi et forma et acumine pollent; ita ut ipsum Dominum videant. Nam, « Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum » videbunt [7]. » Os autem ejus, sapientia et intellectus, spiritualiumque hymnorum modulatio. Cor autem, Scriptu-

[1] Matth. v, 3. — [2] Isaï. LXVI, 2. — [3] Psal. XXXIII, 19. — [4] Id. XXXIV, 16. — [5] Id. L, 17. — [6] Eccli. XXXII, 9. — [7] Matth. v, 8.

rarum peritia, verorumque dogmatum conservatio, benignitas, clementia : ac quemadmodum sine illo vivere nequimus, sic neque sine illo salutem consequi possumus. Nam hinc omnia oriuntur bona. Habet item pedes et manus, bonorum operum exempla. Anima ejus est pietas. Pectus ejus aureum, adamante firmius, est fortitudo ; omnia facilius expugnes, quam pectus istud dirumpas. Spiritus qui et in cerebro et in corde existit, est charitas.

IV. Vis hanc imaginem tibi in operibus ostendam? Cogita mihi hunc ipsum Evangelistam, etiamsi non totam ejus vitam descriptam habeamus; attamen ex paucis quæ restant, licet imaginem ejus splendentem videre. Quod humilis et contritus esset, audi ipsum in Evangelio sese publicanum vocantem; quod autem misericors esset, vide illum omnibus exutum Jesum sequentem. Quod pius esset, palam est ex dogmatibus. Intelligentiam et charitatem ejus, ex eo quod conscripsit Evangelio videre est : universi enim orbis curam gessit. Bonorum operum argumentum habes ex throno, in quo sessurus est. Fortitudinem, quod gaudens reversus sit a facie concilii. Virtuti igitur admodum studeamus, maximeque omnium humilitatem et misericordiam sectemur, sine quibus salutem consequi non possumus, ut probatur ex quinque virginibus, et ex Pharisæo. Nam sine virginitate regnum adire possumus, non vero sine misericordia et eleemosyna ; illa enim necessaria prorsus est, et inter præcipua quæ omnia continent censetur. Non sine causa ergo diximus eam cor esse virtutis. Sed cor ipsum, nisi omnibus spiritum subministret, cito extinguitur; sicut et fons nisi fluenta penes se perenniter habeat, putrescit. Sic et divites si apud se opes suas detineant. Ideo communi usu dicimus: « Multa putredo divitiarum apud talem habetur: » neque dicimus: « Multa copia, magnus thesaurus. » Nam putredo est non possidentium

modo, sed ipsarum divitiarum. Vestimenta enim recondita corrumpuntur, aurum ærugine roditur, frumentum a vermibus roditur. Anima vero possidentis plus quam cætera omnia curis roditur et putrescit. Si velis avari animam in medium adducere, sicut vestimentum a mille tineis corrosum, nihilque sanum habens, sic invenies illam corrosam undique curis, peccatis putridam, et ærugine labefactatam. At pauperis anima non talis utique est, pauperis inquam voluntarii; sed fulget ut aurum, splendet ut margarita, floret ut rosa. Non ibi tinea, non fur, non cura sæcularis; sed ut Angeli conversantur. Vis talis animæ pulchritudinem videre, vis paupertatis divitias ediscere? Pauper non imperat hominibus, sed imperat dæmonibus : non astat regi, sed astat Deo; non pugnat cum hominibus, sed cum Angelis; non habet arcam unam vel duas, vel tres, vel viginti, sed tantam rerum copiam, ut mundum totum nihil esse existimet. Non habet thesaurum, sed cœlum; non eget servis; imo servos habet, animi morbos; habet servos, nempe cogitationes quæ regibus imperant : cogitationem quippe hujusmodi vel rex formidat, et contra respicere non audet. Regnum et aurum omniaque similia, ut puerorum ludos ridet, et ut rotulas, talos, capita, sphæras, ita hæc omnia putat esse spernenda. Habet enim ornatum, quem ne respicere quidem possunt ii, qui hujusmodi ludis tempus terunt. Quid igitur hoc paupere præstantius fuerit? Is pavimentum habet cœlum. Si autem tale pavimentum est, cogites velim quod tectum erit. Sed non habet equos et currus? Quid illis opus habet is qui nubibus vehendus est et cum Christo vivet? Hæc cogitantes et viri et mulieres, illas quæramus divitias et rerum copiam non absumendam, ut regnum cœlorum consequamur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIII.

CAPUT XIII.

Et factum est cum consummasset Jesus parabolas istas, transivit inde [1].

Cur dixit : « Istas? » Quia alias dicturus erat. Quare inde recessit? Ut verbum ubique disseminaret. « Et cum venis-» set in patriam suam, docebat eos in synagoga eorum [2]. » Quam vocat patriam suam? Nazareth, ut mihi quidem videtur. Non enim ibi fecit virtutes multas : in Capharnaum autem multa fecit signa, quapropter dicebat : « Et tu Ca-» pharnaum, quæ usque ad cœlum exaltata es, usque ad » infernum descendes : quoniam si in Sodomis factæ fuis-» sent virtutes, quæ factæ sunt in te, mansissent utique us-» que hodie [3]. » Cum porro venisset istuc, signa quidem multa non fecit, ne in majorem illos invidiam inflammaret, neve ob majorem incredulitatem in graviorem damnationem inciderent. Doctrinam autem proponit, non minoris quam signa admirationis. At stultissimi homines, quando admirari, et ob dictorum vim obstupescere par fuisset, illi contra ipsum parvi faciunt, quod tali patre natus putaretur : quanquam multa superioribus temporibus exempla suppeterent eorum qui ignobili patre nati claruerant. David quippe Jessæ vilis cujusdam agricolæ filius erat : et Amos caprarii filius, ipse quoque caprarius : Moyses vero legislator, longe se inferiore patre natus est. Cum oportuisset ergo ideo maxime venerari illum et obstupescere, quod ex talibus

[1] Matth. XIII, 53. — [2] Ibid. 54. — [3] Matth. XI, 23, et Luc. X, 15.

ortus talia loqueretur : manifestum quippe erat id non ex humano studio, sed ex divina gratia proficisci, inde illum despiciunt, unde mirari oportebat. Frequenter autem ad synanogas ibat, ne si perpetuo in deserto versaretur, magis incusarent, tanquam frequentiæ et civitatis adversarium. Stupentes igitur et ambigentes dicebant : « Unde huic sa » pientia hæc et virtutes[1] ? » Signa virtutes vocabant, sive ipsam sapientiam ejus. « Nonne hic est fabri filius[2] ? » Ergo miraculum majus majorque stupor. « Nonne mater ejus » dicitur Maria ? et fratres ejus Jacobus et Joses, et Simon » et Judas, et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt ? » Unde ergo huic omnia ista ? Et scandalizabantur in eo[3]. » Vides-ne in Nazareth ista dicta fuisse ? Nonne fratres ejus, inquit, talis et talis sunt ? Et quid hoc ? Hinc maxime vobis ad fidem induci par erat. Verum mala res invidia, quæ sibi ipsi sæpe repugnat. Nam quæ inaudita, et admiranda erant, quæque illos attrahere poterant, hæc illis offendiculo erant. Quid igitur Christus ad eos ? « Non est Propheta, inquit, » sine honore, nisi in patria sua et in domo sua. Et non fe- » cit virtutes multas propter incredulitatem eorum[4]. » Lucas autem ait : « Et non facit ibi signa multa[5] » Atqui facere debuisset, inquies. Nam si id assecutus est ut admirationi esset, ut vere fuit, cur signa non fecit ? Quia non ostentationem, sed eorum utilitatem in scopo habebat. Cum igitur hæc via non succederet, ab eo quod e re sua esse videbatur abstinuit, ne ipsis supplicium augeret. Quanquam post tantum tempus, post tanto edita signa ad illos venerit. At neque sic illum tulerunt, imo ardebant invidia. Cur ergo pauca tamen fecit signa ? Ne dicerent ; « Medice cura teipsum, » vel, « Inimicus noster est et hostis, affinesque suos despicit ; » ne dicerent : « Si facta fuissent signa, nos quoque

[1] Matth. XIII, 54. — [2] Ibid. 55. — [3] Ibid. 56, 57. — [4] Ibid. 58. — [5] Luc.

credidissemus. » Ideo et signa fecit, et cito facere desiit; tum ut quæ sua erant impleret; tum ne majorem ipsis damnationem attraheret. Dictorum porro vim cogita. Etiam invidia correpti mirabantur tamen. Verum sicut in operibus non res ipsas reprehendunt, sed causas comminiscuntur dicentes : « In Beelzebub ejicit dæmonia[1]; » sic et hoc loco non doctrinam culpant, sed ad generis ignobilitatem confugiunt. Tu vero mihi perpende Doctoris moderationem, quomodo non illos vituperet, sed cum mansuetudine multa dicat: « Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua[2]. » Neque hic stetit, sed adjecit, « Et in domo sua : » fratres, ut mihi quidem videtur, suos subindicans.

II. Apud Lucam exempla hujusce rei apponit dicens : « Neque Helias ad suos venit, sed ad viduam alienige- » nam; » neque ab Elisæo alius curatus leprosus est, nisi Naaman alienigena. Israëlitæ vero nec quid boni acceperunt, nec quid boni fecerunt, sed extranei tantum. Hæc porro dicit improbam illorum consuetudinem plane ostendens, et nihil se novi experiri declarans. « In illo tempore au- » divit Herodes tetrarcha famam Jesu[3]. » Mortuus enim erat hujus pater Herodes, qui pueros occiderat. Nec sine causa tempus annotat Evangelista, sed ut tyranni fastum et negligentiam ediscas. Neque enim initio illa didicit, sed post multum temporis. Sic enim principes fastum multum præ se ferentes, res hujusmodi tardius ediscunt, quia hæc parvi faciunt. Tu vero mihi perpende quanta res sit virtus; nam ille mortuum timebat, hincque de ejus resurrectione philosophabatur. « Dixit enim, inquit, pueris suis : Hic est Joannes, » quem ego interfeci, hic resurrexit a mortuis : et ideo vir- » tutes operantur in eo[4]. » Vides-ne grandem timorem? Neque enim id in publico dicere ausus est, sed domesticis tan-

[1] Matth. XII, 24, et Luc. XI, 14. — [2] Luc. IV, 25. — [3] Matth. XIV, 1. — [4] Ibid. 2.

tum suis sic loquebatur. Attamen hæc absurda opinio militem sapiebat. Multi enim surrexerunt a mortuis, et nemo ex iis quidquam hujusmodi fecit. Videntur porro mihi hæc verba ambitionem simul et timorem sapere. Sic quippe minus sani animi, contrariorum affectuum sæpe mixtionem admittunt. Lucas vero narrat dixisse populum: « Hic est » Elias aut Jeremias [1], » aut unus ex veteribus Prophetis. Hic vero, sapientius quam alii se putabat ita dicere. Verisimile autem est illum initio quidem, cum dicerent esse Joannem, nam multi sic dicebant, id negasse ac dixisse: « Ego illum occidi, utpote insolentem ac petulantem. » Hoc enim Marcus et Lucas dixisse illum narrant: « Ego Joan- » nem decollavi [2]; » cum autem fama prævaleret, demum ipse idem ipsum quod alii dixit. Deinde vero historiam illam nobis Evangelista narrat. Et cur non illam præmiserat? Quia in eo totus erat, ut Christi gesta describeret; nihilque extra rem Evangelistæ dicebant, nisi id ad institutum suum referretur. Non ergo hanc historiam commemorassent, nisi propter Christum, et nisi Herodes dixisset Joannem resurrexisse. Marcus vero ait Joannem magno in honore fuisse apud Herodem, etiamsi hic ab illo redargueretur. Tanta res est virtus. Deinde narrare sic pergit. « Herodes » enim cum tenuisset Joannem, ligavit eum, et posuit in » carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris » sui. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere il- » lam. Et volens eum interficere, timuit turbam, quia sicut » Prophetam eum habebant [3]. » Cur non Herodiadem, sed illum alloquitur? Quia præcipuus ille erat. Vide quomodo accusationem minus onerosam faciat, ita ut historia potius quam accusatio videatur esse. « Cum autem natalitia He- » rodis agerentur, saltavit filia Herodiadis in medio, et pla-

[1] Luc. IX, 7. — [2] Marc. VI, 16, et Luc. IX, 9. — [3] Matth. XIV, 3-5.

» cuit Herodi[1]. » O convivium diabolicum! O theatrum satanicum! O iniquam saltationem, ac mercedem saltationis iniquiorem! Cædes enim omnium scelestissima peragebatur, et qui coronari et celebrari merebatur, in medio jugulatus est. Dæmonum tropæum in mensa erectum fuit. Victoriæ modus cæteris gestis dignus fuit. Nam « Saltavit, » inquit, filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi. Unde » jurejurando affirmavit se illi daturum quodcumque petie- » rit. Illa vero a matre præmonita: Da mihi, ait, hic in disco » caput Joannis Baptistæ[2]. » Duplex crimen, et quod saltarit, et quod placuerit, atque ita placuerit, ut cædes illi pro mercede esset. Vides-ne quam crudelis, quam insensatus, quam vesanus sit. Juramento se obnoxium reddit; illi vero dat potestatem petendi quæ velit. Cum autem vidit quid mali hinc evenerit, « Contristatus est, » inquit; quanquam ab initio ligaverat ipsum. Cur ego contristatur? Hujusmodi est virtus; etiam apud improbos admirationi et laudi est. Sed, o furiosam mulierem, quæ cum oporteret illum admirari ac venerari, quod ipsam ab injuria vindicaret, drama totum ordinat, laqueum tendit, gratiamque petit satanicam. « Ipse autem timuit propter jusjurandum, » inquit, et simul recumbentes[3]. » Et cur quod gravius erat non timuisti? Nam si quod testes perjurii haberes formidabas, multo magis cædem formidare oportebat ita iniquam, cum tot testes ejus haberes.

III. Quia vero puto multos accusationis, ex qua cædes orta est, argumentum ignorare, necessarium est hoc etiam dicere, ut legislatoris prudentiam discatis. Quænam ergo vetus lex illa erat, quam conculcavit Herodes, et vindicavit Joannes? Ejus, qui sine liberis moreretur, uxorem fratri dari oportebat[4]. Quia enim non consolabile malum mors

[1] Matth. XIV, 6. — [2] Ibid. 7, 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Deut. XXV, 5.

erat, et pro vita servanda nihil non agitur, legem statuit, ut qui vivit uxorem fratris defuncti ducat, et filium hinc procreatum mortui nomine vocet, ita ut domus ejus non excidat. Si enim mortuus filios non relinquebat, quæ tamen maxima est mortis consolatio, intolerabilis luctus futurus erat. Ideo legislator hanc consolationem excogitavit iis, quibus natura filios negaverat, et nasciturum illius nomine vocari præcepit. Si vero mortuus filium relinqueret, tunc non licitum erat connubium. Et cur, inquies? nam si alteri licebat ducere, multo magis fratri. Nequaquam. Vult enim affinitatem extendi, et multas haberi occasiones cognationis ineundæ. Et cur, illo sine liberis defuncto, non alius ducere poterat? Quia sic non putatus fuisset esse mortui filius : nunc vero seminante fratre, probabilis erat inventio illa. Alioquin vero extraneus non putasset constituendam esse defuncti domum. Hic autem cognationis jus habebat. Quia ergo Herodes uxorem fratris sui, quæ prolem habebat, duxit, ideo accusat illum Joannes, et moderate simul atque libere accusat. Tu vero mihi considera, quomodo theatrum totum satanicum et diabolicum sit. Primo enim ebrietate et deliciis constabat, unde nihil sanum oriri poterat. Secundo, spectatores corruptos habebat, et excipientem omnium maxime. Tertio, delectationis genus ratione vacuum. Quarto, puella, propter quam connubium contra legem erat, quam occultari oportebat; utpote injuria affecta matre, ingreditur sese ostentans ; virgo meretrices omnes impudentia superans. Tempus etiam non modicam ad criminationem iniquæ rei ansam præbet. Quanto enim oportebat eum gratias referre Deo, quod illo die ipsum in lucem produxisset, tunc iniqua illa aggreditur : quando vinctum solvere oportebat, tunc vinculis cædem adjicit. Audite quotquot vel virgines vel etiam maxime nuptæ, alienas nuptias sic deturpare audetis, saltantes, tripudiantes, et

communem naturam dehonestantes. Audite etiam viri, qui sumptuosa convivia, ebrietate plena sectamini, et metuite diaboli barathrum. Nam ita vehementer miserum tunc illum invasit, ut juraret se dimidium regni sui daturum esse. Illud enim Marcus dicit : « Juravit illi ; Quodcumque petie» ris a me dabo tibi, usque ad dimidium regni mei [1]. » Tanti scilicet ditionem suam faciebat ; ita voluptatis captivus erat, ut saltationi hæc concederet. Ecquid miraris si tunc hæc facta sunt ; quando nunc etiam, postquam tantam inivimus philosophiam, ob mollium hujusmodi puerorum saltationem multi animas suas prodiderunt, licet juramenti necessitate astricti non essent. Nam a voluptate captivi abducti quasi pecudes aguntur, quo lupus illos traxerit. Id quod tunc ille furiosus passus est, duo turpissima perpetrans, et quod illam dominam fecerit sic furiosam, ebriam et nihil mali recusantem, et quod necessitate juramenti ita se obstrinxerit. At licet ille tam iniquus esset, iniquior tamen et tyranno et puella erat mulier. Ipsa enim hæc mala omnia et totum drama fabricata erat, quæ tamen gratiam Prophetæ habere debuisset. Filia quippe ipsi morem gerens, et turpiter egit, et saltavit, et cædem petiit, Herodesque ab ipsa quasi sagena captus est. Vides-ne quam apposite Christus dixerit : « Qui amat patrem aut matrem plus quam me, » non est me dignus [2] ? » Nam si illa hanc secuta esset legem, non tot leges violasset, non hanc cædem perpetrasset. Nam quid hac immanitate deterius ? cædem ut gratiam postulare, cædem iniquam, cædem inter epulas, cædem publice et impudenter petitam. Neque enim seorsum accessit hæc petitura, sed publice, et posita larva, nudo capite, diaboli usa patrocinio, hæc illo modo locuta est. Nam id diabolus effecit, ut illa saltans placeret, et Herodem tunc caperet. Ubi enim saltatio, ibi diabolus. Neque enim ideo

[1] Marc. VI, 23. — [2] Matth. X, 37.

pedes nobis dedit Deus, ut iis turpiter utamur, sed ut recte gradiamur; non ut perinde atque cameli saltemus; nam et cameli saltantes ingratum spectaculum edunt, multoque magis mulieres; sed ut cum Angelis choreas agamus. Si enim corpus id agens turpe est, multo magis anima. Sic saltant dæmones: sic adulantur dæmonum ministri.

IV. Sed petitionem ipsam considera. « Da mihi, ait, hic »in disco caput Joannis Baptistæ. » Vides-ne impudentem, quæ totam diabolo se dedidit? Dignitatem Joannis memorat, neque tamen sic erubescit. Sed ac si de cibo quopiam loqueretur, sic sacrum et beatum illud caput in disco efferri petit. Nullam affert causam, neque enim poterat; sed simpliciter quærit aliorum calamitatibus honorari. Non dixit: « Introduc illum huc, et immola: » neque enim morituri loquendi fiduciam tulisset. Nam timebat vel mactati vocem audire terribilem: neque enim capite mulctandus tacuisset. Ideo ait: « Da mihi hic in disco: » nam linguam illam silentem videre cupio. Neque effugere solum illius reprehensiones volebat, sed insultare jacenti et deridere illum. Deus vero id permisit, nec fulmen superne misit, ut impudentem illam faciem combureret; neque jussit terram hiatu totum illud iniquum convivium absorbere, ut simul Justum clarius coronaret, et iis qui iniqua passuri postea essent, magnam relinqueret consolationem. Audiamus igitur quotquot ab iniquis hominibus gravia patimur dum recte vivimus. Etenim tunc Deus passus est eum, qui in solitudine vixerat, qui in zona pellicea, qui in cilicio, Prophetam, Prophetis majorem, quo nullus major unquam fuerat inter natos mulierum, interfici per puellam impudicam et corruptam meretricem: et hæc dum divinas leges tueretur. Hæc itaque cogitantes, feramus generose omnia quæcumque patimur. Nam et tunc sanguinaria illa et iniqua tantum sese de eo, qui sibi dolorem attulerat, vindicavit, quan-

tum voluit, iram totam satiavit, et Deus id permisit: quanquam nihi illi Joannes dixerat, nec illam accusaverat, sed virum tantum. Sed conscientia acerbus accusator erat. Ideoque in majora erumpebat mala, dolens, stimulis agitata; simulque dedecoravit omnes, seipsam, filiam, dimissum virum, viventem mœchum, et priora superare certabat. Si oldes, inquit, quod ille mœchetur, ego illum homicidam faciam, et accusantis interfectorem. Audite quotquot ultra quam fas est uxoribus placere studetis. Audite quotquot circa res incertas juramenta præbetis, aliisque pernicici vestræ potestatem tribuitis, ac vobis barathrum effoditis. Sic Herodes periit. Putabat enim ipsam quidpiam convivio consentaneum petituram esse, puellamque in solemnitate et inter epulas, rem gratiosam et lætam, non autem caput viri postulaturam esse; et deceptus est. Attamen nihil horum ipsum purgabit. Etiamsi enim illa cum feris pugnantium virorum animum habuerit, attamen non decuit illum se ita decipiendum præbere, nec tyrannico obsequi imperio. Primo enim quis non exhorruit sacrum illud caput videns sanguinem stillare, et inter epulas reponi? At non iniquus ille Herodes, non execrabilior illo mulier. Tales quippe sunt meretrices, omnium petulantissimæ et crudelissimæ. Nam si nos hæc audientes perhorrescimus, quo animo fuisse putandum est eos, qui hæc ipsis oculis cernerent? Quid passi sunt convivæ caput recens amputatum et sanguinem videntes in medio convivio repositum? At non sanguinaria illa et ipsis furiis ferocior illo commota fuit spectaculo; sed exultabat: atqui, etsi non aliunde, ex solo aspectu saltem fastidium nauseamque ingenerari par erat. Verum nihil hujusmodi passa est illa sanguinem sitiens propheticum. Talis est fornicatio: non lascivos tantum, sed et homicidas efficit. Nam adulterii cupidæ mulieres ad cædem sunt paratæ virorum, qui injuria

afficiuntur; nec unam tantum vel duas, sed et innumeras cædes fieri facile curaverint. Similium porro facinorum multi testes sunt. Id etiam illa tunc fecit, sperans tantum facinus in oblivionem tandem esse venturum. Sed contrarium prorsus evenit : nam longe clariori voce postea Joannes clamavit.

V. Verum nequitia ad præsens tantum tempus respicit, sicut febricitantes cum aquam frigidam intempestive postulant. Etenim nisi accusatorem jugulasset, facinus illud non ita evulgatum fuisset. Discipuli namque ejus, quando in carcerem conjectus fuit, nihil hujusmodi dixerunt : cum autem interfectus fuit, tum necis causam publicare coacti sunt. Adulteram obtegere cupiebant, nec alienas calamitates publicare; cum autem in narrandi necessitatem deducti sunt, tunc facinus omne recensent. Ne quis enim causam cædis malam esse suspicaretur, ut in Theuda et Juda contigit, veram cædis causam referre coguntur. Itaque quanto magis peccatum occultare hoc modo volueris, tanto magis illud evulgas. Peccatum enim non per peccati additamentum tegitur, sed per pœnitentiam et confessionem. Perpende autem quomodo hæc Evangelista moderate narret, et quantum licet crimen minuat. Nam Herodem id fecisse dicit propter juramentum et convivas, ipsumque contristatum fuisse : de puella vero dicit ipsam a matre prærnonitam fuisse, et caput attulisse matri, ac si diceret : « Illius jussa exequebatur. » Non enim de iis qui mala patiuntur, sed de iis qui mala inferunt, dolere solent justi omnes, quia hi maxime sunt qui male patiuntur. Neque enim Joannes læsus fuit, sed ii qui hæc machinati sunt. Hos nos quoque imitemur, neque insultemus peccatis proximi; sed quantum fas est occultemus ea. Animum philosophicum assumamus. Etenim Evangelista de meretrice et sanguinaria muliere moderate quantum licuit locutus est.

Non enim dixit : « A sanguinaria et scelesta, » sed « A matre præ- » monita, honestioribus usus vocabulis. » Tu vero proximum contumelia et convitio afficis : nec ita modeste potes de fratre qui te injuria affecerit loqui, ut ille de meretrice loquebatur : sed admodum ferociter, et cum opprobriis, scelestum vocas, improbum, vafrum, stultum, et similia adhibes nomina. Nam efferamur omnino et quasi de alienigena homine loquimur, maledicentes, convitiis et contumeliis afficientes. At non ita certe Sancti : sed potius peccatores lugent, quam ipsis maledicant. Hoc et nos faciamus : lugeamus Herodiadem et eos qui illam imitantur. Multa namque etiam nunc hujusmodi convivia celebrantur. Atque etiamsi Joannes non interficiatur; sed Christi membra longe gravius impetuntur. Non enim caput in disco petunt ii, qui nunc tripudiant, sed animas simul recumbentium. Cum autem illos in servitutem redegerint, et ad iniquos induxerint amores, meretricesque adhibuerint, non caput abscindunt, sed animam jugulant, dum illos mœchos, effœminatos, et exoletos reddunt. Neque enim mihi dixeris te vino captum et ebrium, mulierem saltantem quæ obscœna loquitur, sine ullo concupiscentiæ motu videre, neque voluptate victum ad lasciviam ferri : illud certe horribile pateris, ut membra Christi facias membra meretricis. Nam etsi non adsit filia Herodiadis; sed qui per illam tunc saltavit diabolus, per illas nunc choreas agit, abitque animas discumbentium agens captivas. Quod si vos potestis ebrietatem vitare, at alterius peccati gravissimi participes estis : plurimis namque rapinis hujusmodi convivia constant. Ne appositas carnes respexeris, nec placentas; sed undenam hæc collecta sint cogita, et videbis illa ex avaritia, et vi, et rapina proficisci. Verum, inquies, hæc non ita parta sunt, absit. Id ego minime velim. Verum si hac in parte convivia sint pura, non tamen illa sumptuosa convivia

prorsus sunt crimine vacua. Audi enim quomodo illa vel supradictis vacua Propheta reprehendat his verbis : « Væ » qui bibitis defæcatum vinum, et unguentis primis ungi- » mini [1]. » Vides qualiter hic delicias reprehendat? Neque enim his verbis avaritiam insectatur, sed effusas delicias tantum.

VI. Tu comedis ultra mensuram, cum Christus ne quidem necessaria habeat. Tu placentas affatim, ille ne panem quidem aridum : tu thasium vinum, ipsi vero ne calicem quidem aquæ frigidæ sitienti dedisti; tu in lecto molli et ornato jaces, ille vero sub frigido aëre alget. Idcirco etiamsi avaritia vacua essent convivia tua, tamen ideo flagitiosa sunt, quod tu supra necessitatem omnia facias, illi vero ne quidem necessaria præbeas, cum ex ipsius bonis in deliciis vivas. Certe si pueri cujuspiam tutor esses, et ipsius bona administrans, ipsum in extremis positum despiceres, sexcentos haberes accusatores, ac secundum leges pœnas dares : cum autem ea, quæ Christi sunt, acceperis, et sic frustra insumas, annon putas te rationem redditurum esse? Hæc porro non de illis dico, qui meretrices ad mensam inducunt : illis quippe non magis quam canibus loquendum, nec de raptoribus qui aliorum ventres implent; nihil enim commune cum illis habeo, ut nec cum porcis vel lupis; sed de illis agitur qui bonis fruuntur suis, nec aliis largiuntur; de iis qui paterna bona frustra consumunt. Neque enim hi crimine vacui sunt. Nam quomodo, quæso, accusationes et culpam effugias, quando parasitus ventrem implet, ut et canis, qui astat, dum Christus ne hoc quidem beneficio dignus apud te habetur? Quando is qui risum movet tanta accipit : ille autem qui regnum cœlorum in mercedem offert, ne minimam quidem horum partem? Ille ut facete aliquid dicat, satiatus abit; hic vero qui ea

[1] Amos VI, 6.

docet, quæ nisi didicerimus, nihil a canibus differemus, non eodem quo ille beneficio dignatur? Horrescis hæc audiendo, horresce ergo de factis. Ejice parasitos, et fac tecum accumbere Christum. Si sale et mensa tecum communicaverit, mansuetus tibi judex erit : solet revereri mensam. Si namque id latrones faciant, quanto magis Dominus? Cogita enim quomodo meretricem illam a mensa ut justam laudaverit, ac Simoni exprobraverit dicens : « Osculum » mihi non dedisti [1]. » Quod si te hæc non facientem nutrit, multo magis facientem mercede donabit. Ne inopem despicias, quod sordidus et squallidus accedat; sed cogita Christum per ipsum domum tuam adire, ne pergas illum inhumanis verbis incessere, quibus accedentes lacessere soles, importunos vocando, otiosos, gravioribusque aliis nominibus appellando. Cogites velim quando hæc dicis, quæ tibi opera parasiti faciant, an in aliquo familiari rei tuæ sint utiles? Prandium, inquies, suavius reddunt; et quomodo suavius, dum alapis cæduntur, ac turpia loquuntur? Et quid hac re insuavius, quando is qui ad imaginem Dei factus est cæditur, et ex hac contumelia voluptate afficeris, ædes tuas in theatrum convertens, ac mimis convivium replens, scenicosque imitaris, cum nobilis liberque sis? Nam ibi risus et alapæ visuntur. Hæccine, quæso, voluptatem appellas, quæ multis digna sunt lacrymis, fletibus, gemitibus? Cum oporteret eos ad vitam probam revocare, ad officium hortari, tu ad perjuria, verbaque turpia provocas, et hoc voluptatem appellas, quodque ad gehennam ducit, voluptatis argumentum esse putas? Cum enim facete quid dicere parasiti non possunt, juramentis ac perjuriis sese hinc expediunt. Hæccine risu digna? an non potius lacrymis et fletibus? Et quis mente valens sic loquatur?

[1] Luc, VII, 45.

VII. Hæc porro dico, non quo prohibeam alimenta ipsis suppeditari; sed ne hac de causa suppeditentur : humanitatis, non immanitatis causa nutriantur; misericordia adsit, non contumelia. Alimenta ipsi præbe quia pauper est, et quia in illo Christum alis[1]; non autem quia satanica inducit verba, suamque vitam deturpat. Noli conspicere ridentem, sed conscientiam ejus explora, et tunc videbis ipsum sese millies maledicentem, gementem atque plangentem. Quam rem si occultat, propter te occultat. Convivas adhibeto viros pauperes liberosque non perjuros vel mimos. Si velis autem ut aliquam tibi vicem rependant, jube, si quid viderint indecorum, increpare, monere, curam domus et familiæ habere. Filios habes, sint tecum patres ipsorum, et magistri, lucra tibi reportent Deo placita. In negotiationem spiritualem illos immitte. Si egentem patrocinio videris, impera ut auxilium præstent et subministrent. Horum ministerio venare peregrinos, nudos induc, in carcerem mitte, alienas solve necessitates. Hanc tibi ob suppeditatam alimoniam vicem rependant, quæ et tibi et illis prosit, et quæ improbari nunquam potest. Hinc strictiore amicitiæ vinculo jungemini : nunc enim etiamsi putent se amari, attamen erubescunt quasi gratis apud te viventes; si autem hæc perfecerint, liberius agent, et tu libentius mensam præbebis, utpote qui sumptus non sine fructu profundas : illi cum fiducia tecum vivent, et cum decenti libertate, domusque tua, quæ theatrum erat, Ecclesia evadet, diabolus aufugiet, in eam Christus cum Angelorum choro intrabit : nam ubi Christus, ibi Angeli : ubi vero Christus et Angeli, ibi cœlum, ibi lux solari splendidior. Si autem aliam ab iis ipsis consolationem vis tibi parere, per otium jube illos divinam legem in libro legere. Libentius in his tibi morem gerent, quam in aliis. Hæc

[1] Matth. x, 42.

enim et te et illos honestiores efficiunt. Illa vero quæ supra diximus, omnes simul dedecorant : te ut contumeliosum et temulentum ; illos ut miseros et ventri servientes. Nam si ad contumeliam nutrias, id gravius est, quam si occideres ; sin ad utilitatem et lucrum, id fructuosius est, quam si ad mortem abductos liberares. Nunc autem illos, magis quam servos dedecoras, servi majori apud te fiducia ac libertate fruuntur; illo autem modo illos Angelis pares facis. Et te igitur et illos libera, parasitorum nomen de medio tolle, convivas appella, et pulso adulatorum nomine, amicorum induc appellationem. Ideo amicitias fecit Deus, non in damnum dilectorum et diligentium, sed ad eorum bonum atque utilitatem. Illæ autem amicitiæ inimicitia omni sunt graviores, nam ab inimicis, si velimus, aliquid lucri inferre possumus, ab his autem necessario lædimur. Ne retineas amicos damni magistros; ne retineas amicos, qui mensam magis curant quam amicitiam. Hi quippe omnes, si mensæ delicias solvas, amicitiam solvunt. Qui autem virtutis causa tecum versantur, manent perpetuo, omnem ferentes fortunæ inæquabilitatem. Parasitorum vero genus te sæpe etiam ulciscitur, et malam de te existimationem spargit. Novi certe multos ingenuos viros, qui malam inde famam sibi pepererunt, et alii de maleficis artibus, alii de adulterio, alii de puerorum corruptela accusati sunt. Cum enim nihil operis vel officii habeant, sed ut casus fert vitam agant, in suspicionem veniunt, quod ad res hujusmodi omnibus ministrent. Talem ergo famam ut propulsemus, imprimis ut futuram gehennam vitemus, et Deo placita faciamus, hanc diabolicam consuetudinem solvamus; ut manducantes et bibentes omnia ad gloriam Dei faciamus, et ipsius gloriæ simus consortes[1] : quam nos omnes assequi contingat, gratia et benignitate Domini

[1] 1 Cor. x, 31.

nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIX.

CAPUT XIV.

Et cum audisset Jesus, recessit inde in navicula in desertum locum seorsum : et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedibus de civitatibus [1].

I. Vide [2] illum sæpe secedentem, et cum traditus est Joannes, et cum occisus est, et cum Judæi audierunt ipsum plurimos facere Discipulos. Multa enim volebat humano more peragere, cum nundum tempus advenisset quo Deitatem suam clarius revelaret. Ideo Discipulis dicebat nemini ut dicerent se esse Christum : nam post resurrectionem suam id notum fieri volebat : quapropter non severus fuit in Judæos, qui ante illud tempus non crederent ; sed id illis facile condonabat. Secedens porro, non in civitatem se confert, sed in desertum, atque in navicula trajicit, ut nemo sequeretur. Tu vero mihi considera quomodo Joannis discipuli, deinceps Jesu magis hæserint : ipsi namque nuntiarunt ei, quid circa Joannem gestum esset : omnibusque relictis, ad ipsum solum confugiunt. Sic rem non modicam post calamitatem illam, et postquam ex responsione supra allata totum recte disposuerat, operatus est. Sed cur non recessit antequam id illi nuntiarent, qui rem nondum nuntiatam probe sciebat? Ut per omnia œconomiæ veritatem demonstraret. Non enim ex visu tantum, sed etiam ex

[1] Matth. XIV, 13. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 92-93.

operibus id confirmari volebat, quod diaboli versutiam nosset, qui nihil non agebat ut hanc tolleret opinionem. Ideo igitur ille secessit. Turbæ autem neque sic abscedunt, sed sequuntur hærentes ipsi, neque terruit eos Joannis interitus, (Talis est dilectio, talis amor, qui omnia gravia superet et expulset) ideo statim mercedem acceperunt. « Cum enim exisset, ait, Jesus, vidit turbam multam, et » misertus est eis, et curavit languidos eorum [1]. » Etiamsi enim magno illi studio hærerent, attamen ea quam a Christo excipiebant merces, studium eorum longe superabat. Idcirco hujus curationis causam ponit, nempe miserationem, miserationem, inquam, vehementem, omnesque curat. Hic fidem non expetit. Nam quod accedant, quod civitates relinquant, quod diligenter ipsum quærant, quod cum illo maneant, ingruente fame, fidem illorum declarat. Alimenta porro illis suppeditaturus est. Id vero non a seipso facit, sed expectat donec rogetur; illud semper observans, ut jam dixi, ne prior ad miracula patranda se conferat; sed rogatus tantum. At cur nemo ex turba accedens Christum pro ipsis rogavit? Mirum in modum reverebantur ipsum, atque ex ipsius audiendi et sequendi desiderio, ne famem quidem sentiebant. Neque Discipuli pro turba precati sunt ut aleret eos, quia adhuc imperfectiores erant. Quid igitur? « Vespere autem facto, inquit, accesserunt » Discipuli ejus dicentes : Desertus est locus, et hora jam » præteriit; dimitte turbas, ut euntes emant sibi escas [2]. » Nam si post factum miraculum ejus obliti sunt, si post sportas illas putabant illum de panibus loqui, cum doctrinam Pharisæorum fermentum appellavit [3] : multo minus, cum tale signum nunquam vidissent, quidquam hujusmodi suspicaturi erant. Etiamsi prius multos curasset infirmos, non tamen ideo quod de panibus futurum erat expectabant :

[1] Matth. XIV, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Id. XVI, 6.

ita erant adhuc imperfecti. Tu vero mihi Doctoris sapientiam perpende; quomodo ipsos clare ad fidem vocet. Neque enim statim dixit: « Alam eos. » Neque enim illud facile crediturі erant. « Jesus autem, inquit, dixit eis. » Sed quid dixit? « Non habent necesse ire, date illis vos manducare[1]. » Non dixit: « Dabo eis, » sed, « Vos date. » Nam illum adhuc ut hominem habebant. Illi vero ne tunc quidem ad altiora eriguntur; sed adhuc ut homini respondent: « Non habe- » mus nisi quinque panes, et duos pisces[2]. » Ideo Marcus ait ipsos non intellexisse id quod dicebatur[3]; erat enim cor eorum occæcatum. Quia igitur adhuc humi repebant, quæ sua erant jam inducit et ait: « Afferte illos mihi huc[4]: » etiamsi enim desertus est locus, sed is qui orbem alit hic adest. Etsi vero hora transiit, sed is qui horæ subjectus non est jam vos alloquitur. Joannes vero ait panes hordeaceos fuisse[5]; neque sine causa adjicit, sed ut nos instituat ad lautam mensam conculcandam. Talis nempe erat Prophetarum mensa. « Cum igitur accepisset quinque panes et » duos pisces, et jussisset turbas recumbere in fœno, res- » piciens in cœlum benedixit: cumque fregisset, dedit Dis- » cipulis suis, Discipuli autem turbis: et manducaverunt » omnes, et saturati sunt: et tulerunt reliquias fragmento- » rum duodecim cophinos plenos. Manducantium autem » fuit numerus ferme quinque millia virorum, exceptis mu- » lieribus et pueris.[6] »

II. Cur respexit in cœlum et benedixit? Ut crederetur a Patre ipsum exivisse, ipsique æqualem esse. Quarum rerum probationes pugnare mutuo videbantur. Æqualitatem demonstrabat, quod omnia cum potestate faceret; a Patre vero ipsum esse non alio modo credidissent, quam si cum humilitate multa et omnia ad ipsum referens operaretur,

[1] Matth. XIV, 16. — [2] Ibid. 17. — [3] Marc. VIII, 17. — [4] Matth. XIV, 18. — [5] Joan. VI, 9. — [6] Matth. XIV, 19-21.

et vocaret ad opera quæ fiebant. Ideo neque hoc, neque illud tantum facit, ut utrumque confirmetur; sed modo cum potestate, modo Patrem invocans, miracula edit. Deinde ne videretur hac in re pugna quædam esse, in minoribus ad cœlum respicit; in majoribus vero cum potestate omnia facit; ut discas etiam in minoribus illum non aliunde potestatem accipere, sed honorare Patrem suum. Cum enim peccata dimisit et paradisum aperuit ut eo latronem introduceret, et cum legem veterem cum imperio abrogavit, cumque sexcentos mortuos suscitavit, mare frenavit, secreta hominum aperuit, oculum creavit, quæ Dei solius opera sunt, et non alterius, nunquam precans inducitur. Cum vero panes superabundare curavit, quod iis omnibus longe minus est, tunc in cœlum respicit : simul hæc quæ dixi probans, simulque erudiens nos, ne ante mensam attingamus, quam gratias egerimus ei qui nobis escam præbet. Et cur panes non fecit ex non extantibus? Ut Marcionis et Manichæi ora obstrueret, qui eum non esse creatorem asseverabant, et per ipsa opera doceret visibilia omnia ejus esse et opera et creaturas, ostenderetque se fructus dare, qui ab initio dixerit : « Germinet terra » herbam fœni, » et, « Educant aquæ animam reptilium vi» ventium [1]. » Neque enim minus hoc est illo : nam etsi illa sint ex non extantibus; attamen ex aqua sunt; neque minus est ex quinque panibus tot panes producere, et pisces itidem augere, quam ex terra proferre fructum, et ex aquis reptilia viventia; quod signum erat ipsum et terræ et mari imperare. Quia enim in infirmis semper signa edebat, confert et universale beneficium. Ne multi spectatores tantum essent eorum, quæ aliis contingebant, sed et ipsi dono fruerentur. Et quod mirabile Judæis videbatur in deserto, cum dicerent : « Numquid et panem poterit dare,

[1] Gen. I, 11 et 20.

» aut parare mensam in deserto [1] ? » hoc ipse operibus exhibuit. Ideoque in desertum illos adduxit, ut sine ulla prorsus suscipione miraculum fieret, nemoque putaret quemdam vicinum vicum panem in mensam intulisse. Idcirco non locum modo, sed etiam horam memorat. Aliud etiam discimus, nempe Discipulorum philosophiam, quam vel in rebus necessariis exhibebant, et quantum delicias spernerent. Nam duodecim cum essent, quinque panes tantum duosque pisces habebant; usque adeo corporea despiciebant, spiritualiaque solum curabant; imo ne pauca illa, quæ habebant retinuere, sed rogati dederunt. Inde discamus, etsi pauca nobis sint, illa egenis esse proferenda. Jussi ergo septem illos panes efferre, non dicunt; « Quo igitur cibo postea utemur? unde famem sedare poterimus? » Sed statim paruerunt. Præter ea quæ supra diximus, ideo videtur Christus ex his panibus signum edere, ut ipsos ad fidem deduceret : adhuc enim infirmiores erant. Quapropter in cælum respicit. Aliorum quippe signorum multa exempla habebant; hujus autem nullum. Acceptos igitur panes fregit, et per Discipulos dedit, hoc collato ipsis honore; nec honoris tantum causa fecit, sed ut cum miraculum cernerent, neque fidem negarent, vel postea ipsius obliviscerentur, cum ipsæ manus eorum testes essent. Quapropter prius permisit ut turbæ famis sensu laborarent, expectavitque ut illi accederent et interrogarent. Per ipsos item jussit plebem recumbere, per ipsos quoque distribuit, singulos propria confessione et operibus volens præoccupare. Idcirco ab illis panes accipit, ut multa rei testimonia essent, ac miraculi monumenta haberent. Nam si his ita gestis rei obliti sunt, quid fecissent, si rem non ita adornassent? Jubet etiam illos in fœno discumbere, turbas ad philosophandum instituens (15). Non enim

[1] Psal. LXXVII, 21.

tantum volebat ali corpora, sed animam quoque institui.

III. Ex loco igitur, ex eo quod nonnisi panes et pisces daret, quodque eadem et in communi dari jusserit; nec alius plus quam alius habuerit, humilitatem, temperantiam, charitatemque docuit, voluitque ut pari essent omnes erga alios affectu, et omnia omnibus communia esse putarent. Et fractis panibus, dedit eos Discipulis, Discipuli vero plebi. Quinque panes fractos dedit, et illi quinque in manibus Discipulorum in fontis morem scaturiebant. Neque hic stetit miraculum : sed id fecit ut etiam superabundarent, non modo panes, sed et fragmenta; ut ostenderet illorum panum has esse reliquias, utque absentes quoque possent id quod gestum erat ediscere. Idcirco turbas esurire permisit, ne quis putaret id, quod gestum erat, esse phantasiam : ideoque duodecim cophinos redundare permisit, ut et Judas suum portaret. Potuit etiam ipsam sedare famem. Sed ejus potentiam Apostoli non novissent : nam et sub Elia hoc factum fuerat. De hac ita stupefacti sunt Judæi, ut illum regem constituere vellent; qui tamen in aliis signis id nunquam tentaverant. Quis ergo verbis expresserit quo pacto panes fontis more scaturirent? Quo pacto in solitudine fluerent? Quomodo tot hominibus fuerint satis? Nam quinquies mille erant, non numeratis mulieribus et parvulis. Quæ maxima populi laus, quod et mulieres et viri Christo hærerent. Quomodo reliquiæ fuere? etenim hoc priore non minus est. Et tot fuere fragmenta, ut cophini Discipulis pares numero, nec plures, nec pauciores essent. Accepta igitur fragmenta, non turbis, sed Discipulis dedit : etenim turbæ imperfectiores erant Discipulis. Signo autem facto statim coëgit Discipulos intrare in navigium, et præcedere eum ad ulteriorem ripam, donec ipse dimitteret turbas. Nam si præsens, videretur id per phantasiam fecisse, non secundum rei veritatem, absens

certe non item. Ideoque accurato examini factum permittens, eos, qui monumenta et probationem signorum acceperant, jussit ab se separari. Alioquin vero, cum magna operatus fuerat, turbas et Discipulos ab se removebat, ut nobis suaderet nusquam humanam gloriam et auram esse persequendam, neque multitudinem attrahendam. Cum autem dicit : « Coëgit, » declarat Discipulos ejus præsentiæ multum hæsisse. Et misit eos, turbæ ut videtur vitandæ causa, ipse autem in montem volebat ascendere; ut nos doceret turbam nec assidue frequentandam, neque semper fugiendam esse; sed utrumque ad utilitatem faciendum, et alternatim prout decet, agendum. Discamus et nos quoque Jesu Christo hærere, non pro impetrandis sensibilium rerum donis, ne id nobis probro detur, sicut Judæis. « Quæritis me, inquit, non quia signa vidistis, sed quia ex » panibus comedistis et saturati estis [1]. » Ideo non frequenter hoc signum facit, sed bis tantum, ut discerent non ventri esse serviendum, sed spiritualibus assidue hærendum. His nos quoque hæreamus, et quæramus panem cœlestem, quo accepto, omnem sæcularem curam ejiciamus. Nam si illi, et domos, et civitates, et cognatos, et omnia dimiserunt, atque in solitudine versabantur, instanteque fame, non recedebant; multo magis nos, cum ad talem mensam accedimus, majorem exhibere oportet philosophiam et spiritualium amorem, sensibiliaque postea quærere. Nam et illi accusabantur, non quod quærerent ipsum propter panem; sed quod propterea solum quærerent, et propter hoc præcipue. Nam si quis magna dona despiciat, parvis autem hæreat, quæ despici vult is qui dat, ab illis etiam excidit : ut contra si illa desideremus, hæc etiam adjicit : nam hæc in accessionem dantur; ita nempe vilia sunt, si cum illis comparentur, etiamsi magna videantur. Non ergo his stu-

[1] Joan. VI, 26.

deamus, atque eorum sive possessionem, sive privationem indifferentem arbitremur : quemadmodum et Job, qui nec præsentibus hærebat, nec ablata quærebat. Nam χρήματα, non sic vocantur ut ea defodiamus, sed ut iis quantum decet utamur. Ac sicut artifex quisque suam habet artem; sic dives, qui nescit ærariam artem, nec navim fabricari, nec texere, nec ædificare, nec aliud simile quidpiam, discat divitiis ut decet uti, et egenis largiri, melioremque illis omnibus artem callebit.

IV. Nam hæc est illis omnibus artibus sublimior. Hujus officina in cœlo structa est. Hæc non ex ferro vel ære adornata organa habet, sed ex benignitate et voluntate. Hujus artis Christus doctor est, nec non ejus Pater. Nam ait : « Es-» tote misericordes sicut et Pater vester qui est in cœlis [1]. » Quodque mirabile est, cum ita cæteras antecellat, non labore vel tempore opus habet ut exerceatur. Sufficit enim velle, et totum perfectum est. Videamus quoque quis finis illius sit. Quis tandem finis illius est? Cœlum et cœlestia bona, gloria illa ineffabilis, spirituales thalami, fulgentes lampades, habitatio cum sponso; alia quæ nullus sermo, nulla mens declarare potest; ita ut hac in parte longe ab aliis differat. Nam artium pleræque ad præsens solum tempus utiles sunt nobis : hæc vero etiam ad futuram vitam. Si autem ita differt ab iis artibus quæ nobis in præsenti vita sunt necessariæ, ut a medicina, architectonica et similibus, multo magis ab aliis, quas si quis accurate exploret, neque artes esse dixerit. Quare ego alias superfluas non pro artibus habeo. Ad quid enim coquinaria et salsamentaria nobis utiles? ad nihil certe : imo valde inutiles et noxiæ sunt, quæ et corpus et animam labefactant, quod morborum ægritudinumque omnium matrem voluptatem cum pompa magna inducant. Imo nec picturam, nec phrygio-

[1] Luc. VI, 36.

nicam artes proprie dixerim. Nam in superfluos sumptus nos conjiciunt. Artes vero necessarias, quæ vitam nostram sustentant, nobis necessaria præbeant et apparent oportet. Ideo namque sapientiam indidit nobis Deus, ut inveniamus methodos, quibus possimus vitam conservare nostram; animalcula vero aut in parietibus aut in vestibus repræsentare ad quid, quæso, utile est? Ideo ex calcearіorum et ex textorum artibus multa resecanda essent : nam ad luxum multa deduxerunt, et quod necessarium erat labefactarunt, arti malum artificium admiscentes; quod etiam architectonicæ accidit. Sed ut hanc, donec ædes, non autem theatra ædificaverit, ac necessaria, non autem superflua struxerit, artem vocabo; sic et textoriam, donec vestimenta fecerit et assumenta, nec aranеas imitata, multum risum excitaverit ac mollitiem ingentem, artem voco : nec non calcearіam artem, donec calceos fecerit, artis nomine non privabo. Cum autem viros in mulierum formam traduxerit, molles et effœminatos ex calceorum forma fecerit, cum noxiis et superfluis illam locabimus. Scio me multis videri in minimis nimium immorari : neque tamen absistam. Omnium quippe malorum causa hæc est, eo quod parvi illa peccata momenti esse videantur, et ideo negligantur. Et quod hoc levius, inquies, peccatum unquam fuerit, cum quis calceos habet ornatos ac fulgentes pedibus aptatos? Si tamen hoc peccatum vocandum est. Vultis igitur illum aggrediar qui sic loquitur, et quanta rei insit turpitudo ostendam? Annon irascemini? Imo etiamsi irascamini, non multum curabo. Nam vos tantæ insipientiæ causa estis, qui rem ne peccatum quidem esse putatis, nosque ideo cogitis in hujusmodi luxum invehi.

V. Age igitur id exploremus, videamusque quantum sit malum. Cum enim serica fila, quæ ne in vestimentis quidem inserere honestum est, in calceis inseratis, quanta

contumelia, quanto risu hæc digna sunt? Si vero sententiam meam despicis, audi Paulum cum magna vehementia id prohibentem, et tunc ridiculam rem esse comperies. Quid ergo ait ille? « Non in tortis crinibus, aut auro, aut » margaritis, vel veste pretiosa [1]. » Qua igitur venia dignus fueris, quando Paulus uxori tuæ non permittit veste pretiosa uti, si tu luxum hujusmodi in calceos inducas, millequc modis appares rem ita contumeliosam et ridiculam? Nam illam ob causam navis construitur, remiges conducuntur, proræ ductor et gubernator instituuntur, velum expanditur. pelagus trajicitur, relictis uxore, liberis et patria, mercator vitam fluctibus committit, inque barbarorum regionem proficiscitur, mille periculis expositus ad hæc fila comparanda, ut post hæc omnia, tu in calceis illa assuas et corium ornes? Ecquid tanta insania deterius? At veterum calcei non tales erant, sed quales decebat viros. Quamobrem vereor ne, procedente tempore, adolescentes apud vos mulierum calceis utantur, idque sine pudore. Quodque gravius est, hæc videntes patres non indignantur, sed rem ut indifferentem habent. Vultis-ne ut quid etiam gravius afferam? Hæc ita fiunt dum multi egestate premuntur. Vultis in medium adducam Christum esurientem, nudum, undique captum, vinctum? Et quot fulminibus digni non critis, dum illum negligitis necessario egentem cibo, et pelles cum tanto studio exornatis? Ille quidem cum Discipulis legem daret, ne calceamenta quidem habere permisit : nos vero non modo nudis pedibus incedere non sustinemus, sed neque calceatis illo quo oporteret modo. Quid hac absurditate pejus? quid magis ridiculum? Illud certe animi effœminati est, inhumani, nimis curiosi, vanissimi. Quandonam poterit necessariæ rei incumbere, qui his supervacaneis deditus est? Quando juvenis hujus-

[1] 1 Tim. II, 8.

modi animæ curam habebit, vel cogitabit etiam se animam habere? Nam vanissimus omnino erit qui hæc mirari compelletur, et immanissimus, qui his intentus pauperes negliget; virtute vacuus, qui totam vitam in hoc studio impendit. Nam qui filorum præstantiam, colorum florem, hederæque speciem a tali textura emissam curiose perquirit, quandonam poterit cœlum respicere? Quando supernam illam pulchritudinem mirabitur is, qui pronus in terram pellium pulchritudinem miratur? Deus quidem extendit cœlum, solem accendit, oculosque tuos sursum trahit; tu vero te ipsum cogis versus terram porcorum instar respicere, diaboloque morem regis. Nam ipse malignus dæmon hanc turpitudinem excogitavit, ut te ab illa pulchritudine averteret; ideo te istuc attraxit, postponiturque Deus cœlum ostendens, diabolo pelles monstranti; imo non pelles, hæ quippe sunt Dei opus; sed mollitiem quamdam et pessimum artificium. Sic adolescens pronus versus terram circumit, qui cœlestia philosophari jussus est: magisque de his gloriatur, quam si quid magnum operatus esset, sicque molliter et delicate per forum incedit; mœrorem sibi doloremque concilians, ne hieme calceos luto commaculet, ne æstate pulvere operiat. Quid dicis, o homo? Animam ne totam in lutum conjecisti per hujusmodi luxum, num illam humi devolutam negligis, et de calceis tam anxie cogitas? Disce usum eorum, et erubesce quod tanti illa facias. Nam calcei ideo inventi sunt, ut lutum et cœnum calcent, nec non maculas omnes, quæ in pavimento visuntur. Si autem id ferre non potes, solve illos et a collo suspende, vel capiti circumpone.

VI. Vos quidem ridetis hæc audientes, ego vero in lacrymas erumpo videns illorum insaniam et hujusmodi curam. Nam libentius illi corpus luto commacularent, quam hujusmodi calceos. Hinc illi levissimis dediti fiunt, atque

alia ratione pecuniæ avidi. Nam qui in hæc insano studio ferri assueti sunt, in vestibus in aliisque omnibus multa insumant et impendant oportet. Qui si ambitiosum patrem habeat, augetur ejus absurda cupiditas ; si avarum, cogitur alia turpiter aggredi, ut aurum ad hunc sumptum corradat. Hinc multi juvenes, et formam suam vendiderunt et parasiti divitum effecti sunt, aliaque servilia subiere ministeria, ut his facultatem explendæ cupiditatis emerent. Quod igitur hic pecuniæ amans futurus sit et levissimus atque ad necessaria omnino socors ; hincque futurum sit ut alia admittere peccata cogatur, ex dictis manifestum est. Quod item inhumanus sit futurus et vanæ gloriæ cupidus, nemo inficias erat. Inhumanus cum viso paupere, amore ornatus sui ductus, ne respicere quidem dignabitur : sed dum calceos auro exornat, illum fame pereuntem despiciet ; vanæ gloriæ cupidus, dum in minimis videntium existimationem venari doctus deprehendetur. Neque enim puto ducem de exercitibus et tropæis suis ita gloriari, ut juvenem illum perditum de calceorum ornatu, de vestimentis defluentibus, de coma capitis : quanquam hæc omnia artificum aliorum opera sunt. Quod si de alienis non desinunt vane gloriari, quando de suis desinent? Alia quoque dicerem his graviora : at hæc vobis satis sunt. Hic ergo finem orandi facere oportet. Hæc quippe dixi contra contentiosos, qui rem nihil absurdi habere dicebant. Et scio quidem multos ex juvenibus ne dictis quidem attendere, ita sunt ebrii, et huic morbo addicti, neque tamen silendum erat. Nam patres mente sani, ipsos ad modestiam inducere poterunt. Ne dicas igitur : « Nihil hinc, nihil inde : » hoc quippe, hoc omnia pessumdedit. Oportebat enim illos instituere, et in iis, quæ minima videbantur esse, honestos reddere, magnanimos, ornamentorum contemptores ; sic enim illos in magnis etiam præclaros inveniremus. Quid enim elemen-

torum disciplina vilius? Attamen ex ea rhetores, sophistæ, et philosophi evadunt. Si hæc ignorent, illa nunquam scient. Hæc autem diximus non pueris tantum, sed etiam mulieribus et puellis. Illæ quippe sunt iisdem obnoxiæ peccatis; imo tanto magis, quanto modestiorem decet esse virginem. Quæ igitur illis dicta sunt, vobis etiam dicta putate, nec eadem repetamus. Nam tempus est ut sermonem precibus claudamus. Vos ergo nobiscum simul orate, ut juvenes, illi maxime qui ad Ecclesiam pertinent, modeste vivere possint, et ad senectutem condecentem pervenire. Nam eis qui non temperanter vivunt, non optandum ut senectutem assequantur; illos vero qui in juventute senes imitantur, precor extremam attingere canitiem, et præclaros filios gignere, qui patribus gaudio sint, imprimisque Deo omnium conditori, precor item ut morbum animi omnem abigat, non modo eum qui in calceis et vestimentis deprehenditur, sed et alium quemcumque. Nam adolescentia neglecta similis est incultæ terræ, quæ multas undique spinas gignit. Immittamus ergo sancti Spiritus ignem, et malas hasce cupiditates uramus; inculta arva excolamus, ut semen possint suscipere; et juniores nostros alienis senibus sapientiores exhibeamus. Nam mirabile plane illud est cum in juventute splendet temperantia, cum contra is, qui in senectute temperans est, non ita magnam referat mercedem, qui ætatis subsidium habeat. Illud autem mirum est; in fluctibus tranquillitate frui, et in fornace non comburi, atque in juventute non lascivire. Hæc itaque animo recolentes, imitemur beatum illum Josephum, qui in his omnibus conspicuus fuit, ut easdem quas ille coronas assequamur, quibus utinam omnes potiamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria et simul Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA L.

CAPUT XIV.

Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi. Navicula autem jam in medio mari jactabatur fluctibus : erat enim contrarius ventus [1].

I. Cur in montem ascendit? Ut nos doceat commodum esse desertum, commodam solitudinem, cum Deo supplicandum est. Ideo sæpe deserta petit; ibique pernoctat orans; ut nos moneat et tempus et locum ad tranquille precandum opportunum esse quærendum. Solitudo enim tranquillitatis mater est, quietisque portus, ab omni nos tumultu liberans. Ille quidem his de causis illuc ascendit. Discipuli vero rursum fluctibus agitantur, et tempestate ut ante jactantur. Sed tunc illum in navicula habentes hæc patiebantur; nunc autem soli sunt et seorsim positi. Etenim illos paulatim et per gradus ad majora inducit, ut omnia fortiter ferant. Idcirco cum periclitaturi primum erant, aderat quidem, sed dormiebat, ut præsto esset ad auxilium præstandum. Nunc vero ut majori illos patientia exerceat, non id facit, sed abest, et in medio mari permittit tempestatem excitari, ut nulla fere spes salutis superesset; et tota nocte sinit eos fluctibus agitari, ut eorum, puto, excæcatum cor incitaret. Talis quippe res est timor, quem et tempestas et nox inferebant. Cum compunctione autem illa sui desiderio magis illos inflammavit, ut sui perpetuam

[1] Matth. XIV, 23, 24.

memoriam retinerent. Ideo non statim illis affuit : nam ait. « Quarta custodia noctis venit ad eos ambulans supra » mare [1] ; » ut doceret illos ne malorum finem cito quærerent, sed quæ accidebant fortiter ferrent. Quando igitur expectabant se liberandos esse, tum auctum est periculum et timor major : nam inquit: « Cum viderent eum Discipuli » ambulantem supra mare, turbati sunt, dicentes phantasma » esse, et præ timore clamaverunt [2]. » Semper enim hoc facit, cum ærumnas soluturus est, alias graviores infert et terribiliores. Quod etiam tunc contigit. Nam et tempestas, nec minus visum illud, ipsos turbavit. Ideo neque tenebras solvit, neque seipsum statim ostendit, exercens illos, ut dixi, per terrorum assiduitatem, et docens ut patientes essent. Hoc et in Jobo fecit ; cum enim metum et tentationem soluturus erat, tunc finem permisit esse graviorem ; non ex morte filiorum, neque ex uxoris dictis, sed ex opprobriis servorum et amicorum [3]. Et cum Jacobum in peregrina terra a miseria erepturus erat, exagitari illum, et majorem perpeti sivit perturbationem. Nam socer ejus apprehensum occidere minabatur, et post illum frater excipiens, in extremum periculum conjecit [4]. Quia enim non possunt Justi diuturno tempore vehementer tentari ; cum ex certamine evasuri sunt, ut majus lucrum reportent, exercitationes auget. Id etiam in Abrahamo fecit, cujus postremum certamen immolandus filius erat [5]. Tunc enim intolerabilia tolerari poterunt, cum in januis, ut ita dicam, inferuntur, et jam proxima est liberatio. Hoc et tunc fecit, nec prius Christus se ipsis cognoscendum præbuit, donec clamaverunt. Quanto enim major erat trepidatio, tanto gratior ejus præsentia videbatur ipsis. Cum enim clamassent, ait: « Statim locutus est illis Jesus dicens : Confidite, ego sum :

[1] Matth. xiv, 25. — [2] Ibid. 26. — [3] Job. ii, 9 et seqq. — [4] Gen xxxi. — [5] Id. xxii, 1.

» nolite timere [1]. » Hoc dictum timorem excussit, et fiduciam indidit. Quia enim ipsum tunc de facie non noverant, et ob inauditum ambulandi genus, et ob noctis tempus, a voce se noscendum præbet. Quid igitur Petrus, semper fervidus, semper ante alios præsiliens? « Domine, si tu es, » inquit, jube me venire ad te super aquas [2]. » Non dixit : « Ora et precare, » sed, « Jube. » Vides-ne quantus fervor? quanta fides? quanquam hinc sæpe periclitaretur, quod ultra virium mensuram quæreret. Nam hic rem maximam postulabat, ob charitatem solum, non ad ostentationem. Non enim dixit: « Jube me ambulare super aquas ; » sed quid? « Jube me venire ad te. » Nemo quippe ita Jesum amabat. Illud etiam post resurrectionem fecit. Neque enim sustinuit cum aliis venire, sed præcucurrit. Nec modo amoris, sed etiam fidei suæ argumenta præbet. Neque solum credidit posse ipsum ambulare supra mare, sed etiam aliis parem facultatem dare : desideratque cito ad ipsum pervenire. « Ipse autem dixit : Veni. Et cum descendisset de navi- » cula, Petrus ambulabat super aquas, et venit ad Jesum. » Ubi vidit autem ventum validum, timuit : et cum cœpis- » set mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac. Sta- » tim vero Jesus extendens manum apprehendit eum, et » dicit ei : Modicæ fidei, quare dubitasti [3] ? » Hoc priore mirabilius est. Ideo post illud accidit. Cum enim ostendisset se mari imperare, tunc signum mirabilius effecit. Tunc enim ventis imperavit tantum; nunc autem et ipse ambulat, et alium permittit ambulare. Quod si initio jussisset, non sic eam rem suscepisset Petrus, quia nondum tanta præditus erat fide.

II. Cur ergo Christus id permisit? Quia si dixisset: « Non potes; » ille qui fervens erat contradixisset. Ideoque ex ipsa re illum id persuasum habere voluit, ut in futuro modes-

[1] Matth. xiv, 27. — [2] Ibid, 28. — [3] Ibid, 29-31.

tior esset. Sed neque sic se potest continere. Cum descendisset igitur, fluctibus exagitabatur : timebat enim. Ut exagitaretur, fluctus effecit; ut timeret, ventus. Joannes autem ait voluisse eos ipsum in naviculam accipere, et confestim naviculam venisse ad terram, ad quam tendebant [1]. Idipsum significans; ita ut cum ad terram appulsuri essent, in navigium ascenderet. Cum descendissent ergo de navi, ad ipsum ibat, non ita gaudens quod supra aquas ambularet, quam quod ad ipsum veniret : et cum id quod majus erat assequeretur, ex minori periclitaturus erat, a venti dico impetu, non a mari. Talis quippe est humana natura, sæpe cum magna superavit, a minoribus vincitur. Quod etiam Elias sub Jezabele passus est, quod Moyses ab Ægyptio, David a Bersabee. Ita et Petrus : instante adhuc terrore super aquas ambulare ausus est, sed contra venti impetum stare non potuit, et hoc cum prope Christum esset. Ita nihil juvat esse prope Christum, nisi fide prope sis. Hoc porro quantum esset inter Magistrum et Discipulum intervallum ostendit, aliisque consolationi fuit. Nam si de duobus fratribus irati sunt, multo magis hic indignati fuissent : nondum enim Spiritum sanctum acceperant. Sed postea non tales fuerunt. Ubique enim primas Petro concedunt, et ad conciones publicas illum præferunt, quamvis cæteris rudior videretur. Sed cur non imperavit ventis ut quiescerent, sed extensa manu apprehendit eum? Quia fide ipsius opus erat. Cum enim nostra desinunt, quæ Dei sunt etiam sistuntur. Ostendens igitur, non venti impetum, sed modicam ejus fidem ipsum evertisse, ait : « Modicæ fidei, quare dubitasti? » Itaque nisi fides infirma fuisset, etiam contra ventum facile stetisset. Quapropter, illo apprehenso, ventum flare sinebat, ostendens nihil ipsum lædere, si fides firma esset. Et sicut pul-

[1] Joan. VI, 21.

lum, ante tempus e nido egressum, et jamjam delapsurum, mater alis sustentans in nidum reducit, sic et Christus fecit. « Et cum ascendissent in naviculam, tunc cessavit ven» tus [1]. » Prius quidem dicebant : « Qualis est hic homo, » quia venti et mare obediunt ei [2] ? » Nunc autem non sic. Nam « Qui in navicula erant, inquit, venientes adoraverunt » eum, dicentes : Vere Filius Dei es [3]. » Vides-ne quomodo paulatim ad sublimiora omnes ducat? Nam quia in mari ambulavit, et quia alium jussit id facere, ac periclitantem servavit, hinc fides eorum admodum aucta est. Tunc enim mare increpavit ; nunc non increpat; alio majorique modo potentiam suam ostendens. Ideo dicebant : « Vere Filius » Dei es. » Quid igitur? An increpavit eos, qui hoc dicerent? Imo contra omnino : hoc dictum etiam firmavit, cum majori potestate curans eos qui accederent, et non ut antea. « Et cum transfretassent, inquit, venerunt in terram Gene» saret; et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt » in omnem circum regionem illam, et obtulerunt ei omnes » male habentes, et rogabant ut tangerent fimbriam vesti» menti ejus, et quotquot tetigerunt, salvi facti sunt [4]. » Non enim ut prius ipsum ad domos suas trahebant, nec quærebant ut manu tangeret, ac verbis imperaret. Sed sublimius sapientiusque, ac cum majori fide curationem impetrabant. Nam ea quæ fluxum sanguinis patiebatur, omnibus philosophiæ hujus magistra fuit. Ut ostendat autem Evangelista jam a multo tempore ipsum in has partes venisse, ait : « Cum cognovissent viri loci illius, miserunt ad » omnem circum regionem, et ægrotos offerebant ei. » Attamen tempus non modo non solvit fidem, sed et majorem effecit, et vigentem servavit. Tangamus ergo nos quoque fimbriam vestimenti ejus; imo si velimus, totum ipsum

[1] Matth. XIV, 32. — [2] Id. VIII, 27. — [3] Id. XIV, 33. — [4] Ibid. 34-36.

habemus. Nam corpus nunc nobis propositum est; non vestimentum tantum, sed corpus; non ut tangamus solum, sed etiam ut comedamus, et satiemur. Accedamus itaque cum fide, singuli ægrotantes. Nam si ii, qui fimbriam vestimenti ejus tangebant, tantam sibi attraxere virtutem, quanto magis ii, qui totum ipsum tenent? Accedere autem cum fide, non est tantum propositum corpus accipere; sed cum puro corde tangere, atque ita affectum esse ac si ad ipsum Christum accedas. Quid enim si vocem ejus non audis? At vides illum jacentem; imo vero vocem ejus audis, loquentis per Evangelistas.

III. Credite igitur nunc illam cœnam celebrari, in qua ipse recumbebat. Nihil quippe hæc ab illa differt. Neque enim hanc homo efficit, illam Christus, sed hic ipse utramque. Quando igitur sacerdotem tibi præbentem vides, ne putes sacerdotem hoc facere; sed Christi manum esse quæ extenditur. Sicut enim cum sacerdos baptizat, non ipse baptizat, sed Deus, qui caput tuum invisibili virtute tenet; ac neque Angelus, neque Archangelus, nec alius quispiam audet accedere et te tangere: sic et nunc. Nam cum Deus solus regenerat, id Dei solius donum est. Nonne vides, eos qui hic in filios adoptantur, quomodo non rem servis committant; sed ipsi ad forum judiciale adsint? Sic Deus non Angelis hoc munus commisit: sed ipse adest jubens et dicens: « Nolite vocare patrem super terram. » Non ut parentes contemnat; sed ut illis omnibus factorem tuum anteponas, qui te inter filios suos ascripsit. Nam qui id quod majus erat dedit, hoc est seipsum; multo magis dignabitur suum tibi tradere corpus. Audiamus igitur, et sacerdotes et subditi eis, quanto munere dignati simus; audiamus, et perhorrescamus. Sacras nobis carnes suas comedendas dedit, seipsum apposuit immolatum. Quæ igitur nobis excusatio erit, cum tali pasti cibo, taliter pecce-

mus; cum agnum comedentes lupi efficimur; cum ovem manducantes, instar leonum rapimus? Hoc quippe mysterium non solum a rapina, sed etiam a levi inimicitia puros semper esse jubet. Nam hoc mysterium, pacis est mysterium : nec sinit divitiis esse addictos. Nam si ipse propter nos sibi ipsi non pepercit, quo erimus digni supplicio si divitiis parcamus, animamque negligamus, pro qua ipse sibi ipsi non pepercit? Judæis quidem quotannis in memoriam beneficiorum suorum solemnitates Deus instituit; tibi vero singulis pene diebus per hæc sacra mysteria. Ne igitur crucem erubescas : hæc quippe sunt decora nostra, hæc nostra mysteria, hoc ornamur munere, hoc gloriamur. Si dixero : « Cœlum et terram extendit, mare effudit, Prophetas et Angelos misit, » nihil huic rei par dixero. Hoc quippe caput est bonorum omnium, quod Filio suo non pepercerit, ut servos abalienatos servaret. Nullus ergo Judas hanc adeat mensam, nullus Simon : ambo enim per avaritiam perierunt. Fugiamus itaque hoc barathrum, neque putemus nobis satis esse ad salutem, si postquam viduas et pupillos expoliavimus, poculum aureum et gemmis ornatum mensæ offeramus. Nam si vis hoc sacrificium honorare, animam offer, ob quam Christus immolatus est : hanc facito auream : si vero ipsa sit plumbo et testa deterior, vas autem aureum sit, quid inde lucri? Ne igitur hoc curemus solum ut aurea vasa offeramus; sed ut ex justis laboribus. Hæc quippe sunt auro pretiosiora, quæ non ex avaritia et rapina parta sunt. Neque enim auri vel argenti officina est Ecclesia, sed Angelorum celebritas : quare animabus nobis est opus : nam hæc vasa propter animas admittit Deus. Non erat argentea mensa illa, nec aureus calix in quo sanguinem suum Discipulis Christus dedit : sed tamen omnia illa pretiosa erant et tremenda, quia omnia Spiritu repleta erant. Vis corpus Christi honorare, non despicias ipsum

nudum : neque hic sericis vestibus honores, foris autem frigore ac nuditate afflictum negligas. Nam is qui dixit : « Hoc est corpus meum [1], » et verbo rem firmavit, idem ipse dixit : « Esurientem me vidistis, et non nutrivistis ; » et, « In quantum non fecistis uni horum minimorum, nec » mihi fecistis [2]. » Hoc certe non opus habet amictu, sed puro animo ; illud autem magna opus habet cura. Discamus itaque philosophari, et Christum honorare ut ipse vult : « Nam ei qui honoratur, honor ille suavissimus, quem ipse optat, non quem nos putamus. Siquidem Petrus se illum honorare putabat, cum cohiberet ne pedes suos lavaret [3] ; sed id quod volebat non erat honor, sed secus omnino. Sic et tu illum ipsi exhibe honorem quem lege præcepit, divitias tuas pauperibus erogans. Neque enim vasis aureis opus habet Deus, sed animabus aureis.

IV. Hoc porro dico, non quod prohibeam ne talia munera apparentur, sed postulans, ut cum his et ante hæc eleemosyna erogetur. Nam hæc quidem accipit, sed multo magis illa. In his enim is qui offert solus utilitatem habet, ibi vero etiam is, qui accipit. Hic videtur donum esse ostentationis occasio ; ibi eleemosyna et benignitas tantum est. Quæ enim utilitas si mensa Christi sit aureis poculis onusta, ipse vero fame pereat? Primo esurientem imple, et tunc ex superabundanti mensam ejus exorna. Aureum calicem facis, et calicem aquæ non das? Et quid opus est auro intexta velamina mensæ apparare, ipsi vero ne quidem necessarium tegumentum præbere? Quid inde lucri? Nam dic mihi : « Si quem videres necessario egentem cibo, et ipso sic relicto, mensam auro circumdares tantum, an tibi gratias haberet, annon potius indignaretur? » Quid vero si illum videres detritis pannis indutum et frigore rigentem, et missis vestibus, aureas ipsi columnas erigeres, dicens id

[1] Matth. xxvi, 26. — [2] Id. xxv, 42. — [3] Joan. xiii, 8.

te in ejus honorem facere? Annon se derideri putaret, atque extrema contumelia affici? Hoc etiam circa Christum reputa cum errabundus et peregrinus circumit, tecto indigens, tu autem illo in hospitem non admisso, pavimentum exornas et parietes columnarumque capitella, et argenteas catenas lampadibus alligas, ipsum vero in carcere ligatum ne videre quidem sustines. Hæc porro dico non prohibens ut hæc ornamenta adhibeantur; sed ut hæc etiam cum aliis curentur; imo hortor ut hæc prius quam alia fiant. Nemo enim quod istæc non faceret accusatus unquam fuit; illa vero negligentibus gehenna destinatur et ignis inextinguibilis, et supplicium cum dæmonibus sustinendum. Ne itaque, dum domum exornas, afflictum fratrem despicias. Nam hoc templum illo pretiosius. Hæc quippe cimelia poterunt, vel reges infideles, vel tyranni, vel fures auferre; quæcumque vero benigne in fratrem facies esurientem, peregrinum, nudum, ne diabolus quidem poterit auferre, sed in thesauro manebit intacto. Quid igitur ait ille? Pauperes vobiscum semper habetis, me autem semper » non habetis [1]. » Ideo enim maxime misericordia moveri oportet, quia non semper habemus illum esurientem, sed in præsenti tantum vita. Quod si velis totam dicti ejus sententiam ediscere, audi. Hoc ad Discipulos dictum non fuit, etiamsi ita videatur, sed imbecillitati mulieris adaptatum est. Quia enim adhuc imperfectior erat : illi vero ipsi molesti erant, ut illam solaretur hæc dicebat, id vero patet ex iis, quæ dixit : « Quid molesti estis huic mulieri [2] ? » Quod autem ipsum semper nobiscum habeamus, sic ille dixit : « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad con- » summationem sæculi [3]. » Ex quibus omnibus liquet ipsum non alia de causa hæc dixisse, nisi ut mulieris fidem, quæ tunc pullulabat, Discipulorum increpatio non læderet.

[1] Marc. XIV, 7. — [2] Ibid. 6. — [3] Matth. XXVIII, 20.

Ne igitur hæc in medium nunc afferamus, quæ per œconomiam dicta sunt, sed leges omnes quæ in nova, quæ in veteri lege sunt legentes, multam ea in re curam impendamus. Hoc enim a peccato purgat; nam ait : « Date eleemosynam, et omnia vobis munda erunt [1]. » Hæc sacrificio major est : « Misericordiam quippe volo, et non sacrificium [2]; » Hoc cœlos aperit : « Orationes, inquit, tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei [3]. » Hoc magis necessarium est quam virginitas; nam eleemosyna neglecta illæ expulsæ ex thalamo fuerunt; aliæ vero ingressæ sunt [4]. » Quæ omnia cum sciamus, seminemus largiter, ut cum majori copia metamus, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA LI.

CAPUT XV.

Tunc accesserunt ad Jesum a Jerosolymis Scribæ et Pharisæi dicentes : Quare, etc [5].

1. « Tunc, » Quandonam? cum mille signa fecit; cum infirmos ex tactu fimbriæ curavit. Ideo enim Evangelista tempus indicat, ut ipsorum ingentem nequitiam ostendat nulli cedentem. Quid sibi vult illud : « Ab Jerosolymis Scribæ et Pharisæi? » Quia in omnibus tribubus dispersi erant, et in duodecim partes divisi. Sed Jerosolymitani cæteris nequiores erant, ut qui majori fruerentur honore, et plurimum sibi arrogarent. Perpende autem quomodo ex

[1] Luc. xi, 41. — [2] Osee vi, 6. — [3] Act. x, 4. — [4] Matth. xxv, 8 et seqq. — [5] Id. xv, 1.

ipsa sua interrogatione capiantur. Neque enim dicunt: «Cur transgrediuntur legem Moysis;» sed «Traditionem se»niorum;» unde palam est multa sacerdotes innovasse; etiamsi Moyses magno terrore, multisque minis adhibitis vetuisset ne quid adderent vel demerent. «Non adjicietis »ad verbum, quod ego præcipio vobis hodie, nec auferetis »ab eo[1]. »Nihiloque minus nova inducebant, ut hoc erat, ne illotis manibus comederent, ut pocula et vasa ænea abluerent, ut sese baptizarent. Quo tempore autem oportebat illos ab hujusmodi observationibus sese expedire, tunc se illi magis iisdem obligarunt, metuentes ne quis sibi principatum abriperet, et formidabiliores haberi volebant, utpote legislatores. In tantam ergo iniquitatem res processit, ut præcepta quidem sua servarentur, Dei vero mandata violarentur, et tantum illi prævaluerant, ut nullus ea de causa in crimen vocaretur, qua in re duplicem illi culpam contrahebant, et quod innovarent, et quod sic sua vindicarent, Dei nullam habentes rationem. Prætermissis vero aliis, sextariis nempe et vasis æncis, quæ ridicula erant, quod præcipuum videbatur in medium proferunt; quo illum, ut mihi quidem videtur, in iram concitarent. Quamobrem seniorum meminerunt, ut quasi illos despiceret, hinc ansam accusandi præberet. Examinandum primo est cur Discipuli, illotis manibus, manducarent. Non de industria id agebant, sed quod illa superflua respuerent, dum necessariis attenderent: nec pro lege habebant, lotis aut illotis manibus, comedere, sed utrumque ut sese occasio dabat agebant. Nam qui necessarium quoque cibum despiciebant, quomodo hæc accurate servassent? Quia igitur plerumque contingebat ut in promptu, et quasi fortuito id facerent, ut cum in deserto comedebant, et cum spicas vellebant, id quasi crimen proferunt, qui majora semper

[1] Deut. IV, 2.

negligebant, et superflua admodum curabant. Quid igitur Christus? Non illud attendit, neque criminationem depulit; sed statim recriminatus est, ut audaciam illorum reprimeret, ostenderetque eum, qui in majoribus peccat, minora in aliis non tanta cura explorare debere. Vos accusari oportebat, et accusatis. Tu vero observes velim quomodo cum aliquid ex legalibus solvere vult, quasi sese excusando id faciat; quod et tunc fecit. Non enim statim ad transgressionem procedit, neque dicit : « Id nihil est; » alioquin vero illos ferociores reddidisset : sed prius illorum audaciam retundit, longe majus crimen in medium proferens, et in ipsorum caput retorquens. Neque dicit recte illos facere dum transgrediuntur, ne ansam illis præbeat; neque ideo objurgat, ne videatur legem firmare. Neque rursus seniores accusat ut iniquos, ut scelestos; alioquin enim ut convitiatorem illum aversarentur. Verum missis illis omnibus, alia via procedit; ac videtur quidem accedentes increpare, sed perstringit eos, qui hujusmodi leges posuerant; seniores nusquam memorans, sed in accusatione contra hos instituta, illos quoque dejiciens, ostendensque duplex esse peccatum, quod et Deo non obsequerentur, et quod propter homines id facerent; ac si diceret : « Hoc enim ipsum et vos et illos perdidit, quod in omni re senioribus morem geratis. » Sed non hoc dicit, illud autem ipsum subindicat, dum sic ipsis respondet. « Quare etiam » vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem » vestram? Deus enim præcepit : Honora patrem et matrem, » et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos » autem dicitis : Quicumque dixerit patri vel matri : Munus » quodcumque est ex me, tibi proderit, et non honorabit » patrem suum vel matrem suam, et irritum fecistis man» datum Dei propter traditionem vestram[1]. »

[1] Matth. xv, 3-6.

II. Non dicit : « Seniorum traditionem, » sed « Vestram : « Et vos dicitis, » non dixit : « Seniores, » ut minus molestus sermo videretur. Quia enim Discipulos transgressores esse legis demonstrare volebant, probat ipsos vere transgredi legem, Discipulos autem crimine liberos esse. Neque lex est id, quod ab hominibus præcipitur : ideoque traditionem vocat, quæ erat iniquissimorum hominum. Verum quia jussio lavandi manus non erat legi contraria, aliam traditionem in medium profert, quæ legi contraria esset. Quod vero dicit hoc significat : « Docuerunt juvenes ut pietatis specie patres despicerent. » Quomodo et qua ratione? Si quis parentum filio diceret ; « Da mihi hanc, quam habes, ovem, aut vitulum, aut aliud quid simile; » respondebant : « Id, quod a me vis accipere, donum est Deo promissum, nec potes illud accipere. » Ac duplex hinc malum emergebat. Neque enim Deo offerebant, ac parentes oblationis nomine defraudabant, et ipsos propter Deum injuria afficiebant, Deumque propter parentes. Verum non hoc statim dicit : sed prius legem recitat, qua declarat Deus admodum velle se ut parentes honorentur ; nam ait : « Honora patrem tuum » et matrem, ut sis longvus in terra[1]. » Item, « Qui male- » dixerit patri vel matri, morte moriatur. » Christus autem, misso præmio, quo donantur ii, qui parentes honorant, quod terribilius est profert, nempe supplicium parentes inhonorantibus inferendum, tum ut ipsos deterreat, tum ut prudentes attrahat, hincque ostendit illos esse morte dignos. Nam si is, qui verbis inhonorat, plectitur, multo magis vos qui opere id facitis : nec modo inhonoratis, sed etiam alios id facere docetis. Vos ergo, qui nec in vivis esse deberetis, cur Discipulos incusatis? Quid mirum autem si in me, quem hactenus ignorastis, tam contumeliosi estis, quando idipsum erga patrem facitis? Ubique enim dicit et ostendit

[1] Exod, xx, 12.

hinc ortam arrogantiam illam esse. Nonnulli aliter interpretantur : « Donum quodcumque ex me tibi proderit ; » id est, non debeo tibi honorem, sed si te honorem, id gratis facio. Sed Christus non hanc contumeliam memoravit. Marcus vero clarius id exprimit his verbis : « Corban » quodcumque ex me tibi proderit [1]. » Id quod non est munus aut donum, sed oblatio proprie dicitur. Cum igitur demonstrasset non jure illos, qui legem Dei conculcent, alios reprehendere, qui seniorum præceptum transgressi essent, idipsum ostendit et ex Propheta. Quia enim illos vehementer redarguerat, ulterius procedit, quod etiam ubique facit, Scripturas in medium adducens, ut hinc se ostendat Deo consonum esse. Quid igitur ait Propheta ? « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe » est a me [2]. Frustra autem colunt me docentes doctrinas, » mandata hominum [3], » Vides-ne prophetiam accurate dictis consonam, quæ jam olim eorum malignitatem prænuntiat ? Quod Christus nunc accusando profert, hoc jam olim dixit Esaïas, quod mandata Dei spernant. « Frustra enim » colunt me, » inquit ; de suis vero præceptis magnam curam habeant, « Docentes mandata, doctrinas hominum. » Jure ergo has Discipuli non servant. Postquam igitur letalem hanc plagam illis inflixit, atque ex Scripturis, et ex propria ipsorum sententia, exque Propheta accusationem auxit, illis quidem nihil ultra loquitur, utpote qui emendari non poterant, sermonem vero convertit ad turbas, ut dogma inducat sublime, magnum et multa philosophia plenum. Sumptaque ex illo occasione, majus illud contexuit, et ciborum observationem eliminat. Sed vide quando : cum leprosum mundavit ; cum sabbatum solvit ; quando terræ marisque regem se declaravit ; quando leges dedit ; quando peccata dimisit ; quando mortuos excitavit ; quando argu-

[1] Marc. VII, 11. — [2] Isaï. XXIX, 13. — [3] Matth. XV, 8, 9.

menta multa Divinitatis suæ ipsis præbuit, tunc de cibis loquitur.

III. Totus enim judaïsmus hac in re continetur. Si hoc abstuleris, totum abstulisti. Nam inde commonstrat etiam circumcisionem abrogari oportere. Sed illud non præcipue induxit, quoniam hoc præceptum aliis erat antiquius, et majore observabatur religione. Sed per Discipulos illud statuit. Ita magna res erat, ut cum Discipuli post tantum tempus vellent illam abrogare, primo illam adhibuerint, deinde abrogarint. Vide autem quomodo legem inducat : « Cum advocasset enim turbas, inquit, dixit eis : Audite et » intelligite [1]. » Neque enim simpliciter ipsis hoc annuntiat, sed prius honore atque obsequio attentionem sermoni suo conciliat; (hoc enim significavit Evangelista cum dixit : « Cum advocasset deinde; ») nec non ex temporis opportunitate. Postquam enim illos confutaverat et vicerat, postquam ex Propheta redarguerat, tunc legem ferre incipit, cum facilius poterant dicta excipere; nec modo advocat, sed attentiores reddit. « Intelligite, inquit, hoc est, cogi- » tate, animum erigite : » attentione digna est lex mox scribenda. Nam si illi tempore non consentaneo legem solverunt propter traditionem suam, et vos audistis illos, multo magis me audire oportet, qui tempore opportuno ad majorem vos philosophiam induco. Nec dixit : « Nihil est ciborum observatio, » vel, « Moyses id male præcepit, vel sese vobis attemperavit; » sed quasi admonendo et consulendo, et a rerum natura testimonium accipiens dicit : « Non quæ » intrant in os, coinquinant hominem, sed quæ ex ore pro- » cedunt [2]. » Secundum ipsam naturam, et legem profert et sententiam dicit. Hæc illi audientes non contradixerunt, neque dixerunt : « Quid tu ais? cum Deus de ciborum observatione innumera præceperit, tu hujusmodi leges tradis? »

[1] Matth. xv, 10. — [2] Ibid. 11.

Sed quia vehementer illos represserat, non confutando solum, sed dolum ipsorum in medium afferendo, ac quæ clam illi struxerant, arcanaque mentis eorum revelando, cum silentio recesserunt. Tu vero mihi perpende quomodo nec manifeste nec palam de cibis edisserat. Ideoque non dixit: « Cibi, » sed, « Ea quæ ingrediuntur, non coinquinant ho» minem, » quod etiam poterant de illotis manibus suspicari. Ipse namque de cibis loquebatur, poteratque tamen intelligi de illotis manibus. Tanta enim erat ciborum observatio, ut etiam post resurrectionem Petrus diceret: « Non, » Domine, quia nunquam commune, aut immundum quid » comedi [1]. » Etiamsi enim aliorum causa hæc diceret, ut sibi adversus accusatores defensionem pararet, ostenderetque se restitisse, neque sic id sibi concessum fuisse, attamen ostendit magnam hujus rei curam et opinionem. Ideo Christus in principio non ita aperte de cibis locutus est; sed dixit: « Quæ per os ingrediuntur: » ac rursus, cum manifestius hac de re postea locutus videretur, a fine illa obumbravit dicens: « Illotis autem manibus manducare non » coinquinat hominem [2]: » ut hinc videretur initium ducere, interimque illa de re disseruisse. Idcirco non dixit: « Ciborum esus non coinquinat hominem, » sed quasi de alia re disputans, ut nihil possent illi objicere. « Hæc cum » audissent, inquit, scandalizati sunt, » Pharisæi nempe, non turbæ. « Accedentes enim, inquit, Discipuli ejus dixerunt » ei: Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati » sunt [3]? » Et tamen nihil adversus eos dictum fuerat. Quid igitur Christus? Non solvit scandalum eorum, sed increpavit dicens: « Omnis plantatio quam non plantavit Pater » meus cœlestis, eradicabitur. » Noverat enim quandonam scandala contemnenda, et quando non despicienda erant; alibi quippe ait: « Ne scandalizemus eos, mitte hamum in

[1] Act. x, 14. — [2] Matth. xv, 20. — [3] Ibid. 12. — [4] Ibid. 13.

» mare [1] : » hic vero dicit : « Sinite illos, cæci sunt, et duces » cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo » in foveam cadent [2]. » Hæc autem dicebant Discipuli, non tam quod de illis dolerent, sed quod et ipsi aliquantum turbarentur. Quia vero non audebant illud ex propria persona dicere, in narratione de aliis instituta id ediscere volebant. Nam quod res ita se habeat, audi quomodo postea Petrus fervens ille, qui semper prior accedit, dicat : « Edis- » sere nobis parabolam hanc, » animi sui perturbationem declarans, nec audens palam dicere hoc sibi offendiculo esse, sed rogans se commotum, interpretatione sedari, quapropter etiam increpatus fuit. Quid igitur ait Christus? « Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœles- » tis, eradicabitur. » Hoc de lege dictum afferunt ii, qui Manichæorum morbo laborant, sed quæ prius dicta sunt, ora illorum obstruunt. Nam si de lege dixisset, quomodo supra legem defendisset, ac pro ea pugnasset dicendo : « Cur transgredimini mandatum Dei per traditionem ves- » tram? » Quomodo autem Prophetam in medium inducit dicentem : « Populus hic labiis me honorat, etc. » Sed de illis ipsis et de traditionibus eorum hæc loquitur. Nam si Deus dixit : « Honora patrem tuum, et matrem tuam, » quomodo id quod a Deo dictum est, non est plantatio Dei?

IV. Id etiam quod sequitur probat de illis et de traditionibus illorum hæc dicta fuisse : nam subjunxit : « Cæci » sunt duces cæcorum. » Si de lege id locutus fuisset, dicturus erat : « Dux est cæcus cæcorum ; » verum non ita dixit, sed, « Duces sunt cæci cæcorum, » legem ab accusatione vindicans, in illosque totum refundens. Deinde ut turbam ab illis divelleret, ne in barathrum ab ipsis dejiceretur, ait : « Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt. » Magnum quidem malum cæcitatis est : sed esse cæcum nec

[1] Matth. xvii, 26. — [2] Id. xv, 14.

habere ducem, et se ducem præbere, id duplex triplexque crimen est. Nam si periculosum cæco est, non habere ducem, multo periculosius erit, si se alteri ducem præbeat. Quid igitur Petrus? Non dixit : « Cur hæc dixisti? » sed quasi rei obscuritate pressus interrogat, nec dicit : « Cur contra legem locutus es? » timebat enim ne scandalizatus fuisse videretur; sed quasi obscura res esset loquitur. Quod vero non obscuritatis causa, sed quod scandalizaretur, hæc dixerit palam est : nihil enim ibi obscuritatis inerat. Quocirca Christus increpat illos dicens : « Adhuc vos etiam sine » intellectu estis? » Nam turbæ forsitan dicta non intellexerunt : ipsi vero scandalizati fuerant. Quare initio, quasi de Pharisæis interrogantes, ediscere volebant; ubi autem audierunt eum graviter comminantem ac dicentem : « Omnis » plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis eradi- » cabitur; » et, « Cæci sunt duces cæcorum, » repressi sunt. Sed Petrus semper ardens, ne sic quidem tacere potuit, sed dicit : « Edissere nobis parabolam hanc. » Quid ergo Christus? Vehementius respondet : « Adhuc etiam vos sine » intellectu estis? Nondum intelligitis. » Hæc dixit increpans, ut illorum præjudicatam opinionem ejiceret, nec finem dicendi fecit, sed hæc adjecit : « Omne quod intrat in os, in » ventrem vadit, et in secessum emittitur. Quæ autem pro- » cedunt ex ore, de corde exeunt, et illa coinquinant ho- » minem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homi- » cidia, adulteria, fornicationes, furta, blasphemiæ, falsa » testimonia, et hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non » lotis autem manibus manducare, non coinquinat homi- » nem [1]. » Vides-ne quam vehementer illos increpet? Deinde a communi natura sermocinatur, ut illos ad bonam mentem ducat. Cum enim dicit : « In ventrem vadit, et in se- » cessum emittitur, » adhuc secundum judaïcum objectum

[1] Matth. xv, 17-20.

sensum loquitur. Dicit enim illa non manere, sed egredi: quanquam etiamsi manerent, non immundum redderent. Sed nondum poterant hæc audire. Ideo legislator tanto dimittit tempore, quanto intus maneat: cum autem egressum fuerit, non ultra. Vespere igitur lavari jubet, ac mundum esse, digestionis et expulsionis tempus accurate dimetiens. Quæ autem cordis sunt, inquit, intus manent, et cum egrediuntur coinquinant, nec modo cum manent id faciunt. Primo ponit malas cogitationes, quod Judæorum erat: nec adhuc a natura, sed a partu ventris et cordis redarguit, et ex eo quod alia maneant, alia non item. Nam quæ de foris ingressa sunt, foras rursus exeunt: quæ vero intus gignuntur, cum exeunt coinquinant, et tunc magis cum egrediuntur. Nondum enim poterant, ut dixi, hæc cum congruenti philosophia audire. Marcus autem dicit ipsum ad purgandos cibos hæc dixisse[1]: non tamen id expressit, quod talia comedere non coinquinet hominem. Non enim voluissent illum tam clare loquentem audire. Ideo hæc addidit: « Non lotis manibus manducare, non » coinquinat hominem. » Discamus ergo quænam coinquinent hominem. Discamus hæc et fugiamus. Nam in Ecclesia videmus hunc morem apud multos vigere, qui mundis vestibus intrare student, itemque lotis manibus; ut vero animam puram Deo sistant, nihil curant. Hæc porro dico, non quod prohibeam manus vel os lavare, sed quod velim ita lavari ut par est, non aqua solum, sed virtutibus. Nam sordes oris sunt, maledicta, blasphemia, convitium, verba iracundiæ plena, vel obscœna, ridicula, scurrilia. Si ergo tibi conscius sis nihil tale dixisse te, neque his sordibus inquinari, cum fiducia accede; sin millies has admisisti maculas, cur frustra linguam abluis, dum perniciosas et noxias sordes in illa circumfers?

[1] Marc. VII, 19.

V. Nam dic mihi, si fimum et lutum præ manibus haberes, an auderes orare? Nequaquam. Attamen nihil hinc damni, illud autem perniciosum est. Cur ergo in rebus indifferentibus pius, in prohibitis ita negligens es? Quid ergo, inquies, non precari oportet? Oportet quidem, sed non sordibus maculatum, non tanto cœno onustum. Quid si casu lapsus fuero? Purga teipsum. Quomodo? Lugo, geme, eleemosynam eroga, purga te apud eum quem contumelia affecisti, reconcilia te illi, absterge linguam, ne gravius Deum irrites. Nam si quis, sordidatis stercore manibus, pedes tuos supplicans tangeret, non modo illum non audires, sed pede impeteres. Quomodo audes sic Deum adire? Nam lingua precantium est manus, ac per eam Dei genua apprehendimus. Ne itaque illam commacules, ne tibi dicat ille : « Si multiplicaveritis deprecationem, non exau» diam [1]. Nam in manu linguæ vita et mors est [2], et ex ser» monibus tuis justificaberis, atque ex sermonibus tuis con» demnaberis [3]. » Magis igitur quam pupillam oculi linguam tuam custodias. Regius quidam equus est lingua. Si ergo illi frenum immiseris, et concinne ire docueris, rex in illa sedebit et quiescet; sin infrenem fieri et jactari permiseris, diaboli et dæmonum vehiculum erit. Tu vero quando cum uxore concubuisti, quod sane culpa liberum est, precari non audes. Post convitium autem et contumeliam, quæ gehennam merentur, antequam te probe purgaveris, extendis manus? Et quomodo, quæso, non perhorrescis? Non audisti Paulum dicentem : « Honorabile conjugium, et » torus immaculatus [4] ? » Si autem ex immaculato toro surgens non audes ad orationem accedere : cum ex toro diabolico sis, cur horribile illud terribileque nomen invocare audes? Diaboli quippe lectus est, in convitiis et opprobriis

[1] Isaï. I, 15. — [2] Prov. XVIII, 21. — [3] Matth. XII, 37. — [4] Hebr. XIII, 4.

lavari. Ac velut perniciosus quidam adulter, iracundia nos cum magna voluptate invadit, perniciosa in nobis jaciens semina, et diabolicas gignens inimicitias, ac contra connubium omnia facit. Nam conjugium id facit ut duo sint caro una; ira vero eos, qui juncti sunt, in partes dividit, ipsamque animam scindit et lacerat. Ut itaque cum fiducia Deum adeas, iram te invadentem ne admittas, sed quasi rabidum canem depelle. Illud enim Paulus jussit, « Levantes sanctas » manus absque ira et disceptatione [1]. » Ne linguam ergo deturpes : nam quomodo pro te precabitur, cum fiduciam amiseris? Sed orna illam modestia, humilitate; fac dignam Deo, qui per illam rogatur; illam reple benedictione et eleemosyna; nam verbis etiam potest eleemosyna erogari: « Melior est enim sermo, quam donum, et responde pauperi » pacifica in mansuetudine [2]. » Totum vero reliquum tempus divinarum enarratione legum exorna. « Omnis enarra- » tio tua sit in lege Altissimi [3]. » Ita nos adornantes ad Regem accedamus, et ad genua ejus procidamus, non corpore tantum, sed etiam mente. Cogitemus quem adeamus, et pro quibus, et quid volentes efficere. Deum adimus, quem Seraphim videntes, vultus avertunt non ferentes fulgorem; quem videns terra contremiscit. Deum adimus, qui lucem habitat inaccessibilem. Adimus, ut a gehenna liberemur, ut remissionem peccatorum impetremus, ut ab illo intolerabili supplicio liberemur, ut cœlum et ibi reposita bona consequamur.

VI. Procidamus igitur et corpore et mente, ut ille jacentes erigat : cum modestia omnique mansuetudine ipsum alloquamur. Et quis est, inquies, ita miser et infelix, ut in oratione non sit moderatus? Ille qui vel precando maledicta profert furoreque plenus est, et contra inimicos occlamat. Si vis accusare, teipsum accusa. Si vis linguam acue-

[1] 1 Tim. II, 8. — [2] Eccli. IV, 8. — [3] Id. IX, 23.

re, contra peccata tua acue. Nec dicas quid alius tibi mali intulerit, sed quid tu tibi mali feceris: illud enim maxime malum est. Neque enim quis te lædere poterit, nisi te ipse lædas? Itaque si vis contra lædentes te insurgere, teipsum primum impetas. Nemo id impedit; nam si alium aggrediaris, magis læsus abibis. Quam vero tibi illatam injuriam proferre potes? Ille mihi injuriam intulit, bona rapuit, me in pericula injecit? Sed hoc non est lædi; sed si vigiles simus, hæc nobis multum prodesse poterunt. Nam læsus est ille, qui hæc mala intulit, non qui passus est. Et hoc maxime malorum omnium causa est, quod nesciamus quis lædens, quis læsus sit. Si illud probe sciremus, nunquam nos ulcisceremur, non precaremur contra alium, gnari non posse nos malo affici ab alio. Neque enim rapinam pati, sed facere malum. Si rapuisti, teipsum accusato; sin vero tua alius rapuit, precare pro raptore, quia tibi maxime profuit. Etiamsi enim non talis sit mens illius, certe tu magnam utilitatem accepisti, si fortiter tuleris. Illum enim et divinæ et humanæ leges miserum prædicant; te vero læsum coronant et celebrant. Neque enim si quis febricitans vas aqua plenum rapuerit ab alio, et noxiam bibendi cupiditatem expleverit, dicemus læsum illum fuisse a quo raptum vas est, sed potius rapientem. Febrim enim auxit, morbumque acriorem effecit. Hoc ipsum de pecuniarum et opum amante reputa. Nam hic plus quam ille alius febricitans, per hanc rapinam, suam incendit flammam. Et si quis furens abrepto a quopiam gladio se confoderit, quis læsus est? Is a quo abreptus gladius, an qui rapuit? Hic utique. De pecuniarum igitur rapina idipsum cogitemus. Nam quod furenti gladius est, id avaro divitiæ sunt; imo perniciosiores. Nam qui furit, et sese gladio confodit, jam a furore liberatus est, neque secundum accipit vulnus: avarus vero innumera quotidie et graviora accipit vulnera,

non sese ab hac insania educens, sed magis augens in dies: et quanto plura acceperit vulnera, tanto magis occasionem præbet plagis majoribus. Hæc ergo cogitantes, fugiamus hunc gladium, hanc insaniam; et sero tandem vigilemus. Nam hanc certe virtutem continentiam recte vocemus, non minus quam illam quæ sic passim vocatur. Ibi enim contra unam concupiscentiæ tyrannidem pugnatur. Hic vero multas ac diversas cupiditates superare oportet. Nemo enim, nemo stultior eo qui divitiarum servus est. Imperare sibi videtur, dum subditus est; dominari videtur, cum sit servus; dum se vinculis constringit, gaudet; cum acriorem feram reddidit, lætatur; cum captivus ducitur, exultat; ac dum videt canem rabidum in animam suam insilientem, cum oporteret illum ligare et fame cruciare, ipsi large cibum suppeditat, ut vehementius insiliat et ferocior sit. Hæc itaque omnia cogitantes, vincula solvamus, feram occidamus, morbum pellamus, furorem hunc ejiciamus, ut tranquillitate et pura valetudine fruamur, et cum multa voluptate ad tranquillum appellentes portum, æterna bona adipiscamur; quæ utinam omnes assequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LII.

CAPUT XV.

Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis : et ecce mulier Chananæa egressa ex finibus suis, clamavit dicens ei : Miserere mei, Domine fili David; filia mea male a dæmonio vexatur [1].

I. Marcus autem ait ipsum latere non potuisse cum in domum venisset [2]. Cur autem in partes illas profectus est? Quando liberavit eos ab observatione ciborum, tunc eadem via progressus, gentibus quoque januam aperit : quemadmodum et Petrus, cum primum jubetur hanc legem solvere, mittitur ad Cornelium [3]. Si quis vero dixerit : « Cur ergo qui Discipulis dicit : « In viam gentium ne abieritis [4], » hanc ipse viam adit? Primo quidem illud respondebimus non astrictum illum iis servandis fuisse, quæ Discipulis præcepit; secundo illum non ut prædicaturum illo abiisse, quod subindicans Marcus dicebat; « Occultavit seipsum, » nec latuit. » Sicut enim rerum consequentia postulabat, ut ne ad illos primos accurreret; sic accedentes repellere indignum erat illius benignitate. Nam si fugientes insequi oportebat, multo magis insequentes fugere non decebat. Vide igitur quomodo omni beneficio digna sit mulier. Neque enim ausa est venire Jerosolymam, timens et se re illa indignam reputans. Nisi enim hoc detenta metu fuisset, ventura illo erat, ut ex præsenti vehementia liquet, et ex

[1] Matth. xv, 21, 22. — [2] Marc. vii, 24. — [3] Act. x. — [4] Matth. x, 5.

eo quod fines suos egressa fuerit. Quidam vero hæc allegorice explicantes dicunt, quando ex Judæa egressus est Christus, tunc ad illum accedere ausam esse Ecclesiam, quæ et ipsa ex finibus suis egressa est; ait enim, « Obli» viscere populum tuum, et domum patris tui [1]. » Nam Christus ex finibus suis excessit, et mulier quoque ex finibus suis, et sic potuerunt una colloqui. « Ecce enim, ait, » mulier Chananæa egressa ex finibus suis. » Accusat mulierem Evangelista, ut ostendat miraculum, ipsamque magis prædicet. Etenim cum audis Chananæam, recordare gentium illarum iniquarum, quæ etiam leges naturæ a fundamentis everterant. Illorum vero recordatus, cogita vim Christi adventus. Qui enim ejecti sunt, ne Judæos perverterent, hi adeo Judæis meliores fuerunt; ut etiam ex finibus suis egressi, Christum adirent, dum Judæi illum ad se venientem repellerent. Accedens ergo nihil aliud dixit, nisi: « Miserere mei, » et clamore suo magnum theatrum convocat. Erat enim miserabile spectaculum, mulierem cernere cum affectu tanto clamantem, et mulierem matrem pro filia supplicantem videre, pro filia, inquam, tam male affecta. Neque enim ausa fuit in Magistri conspectum dæmoniacam adducere : sed illa domi relicta, ipsa se supplicem sistit, morbumque tantum commemorat, nihil amplius adjiciens; neque Medicum domum attrahit, sicut regulus ille, qui dicebat : « Veni et impone manum tuam, et des» cende antequam moriatur filius meus [2]. » Sed calamitate sua exposita, et morbi magnitudine, misericordiam Domini magno clamore implorat, nec dicit: « Miserere filiæ meæ; » sed, « Miserere mei. » Illa quippe morbi sensum nullum habet; ego vero millies discrucior, in sensum ægritudinis venio, et viso morbo insanio. « Ille autem non res» pondit ei verbum [3]. » Quam novum hoc et inauditum!

[1] Psal. XLIV, 11. — [2] Matth. IX, 18. — [3] Id. XV, 23.

Judæos et ingratos inducit, et blasphemantes rogat, et tentantes non dimittit : hanc vero, quæ ad ipsum accurrit, quæ rogat et supplicat, quæ nec in lege nec in Prophetis educata, tantam tamen pietatem exhibet, nec responsione quidem dignatur. Quis non offensus fuisset, famæ ipsius rem ita contrariam videns? Audierant enim ipsum vicos circumeundo morbos curare : hanc vero accedentem depellit. Quem non flexisset morbus talis atque supplicatio, quam emittebat pro filia tam male affecta? Neque enim quasi digna beneficio, et quasi debitum postulans accessit, sed misericordiam petebat, et calamitatem suam tragice narrabat, neque tamen responsione dignatur. Multi fortasse ex audientibus offensi sunt : illa non item. Ecquid dico, ex audientibus? nam puto Discipulos ipsos de calamitate mulieris affectos turbatosque fuisse. Neque tamen, turbati licet, dicere ausi sunt: « Hanc illi concede gratiam : » sed, « Accedentes Discipuli rogabant eum dicentes : Dimitte » illam, quia clamat post nos [1]. » Nos enim cum volumus aliquid suadere, contraria sæpe dicimus. Christus vero ait: « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Is» raël [2]. »

II. Quid igitur mulier? An cum hæc audisset, tacuit? an discessit? an studium et animum compressit? Minime; imo magis instabat. Verum haud ita nos; sed cum postulata non assequimur, desistimus, cum magis instare par esset. Atqui quem non dejecisset dictum hujusmodi? ipsum silentium poterat illam in desperationem conjicere; multoque magis responsio talis. Nam cum patronos suos secum repulsam pati videret, audiretque rem fieri non posse, in desperationem assequendæ rei conjici poterat. Attamen non animo defecit mulier, sed ubi vidit nihil patronos efficere, ceu impudentia laudabili usa est. Antea

[1] Matth. xv, 23. — [2] Ibid. 24.

enim in conspectum venire non audebat : « Clamat, in- » quiunt, post nos : » cum autem verisimile videretur ipsam animi dubiam retro cessuram, tunc illa propius accessit, et adorans dixit : « Domine, adjuva me [1]. » Quid hoc est, o mulier? num majorem habes, quam Apostoli, fiduciam? num majorem fortitudinem? Fiduciam et fortitudinem minime, imo pudore suffundor. Sed inverecundiam pro supplicatione adhibeo : reverebitur fiduciam meam. Sed quid hoc? Non audisti dicentem : « Non sum missus nisi ad oves » quæ perierunt domus Israël? » Audivi, inquit, sed ipse Dominus est. Ideo non dicebat : « Ora et precare ; » sed, « Ad- » juva me. » Quid ergo Christus? Ne istis quidem contentus dubitationem auxit dicens : « Non est bonum sumere » panem filiorum, et mittere canibus [2]. » Responso magis quam silentio mœstitia illam affecit. Jam non ad alium causam transfert, neque dicit : « Non sum missus : » sed quanto magis illa petendo instat, tanto majorem ille dat repulsam. Neque jam oves vocat Judæos, sed filios, ipsam vero, canem. Quid ergo mulier? Ex ipsis verbis defensionem sibi parat. Si canis sum, inquit, non sum aliena. Jure Christus dicebat : « In judicium ego veni. » Mulier illa philosophatur, perseverantiam et fidem magnam exhibet, etsi contumeliis affecta. Judæi vero cura et honore culti, contrariam vicem rependunt. Novi, inquit illa, cibum filiis esse necessarium; neque tamen ego, etsi canis, repelli debeo. Nam si nefas est quidquam accipere, vel a micis abstinendum; sin tantillam partem habere licet, nec ego prohibeor, licet canis sim; sed ideo maxime in partem vocanda sum. Ea de causa Christus differebat, quod sciret illam hæc dicturam esse; ideo donum negabat, ut ejus philosophiam exhiberet. Nisi enim daturus fuisset, non postea dedisset, neque illam iterum repressisset. Sed quod erga

[1] Matth. xv, 25. — [2] Ibid. 26.

centurionem fecit, dicens : « Ego veniam, et curabo eum [1], » ut ejus pietatem disceremus, et audiremus illum dicentem : « Non sum dignus ut intres sub tectum meum [2] : » quodque in fluxum sanguinis patiente fecit, « Ego, inquit, novi » virtutem ex me egressam [3], » ut illius fidem declararet; et quod in Samaritana, ut ostenderet eam, ne quidem confutatam absistere [4] : sic et hoc loco facit : non enim tantam volebat mulieris virtutem latere. At enim non exprobrantis erant ea quæ dicebat, sed advocantis, et occultum thesaurum revelantis. Tu vero mihi una cum fide humilitatem quoque mulieris perpende. Ipse namque filios vocavit Judæos; hæc vero id non satis habens, dominos appellavit : tantum abfuit, ut de aliena laude doleret. « Et » enim catelli, inquit, edunt de micis quæ cadunt de mensa » dominorum suorum [5]. » Vides-ne prudentiam mulieris? Quomodo nec contradicere audeat, nec aliorum laudi invideat, nec contumeliam ægre ferat? Vides-ne perseverantiam? Ille dicit: « Non est bonum : » illa respondet, « Etiam » Domine : » ipse filios vocat; hæc dominos : ipse canem appellat; illa canum morem addidit. Vidisti illius humilitatem? vide Judæorum jactantiam. « Semen Abrahæ su- » mus, inquiunt, et nulli unquam servivimus, atque ex Deo » nati sumus [6]. » Sed non ita mulier; catellum se vocat, illosque dominos; ideoque filia effecta est. Quid ergo Christus? « O mulier! magna est fides tua [7]. » Ideo namque differebat, ut in hanc vocem erumperet, ut mulierem coronaret : « Fiat tibi sicut vis; » id est, fides tua his majora potest perficere; cæterum fiat tibi sicut vis. Hæc vox affinis est illi, « Fiat cœlum, et factum est cœlum [8]. Et » sanata est filia ejus ab illa hora [9]. » Vides-ne non parum

[1] Matth. VIII, 7. — [2] Ibid. — [3] Luc. VIII, 46. — [4] Joan. IV. — [5] Matth. XV, 27. — [6] Joan. VIII, 33. — [7] Matth. XV, 28. — [8] Gen. I, 6. — [9] Matth. XV, 28.

illam intulisse ad curationem filiæ? Ideo enim non dicit Christus: « Sanetur filia tua ; » sed, « Magna est fides tua, fiat » tibi ut vis. » Ut discas non assentationis verba fuisse, sed eximiam fidei virtutem. Rerumque eventui accuratam rei probationem et demonstrationem Christus reliquit. Sanata est, inquit, statim filia ejus.

III. Tu vero animadverte quomodo Apostolis superatis nihilque operatis illa totum perfecit. Tanta res est assiduitas precationis. Nam cum de rebus nostris agitur, mavult a nobis potius rogari, quam ab aliis pro nobis precantibus. Quanquam illi majore erant fiducia instructi; sed hæc multam perseverantiam exhibuit. Per exitum autem rei Discipulis quasi sese purgavit, quod distulisset, et jure se illis rogantibus non annuisse ostendit. « Et cum transisset » inde Jesus, venit secus mare Galilææ. Et ascendens in » montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ » habentes secum claudos, cæcos, debiles, mutos : et pro- » jecerunt eos ante pedes ejus : et curavit eos, ita ut turbæ » mirarentur, dum viderent cæcos videntes, mutos loquen- » tes, debiles sanos, claudos ambulantes, et leprosos mun- » datos, et glorificaverunt Deum Israël [1]. » Aliquando ipse circumit, aliquando sedet ægros expectans, et claudos ad montem adducit. Neque nunc vestimentum tangunt; sed ad sublimiora adducti, projiciuntur ad pedes ejus, duplicemque fidem suam monstrant, et quod claudi in montem ascendant, et quod nullo alio egeant, nisi tantum ut projiciantur ante pedes ejus. Eratque res mira ac stupenda illos, qui gestabantur, ambulantes, nullo juvante, videre, cæcos videntes, nec duce opus habentes. Nam et multitudo eorum, qui curati fuerant, et curationis facilitas, in stuporem omnes conjecit. Vides-ne quomodo cum tanta cunctatione mulieris filiam sanaverit, hos vero statim ? Non quod illa

[1] Matth. xv, 29-31.

meliores essent, sed quod illa in fide ferventior. Ideo circa illam cunctatur ut perseverantiam ejus declaret; his statim donum præbet ut incredulorum Judæorum ora obstruat, omnemque illis purgationem adimat. Quanto enim majora quis beneficia acceperit, tanto majori supplicio addictus est ut ingratus, si neque ex collato honore melior sit effectus. Ideoque divites magis quam pauperes puniuntur, si improbi sint, quod ne in rerum copia quidem mansuetiores fuerint. Ne mihi dicas illos eleemosynam dedisse. Nam nisi secundum facultates dederint, neque ita effugient. Non enim ex doni mensura eleemosyna æstimatur, sed ex animi liberalitate. Si autem hi pœnas dent, multo magis qui superflua retinent, qui trium quatuorve tabulatorum ædes construunt, famelicosque despiciunt, qui avaritiæ student et eleemosynam negligunt. Sed quia in sermonem de eleemosyna incidimus, age concionem illam de humanitate, quam ante triduum imperfectam reliquimus, hodie resumamus. Meministis me nuper de nimia calceorum curiositate disseruisse, de hujusmodi nempe vanitate, et de juvenum mollitie; tunc ab eleemosyna orsi, in illud incidimus. De quibusnam ergo tunc sermonem habuimus? Diximus eleemosynam esse artem, quæ officinam habeat in cœlo, et doctorem, non hominem, sed Deum. Deinde quærentes quid ars dici posset, quid secus, in vanas malasque artes incidimus, in quibus de calceorum arte verba fecimus. Num in mentem revocatis? Age ergo quæ tunc diximus, hodie resumamus, ostendamusque eleemosynam artem esse omnium artium optimam. Nam si artis est proprium in aliquid utile desinere, eleemosyna vero nihil est utilius, liquet eam et artem esse et omnium artium præstantissimam. Non enim illa nobis calceos parat, non vestimenta texit, non luteas domos construit; sed vitam sempiternam conciliat, atque ex mortis manibus nos

eripit, et in utraque vita splendidos reddit, mansiones nobis cœlestes exædificat et illa æterna tabernacula. Hæc non sinit lampades nostras extingui, nec cum sordidis vestibus nuptiis interesse; sed lavat et nive candidiores reddit. « Si » enim fuerint peccata vestra quasi puniceum, quasi nivem » dealbabo [1]. » Non sinit nos illo incidere, quo dives ille, neque audire tremendas voces; sed deducit in sinum Abrahæ [2]. Certe artes sæculares singulæ suum habent finem: agriculturæ est nutrire, textoriæ artis, vestire; imo ne quidem hoc facere potest : neque enim sola sufficit ad sua nobis suppeditanda.

IV. Si vis autem agriculturam prius exploremus : nisi enim illa ferrariam artem sociam habeat, quæ ligonem, vomerem, falcem et securim aliaque multa suppeditet; itemque fabrilem, quæ aratrum, jugum et plaustrum construat ad spicas terendas; et coriariam, quæ corrigias; architectonicam, quæ arantibus bobus, stabulum, agricolis casam fabricet; et lignariam quæ ligna secet, ac præterea pistoriam, quæ panem subministret; stare nequit omnino. Sic etiam ars textoria, si quid faciat, multas advocat artes, quæ opem ferant; quæ si non accedant, stat illa inutilis. Sic singulæ artes cæteris egent. Si vero misericordiam exercere velimus, una egemus voluntate. Si dixeris pecuniis esse opus, ædibus, vestibus, calceis, lege illa Christi verba, quæ de vidua dixit [3], et hanc sollicitudinem depone. Si admodum pauper sis, et mendicis ipsis vilior, si duo minuta injeceris, totum perfecisti; si des frustum panis quod solum habes, ad artis finem pervenisti. Hanc itaque disciplinam, hanc artem accipiamus et impleamus. Optabilius quippe est illam habere, quam regem esse, et diademate ornari. Neque enim hanc solum prærogativam habet, quod cæteris non egeat, sed quod etiam multa et varia ne-

[1] Isaï. I, 18. — [2] Luc. XVI, 26. — [3] Id. XXI, 3.

gotia perficiat. Nam ædes construit in cœlis semper manentes, docetque cultores suos quomodo æternam mortem effugiant, thesaurosque tibi dat, qui nunquam insumuntur, et damni expertes sunt, nec furum, nec vermium, nec tinearum, nec temporis labem timentes. Atqui si circa frumenti custodiam talem tibi quis artem doceret, quid non dares ut posses multis annis frumentum illæsum servare? Ecce hanc tibi non frumenti tantum, sed omnium custodiam suppeditat, docetque quomodo et bona, et anima et corpus illæsa semper maneant. Et cur artis hujusce opera minutatim persequamur? Illa quippe te docet quo pacto Deo similis esse possis, quod caput est omnium bonorum. Vides-ne quo pacto non unum ejus opus sit, sed plurima? Sine ulla alterius artis ope domos construit, vestes contexit, thesauros apparat tutos, mortis victores reddit, diabolo imperat, Deo similes efficit. Quid ergo utilius hac arte? Aliæ namque artes, præter ea quæ dicta sunt, cum præsenti vita prætereunt, cum artifices ægrotant, illæ cessant, opera quoque earum non permanent, labore et tempore multo egent, aliisque innumeris. Hæc vero post mundi finem maxime fulget, post mortem maxime splendet, et opera sua ostendit, neque tempore vel labore eget, neque alia re quapiam. Sed, te quoque ægrotante et senio confecto, operatur, ac tecum in futuram vitam transit, nunquam te relinquit, te sophistis et rhetoribus superiorem reddit. Nam qui in illis artibus florent, multis invidis objecti sunt. Qui autem in hac conspicui sunt, multorum precibus juvantur. Illi quidem hominum tribunalibus astant, injuriaque affectos defendunt, et sæpe injuriam inferentibus patrocinantur. Hæc vero ante tribunal Christi se sistit, nec solum patrocinatur, sed ipsi quoque judici suadet ut patrocinetur ei, de quo judicium instituitur, et pro illo sententiam ferat, etiamsi millies peccaverit, coro-

nat et prædicat illum. Nam ait : « Date eleemosynam, et » omnia munda erunt [1]. » Ecquid futura dico? Si enim in præsenti vita homines sciscitaremur quid mallent, an sophistas et rhetores esse multos, an misericordes et benignos; hoc ultimum potius eligerent, et jure quidem. Nam si facundia tollatur, nihil mali in vitam nostram importabitur; antequam enim illa existeret, multa tempore constitit. Si vero misericordiam sustuleris, omnia peribunt. Et quemadmodum per mare navigare non possis, si portus et stationes obstruas; sic non potest hæc vita constare, si misericordiam, veniam et humanitatem sustuleris.

V. Quapropter non humano solum ratiocinio hæc Deus permisit; sed et multas eorum partes naturæ vi insevit. Sic patres et matres erga liberos misericordia moventur; sic filii erga parentes. Neque in hominibus tantum, sed et in brutis omnibus : eodemque sunt affecti modo fratres, propinqui et affines, et homines alii erga alios. A natura quippe proni ad misericordiam sumus. Ideo circa injuria affectos indignamur, circa interemptos dolemus, si lugentes videamus, lacrymamur. Quia enim vult Deus, ut id observetur, naturam jussit multa hac in re ex se conferre, ostendens id sibi maxime in optatis esse. Hæc itaque animo versantes, et nos et filios et propinquos ad eleemosynæ scholam ducamus; hoc ante omnia discat homo; nam illud est hominem esse; « Magna quippe res est homo, et pretiosa res » est vir misericors [2] : » si id non habeat, a natura hominis decidit. Hoc sapientes efficit. Ecquid miraris si hoc est hominem esse? hoc est Deus esse; nam ait : « Estote miseri- » cordes, sicut et Pater vester [3]. » Discamus igitur misericordes esse, tum omnium causa, tum maxime quod et ipsi multa misericordia egeamus. Neque nos vivere putemus quo tempore misericordes non sumus; de eleemosyna lo-

[1] Luc, xi, 41. — [2] Prov. xx, 6. — [3] Luc, vi, 36.

quor, quæ ab avaritia et rapina pura sit. Si enim qui bonis suis contentus, nihil aliis largitur, non est misericors: qui aliena rapit quomodo misericors sit, etiamsi innumera eroget? Nam si is, qui suis tantum fruitur bonis, et nihil largitur, immisericors est, multo magis is, qui aliena abripit. Si ii, qui nihil damni intulerunt, plectuntur, quia largiti non sunt, multo magis ii, qui aliena rapuerunt. Ne igitur dixeris: « Alius injuste læsus est; et alius eleemosynam accipit. » In hoc enim malum versatur. Par quippe erat eumdem ipsum, qui læsus est, eleemosynam accipere. Nunc vero alios vulneribus afficis, et aliorum vulnera curas, quos non vulnere affecisti, cum oporteret illos ipsos curare, imo potius non vulnerasse. Benignus enim ille est non qui cædit et postea curat, sed qui ab aliis vulneratos curat. Tuis ergo malis medearis, non alienis; imo vero nec percutias, nec dejicias. Hoc enim ludentis esset, sed dejectos erige. Neque enim potes eadem eleemosynæ mensura, malum ex avaritia illatum curare. Nam si obolum rapueris, non satis est obolum in eleemosynam dare, ut rapinæ ulcus sanes; sed talento opus est. Ideo fur deprehensus quadruplum restituere cogitur. Raptor autem est fure pejor. Si vero illum quadruplum dare oportet, raptorem decuplum et multo plus restituere par est: atque optabile est vel sic posse Deum ob injustitiam placare. Tunc enim non eleemosynæ fructum recipiet. Ideo Zacchæus dicit: « Si » quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum, et dimidium » bonorum meorum dabo pauperibus [1]. » Quod si in lege quadruplum reddere oportebat, multo magis in gratia. Si furem tantum restituere oportet, multo magis raptorem. Nam præter damnum, contumeliosa certe res est. Itaque etiamsi centuplum reddideris, nondum totum dedisti. Vides-ne me non frustra dixisse: « Si obolum rapuisti, redde

[1] Luc, XIX, 8.

talentum? » Sic etiam vix vulnus tuum curabis? Quod si vel hoc faciens vix cures, si ordinem invertas, integrasque possessiones rapueris, pauca vero erogaveris, neque illis quos læsisti, sed aliis, quam defensionem habebis? quam veniam? quam spem salutis? Vis scire quantum malum facias dum sic das eleemosynam, audi Scripturam dicentem : « Sicut qui fi- » lium coram patre suo interfecit, sic qui offert sacrificium » ex pecuniis pauperum [1]. » Hanc itaque comminationem in mente inscribentes, discedamus : hanc in muris, in manibus, in conscientia, et ubique scribamus. Ut hic saltem metus in mente nostra vigens, manus nostras a quotidianis cædibus cohibeat. Cæde quippe deterior est rapina, quæ paulatim pauperem consumit. Ut igitur ab hoc morbo purissimus, hæc et nobiscum meditemur et cum aliis colloquamur. Ita enim ad misericordiam proniores erimus, puramque adipiscemur mercedem, æternaque bona consequemur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Eccli. XXXIV, 24.

HOMILIA LIII.

CAPUT XV.

Jesus autem, convocatis Discipulis suis, dixit : Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via[1].

I. Superius[2] cum hujusmodi signum facturus esset, primo curavit eos, qui corporis ægritudine laborarent : idipsum hic facit : post cæcorum atque claudorum curationem in idipsum rursus incidit. Cur autem tunc dixerunt Discipuli : « Dimitte turbas, » nunc vero non dixerunt, tribus tamen diebus exactis ? Sive quia jam illi perfectiores erant, sive quod illos viderent non tanto famis sensu affici : nam in iis, quæ facta erant, Deo gloriam referebant. Sed vide quomodo etiam nunc non simpliciter ad miraculum patrandum venit, sed illos ad id evocat. Nam turbæ quidem, quæ ad morborum curam venerant, panes petere non audebant : ipse vero, cum benignus sit et providus, non petentibus dedit, aitque Discipulis : « Misereor super turbam, et jejunos di-» mittere illos nolo. » Ne dicerent enim ipsos cum viatico venisse, ait : « Jam triduo mecum sunt ; » ita etiamsi viatica habuissent, jam consumpta essent. Idcirco enim ille non primo vel secundo die hoc fecit, sed cum jam omnia deficerent, ut in necessitate positi, cum majori studio factum exciperent. Ideo ait : « Ne deficiant in via : » ostendens ipsos et procul positos esse, et omnia consumpsisse. Sed si

[1] Matth. xv, 32. — [2] Vide D. Guillon, tom. xii, pag. 108-113.

non vis jejunos dimittere, cur signum non facis? Ut hac interrogatione et responsione sequente attentiores redderet Discipulos, et illi fidem suam ostenderent, dicerentque: « Panes facito. » Sed illi ne sic quidem interrogationis causam intellexerunt : unde postea dixit illis, ut Marcus ait : « Ita » sunt occæcata corda vestra : oculos habentes non videtis, » et aures habentes non auditis[1]. » Nam nisi hoc esset, qua de causa hæc Discipulis diceret, ostenderetque dignas esse turbas beneficio? Additque ipsum misericordia motum fuisse. Matthæus vero dicit ipsum postea increpasse eos his verbis : « Modicæ fidei, nondum intelligitis, nec meminis- » tis quinque panum et quinque millium, et quot cophinos » sumpseritis? neque septem panum et quatuor millium, et » quot sportas sumpseritis[2]? » Ita Evangelistæ concordes inter se sunt. Quid ergo Discipuli? Adhuc humi serpunt, et quamvis millia fecerit, ut prioris miraculi memoriam servarent, et per interrogationem ac responsionem, et quod illos ministros fecerit, et quod cophini remanserint; sed adhuc imperfectiores erant, ideo dicunt ei : « Unde nobis » in solitudine tot panes[3]? » Et antea et nunc solitudinem memorant, et ex animi imbecillitate ita loquentes, signum ab omni suspicione liberabant. Ne quis enim diceret, ut jam antea dixi, ipsum ex vicino quodam vico panes mutuatum esse, locus quis sit declaratur, ut miraculum crederetur. Idcirco, et primum et hoc quoque signum in solitudine facit, a viculis longe distante. Sed horum nihil intelligentes Discipuli dicebant : « Unde nobis in solitudine tot » panes? » Nam putabant illum ideo hæc dixisse, quasi præcepturus esset ut illos cibarent; sed admodum insipienter. Ideoque illis nuper dixerat : « Date vos eis manducare; » ut illis occasionem daret se hac de causa precandi. Nunc vero non dicit : « Date illis manducare, » sed quid? « Mise-

[1] Marc. viii, 17. — [2] Matth. xvi, 8-10. — [3] Id. xv, 33.

» reor super turbam, et dimittere eos jejunos nolo. » Propius movens incitansque illos, ut videant illud ab se petendum esse. Nam ipsa verba declarabant posse ipsum non dimittere eos jejunos, et potentiam ipsius ostendebant. Illud enim, « Nolo, » id significat. Quia vero et multitudinem, et locum, et solitudinem memorarunt; nam dicunt : « Unde » nobis in solitudine tot panes, ut satietur tanta turba? » neque tamen Christi verba intellexerunt, tunc suum ipse opus peragit, et ait illis : « Quot panes habetis? Illi vero » dicunt: Septem, et pisciculos paucos [1]. » Nec jam dicunt: « Sed hæc quid sunt inter tantos? » ut antea dicebant. Sic etiamsi non totum comprehenderent, sublimiores tamen paulatim evadebant. Nam et ipse his illorum mentem erigens, eodem quo prius modo interrogabat, ut vel ex modo interrogandi jam gesta in memoriam revocaret. Tu vero ut hic vidisti illorum imperfectionem, sic disce illorum philosophicam mentem, et veracitatem mirare, quomodo nempe scribentes stupiditatem suam, etsi magnam, non occultent. Neque enim mediocris culpa erat, nuper facti miraculi tam cito oblivisci; ideoque increpantur.

II. Ad hæc aliam quoque philosophiæ rationem cogites velim, quomodo ventrem parum curabant, quomodo instituebantur, ne mensæ multum rationem haberent. Nam in solitudine cum essent, post triduum septem panes habebant. Cætera vero Christus ut prius disponit : recumbere jubet in terra, et in manibus Discipulorum panes multiplicat. « Jussit enim, ait, ut turbæ discumberent super ter- » ram. Et accipiens quinque panes et pisces, gratias agens » fregit, et dabat Discipulis : Discipuli vero turbæ [2]. » Finis vero miraculi priori similis non fuit. « Manducaverunt om- » nes, inquit, et saturati sunt, et tulerunt quod supererat » de fragmentis septem sportas plenas. Qui autem comede-

[1] Matth. xv, 34. — [2] Ibid. 35, 36.

» rant erant quatuor mille viri, præter mulieres et parvu-
» los [1] » Sed cur tunc, cum quinquies mille essent, duode-
cim cophini superfuerunt [2]; hic vero quatuor mille cum
sint, septem sportæ supersunt? Cur ergo minores erant re-
liquiæ, cum non tot essent qui comederent? Vel dicendum
est sportas cophinis majores fuisse, vel ne paritas numeri
in miraculo oblivionem pareret, ex differentia memoriam
illorum excitasse, ut ex varietate, et hujus et illius recor-
darentur. Ideoque tunc cophinos fragmentorum Discipulis
numero pares facit, nunc vero panibus sportas. In hoc quo-
que suam ineffabilem potestatem ostendit, et facilitatem
imperandi, cum possit et hoc et illo modo miracula edere.
Neque enim modicæ potestatis erat numerum posse con-
servare in utroque, cum tunc quinquies mille, nunc qua-
tuor mille essent, nec plura, nec pauciora fragmenta re-
linqui, quam tunc cophini, nunc sportæ caperent, etsi
numerus convivarum non par esset. Finis hic et in priore
similis fuit. Nam tunc, dimissis turbis, navigio recessit, et
hic item, ut Joannes dicit [3]. Quia enim nullum signum
adeo turbam inducebat ad illum sequendum, ut panum
miraculum, et non modo sequi illum, sed etiam regem fa-
cere volebant; ut omnem tyrannidis suspicionem devitet,
post hujusmodi miraculum recedit: nec pedibus, ne illi se-
querentur, sed navigio. « Et dimissa turba, inquit, ascen-
» dit in naviculam, et venit in fines Magdala. Et accedeu-
» tes Pharisæi et Sadducæi, rogabant eum ut signum de
» cœlo ostenderet eis. Ille autem dixit eis: Vespere facto,
» dicitis: Serenum erit, rubicundum enim cœlum est: et
» mane: Hodie tempestas erit, rutilat enim triste cœlum.
» Faciem cœli nostis dijudicare, signa vero temporum non
» potestis? Generatio prava et adultera signum quærit, et

[1] Matth. xv, 37, 38. — [2] Id. xiv, 20. — [3] Joan. vi, 17. — [4] Matth. xv, 39.

» signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Et » derelinquens eos abiit [1]. » Marcus autem dicit, cum accessissent et quærerent, ingemuisse Spiritu, ac dixisse : « Quid generatio ista signum quærit [2] ? » Etsi talis interrogatio iram et indignationem possit excitare, attamen benignus ille Dominus non irascitur ; sed miseratur illos tanquam incurabili morbo laborantes, qui post tantam potentiæ suæ demonstrationem, tentatum veniant. Neque enim accedebant ut crederent, sed ut reprehenderent. Nam si ut crederent accessissent, dedisset utique : qui enim mulieri dixit : « Non est bonum, » et postea signum dedit, multo magis his præbuisset. Verum quia non quærebant ut crederent, hypocritas illos alibi vocat, quia aliud dicebant, aliud sentiebant. Si enim credidissent, non petituri erant. Aliunde etiam palam est ipsos non credidisse : increpati quippe et confutati, non manserunt, neque dixerunt : « Ignoramus et ediscere quærimus. » Quod vero signum de cœlo petebant ? ut solem sisteret, vel lunam frenaret, aut fulmina mitteret, aut aërem mutaret, aut quid simile. Quid igitur ait ipse ? « Faciem cœli dijudicare scitis, signa vero temporum non » potestis ? » Vidistis mansuetudinem et moderationem ? Non enim ut prius negavit et dixit : « Non dabitur ei ; » sed causam cur non det affert, etiamsi illi non ut discerent interrogarent. Quænam igitur causa erat ? Ut in cœlo, inquit, aliud signum est tempestatis, aliud tranquillitatis, nec quis conspecto tempestatis signo, tranquillitatem expectat, neque in tranquillitate serena tempestatem ; sic de me quoque existimandum. Aliud enim est tempus hujus adventus, aliud futuri. Nunc opus est signis illis, quæ in terra dantur ; quæ in cœlo autem, in illud tempus reservantur. Nunc ut medicus veni, tunc ut judex adero ; nunc ut quæram eos qui erraverunt, tunc ut rationes repetam. Ideoque la-

[1] Matth. XVI, 1-4. — [2] Marc. VIII, 12.

tens veni; tunc publice et palam cœlos convolvam, solem abscondam, lunam non sinam dare lucem suam. Tunc virtutes cœlorum movebuntur, adventusque meus similis erit fulguri confestim omnibus apparenti. Sed non est jam tempus hujusmodi signorum. Nam veni moriturus et turpissima passurus. Non audistis Prophetam dicentem : « Non » contendet, neque clamabit, neque audietur foris vox ejus [1]; » et alium rursus, « Descendet sicut pluvia in vellus [2] ? »

III. Quod si ea signa dicant, quæ sub Pharaone facta sunt, sane illo tempore ab hoste eripi oportebat, ac jure illa fiebant signa. Illi autem, qui ad amicos advenit, non opus est signis illis. Quomodo autem magna illa dabo, cum parva non credantur? Parva scilicet quantum ad ostentationem, nam illis virtute multo majora sunt. Quid enim par fuerit peccatorum remissioni? quid tam mirabile fuerit quam mortuum suscitare, dæmonas pellere, corpus reformare, et omnia restaurare? Tu vero cor eorum occæcatum considera, qui cum audissent, « Signum non dabitur » eis nisi signum Jonæ prophetæ, » non interrogant. Atqui oportebat eos, qui Prophetam noverant, omniaque tunc gesta, et hæc jam denuo audiebant, sciscitari et discere, cur hoc diceretur, sed quod dixi, non ex discendi desiderio hoc proferunt. Ideoque, relictis illis, abiit. « Et cum ve» nissent, inquit, Discipuli ejus trans fretum, obliti sunt » panes accipere. Jesus autem dixit illis : Videte et cavete » a fermento Pharisæorum et Sadducæorum [3] ? » Cur non dixit; « Cavete a doctrina? » Vult certe ipsis quæ gesta fuerant in memoriam revocare, sciebat enim jam esse oblitos. Sed simpliciter accusare non videbatur tunc opportunum esse : verum occasione ab illis accepta increpare illos, tolerabilem reddebat accusationem. Et cur non tunc increpavit eos cum dixerunt : « Unde nobis in solitudine tot

[1] Isaï. XLII, 2. — [2] Psal. LXXI, 6. — [3] Matth. XVI, 5, 6.

» panes? » nam tunc videbantur hæc opportune dici posse. Ne videretur ad signum faciendum currere. Alioquin autem nolebat coram turbis illos arguere, vel sese ostentare. Nunc vero opportunior accusatio, quia post duplex miraculum tales erant. Idcirco cum aliud fecisset miraculum, tunc increpat, cogitationesque ipsorum in medium producit. Quid porro cogitabant? « Quia panes non accepi- » mus [1], » inquit : adhuc enim purgationibus judaïcis erant addicti, nec non ciborum observationibus; ideoque eorum omnium causa vehementius in illos invehitur, dicens : « Quid cogitatis in vobis ipsis modicæ fidei? quod panes » non ceperitis? Nondum intelligitis? neque recordamini [2]? » occæcatum est cor vestrum, oculos habentes non videtis, aures habentes non auditis. « Non recordamini quinque » panum in quinque millia hominum, et quot cophinos » sumpsistis? Neque septem panum, in quatuor millia ho- » minum, et quot sportas sumpsistis [3]? » Vides-ne grandem indignationem? Neque usquam alibi videtur illos sic increpasse. Cur ergo ita facit? ut rursus ciborum observationis opinionem eliminaret. Ideo enim tunc dicebat tantum : « Sine intellectu estis, non intelligitis; » hic vero vehementer increpando dicit : « Modicæ fidei. » Non enim ubique mansuetudinem adhibere oportet; ut enim fiduciam ipsis indiderat; sic et increpat, hac varietate saluti eorum prospiciens. Vide autem et increpationem, et una mansuetudinem multam. Nam sese fere purgans quod illos aspere arguisset, ait : « Nondum intelligitis quinque panes in » quinque millia, et quot cophinos sumpsistis, et septem » panes in quatuor millia, et quot sportas sumpsistis? » Ideo numerum affert tam eorum qui comederant, quam reliquiarum; ut illis simul in memoriam revocaret præterita, et ad futura ipsos attentiores redderet. Et ut discas quan-

[1] Matth. XVI, 7. — [2] Ibid. 8, 9. — [3] Ibid. 10.

tum potuit increpatio, utque somnolentam ipsorum mentem erexerit, audi quid dicat Evangelista. Nam cum Jesus nihil amplius dixisset, sed increpasset hæc tantum addendo : « Quomodo non intelligitis me non a pane cavere » dixisse vobis, sed a fermento Pharisæorum et Sadducæo» rum, » subdit Evangelista : « Tunc intellexerunt quia non » dixerat cavendum esse a fermento panis, sed a doctrina » Pharisæorum et Sadducæorum [1], » etiamsi ille hæc non fuisset interpretatus. Vide quanta bona attulerit increpatio. Nam a judaïcis observationibus illos abduxit, et socordes antea fecit attentiores, atque a fidei imbecillitate revocavit; ita ut non timeant neque formident, si quando paucos panes habeant, neque de fame cavenda solliciti sint, sed hæc omnia contemnant. Ne itaque nos semper assentari subditis velimus, nec optemus ut ii, qui nobis præsunt, nobis adulentur. Nam utroque opus habet mens humana remedio. Ideo Deus res hujus mundi sic administrat, ac modo hoc, modo illud facit, neque bona manentia, neque mala sinit esse. Quemadmodum enim modo dies, modo nox est; modo æstas, modo hiems; sic et in nobis modo tristitia, modo voluptas; morbo morbus, modo sanitas. Ne miremur si ægrotemus, quando etiam cum bene valemus mirandum est. Neque turbemur cum dolore angimur, nam quando gaudemus maxime turbari par est. Omnia quippe secundum naturam et rerum seriem eveniunt.

IV. Ecquid miraris si hæc tibi contingant, quando etiam Sanctis contigisse videmus? Ut autem illud ediscas, age quam vitam putas voluptate plenam et a negotiis vacantem, in medium adducamus. Vis-ne Abrahæ vitam a principio examinemus? Quid ergo ille primum audivit? « Egredere » de terra tua et de cognatione tua. » Vidisti-ne mandatum dolore plenum? Sed vide rem prosperam succedere : « Et

[1] Matth. XVI, 11, 12.

» veni in terram quam monstravero tibi, et faciam te in » gentem magnam [1]. » Quid igitur? An ubi in terram venit, et ad portum appulit, tristia cessarunt? Nequaquam; imo alia prioribus graviora illum exceperunt; fames et transmigratio, uxoris raptus : et postea bona alia successerunt, Pharaonis plaga, dimissio, honor, multa illa dona, reditus domum. Quæ sequuntur autem eadem serie procedunt, bonis et malis permixta. Apostolis quoque similia evenerunt. Ideo Paulus dicebat : « Qui consolatur nos in omni » tribulatione, ut possimus et nos consolari eos, qui in » omni tribulatione sunt [2]; » Quid hæc ad me, inquies, qui semper in dolore versor? Ne ingratus, ne beneficiorum immemor esto : neque enim fieri potest ut quis semper in dolore versetur : non id natura ferre posset. Sed quia semper in gaudio versari vellemus, ideo nos semper in mœrore esse putamus. Neque hæc de causa tantum, sed quia bonarum prosperarumque rerum statim obliviscimur; tristium vero semper recordamur, idcirco nos semper in dolore esse dicimus. Neque enim potest homo semper in doloribus esse. Si placet autem, eum qui in deliciis semper vitam agit exploremus, delicatum nempe affluentem omnibus, nec non ærumnosum, afflictum, in mœrore versantem. Nam demonstrabimus vobis, nec illum doloris, nec hunc tranquillitatis prorsus expertem esse. Verum ne turbemini. Supponatur in medio consistere servum hominem, et alium regem juvenem ac pupillum, qui hæreditatem sit ingentem assecutus. Proponatur etiam mercenarius, qui toto die laboret, aliusque qui perpetuo in deliciis vivat. Vis illius primum mœrores describamus qui in deliciis vivit? Cogita quantum oporteat illum fluctuare et agitari, cum majorem appetit gloriam, quam assequi possit; cum a domesticis despicitur, a minoribus contumelia affi-

[1] Gen. XII, 1. — [2] 2 Cor. I, 4.

citur; cum mille habet accusatores, qui ejus sumptus immenses calumnientur; et alia quotquot in tantis divitiis contingere solent, quæ ne dici quidem possunt; ut sunt inimicitiæ, offensiones, accusationes, damna, multæ insidiæ invidorum, qui cum non possint divitias illius in se transferre, juvenem undique truducunt, lacerant, innumeras ipsi tempestates excitant. Vis tibi mercenarii illius voluptates recenseam? Ab his omnibus liber est : etiamsi quis illum contumelia afficiat, non dolet, nemine se majorem putat, non ex divitiis timet, cum voluptate cibum capit, cum gaudio dormit : non ita lætantur ii qui thasium vinum potant, ut ille cum abit ad fontes et ad aquarum fluenta bibiturus. Sed supradicti illius non talis est conditio. Quod si hæc non tibi satis sint, ut majorem victoriam reportem, age regem illum cum servo comparemus; et sæpe videbis hunc in voluptate ludentem, exilientem, illum vero diademate et purpura ornatum, mœrentem, mille curis vexatum, præ metu morientem. Neque enim potest, non potest certe vita sine dolore reperiri, nec voluptate prorsus vacua : neque enim natura nostra ferre posset, ut dixi. Quod si ille magis gaudet, ille plus dolet; id ab illo ipso, qui in dolore est proficiscitur, quia pusilli est animi, non autem a rerum natura. Si enim velimus frequenter gaudere, multas habemus occasiones. Nam si virtutem suscipiamus, nihil deinceps poterit dolorem inferre nobis. Hæc enim spem bonam suggerit iis, qui illam exercent, Deo gratos reddit et hominibus acceptos, ineffabilemque nobis voluptatem parit. Nam si laboriosa in exercitio virtus est, sed conscientiam multa replet lætitia, et tantam intus immittit voluptatem, quantam ne explicare quidem possumus. Quid enim videtur tibi suave in præsentis vitæ rebus? Sumptuosa mensa, bona corporis valetudo, gloria, divitiæ? Verum si hæc, quæ dulcia habentur, cum virtute com-

paraveris, omnium acerbissima videbuntur. Nihil quippe suavius, quam conscientia et spes bona.

V. Si id discere vultis, jam moriturum hominem, aut senem adeamus, et ipsi in mentem revocantes lautam mensam, qua usus est, gloriam et honorem, et bona opera quæ fecit in vita; interrogemus de quibus magis gaudeat, et videbimus illum de illis erubescere et pudore affici, de his vero exultare. Sic Ezechias, cum in morbum lapsus est, non gloriam, non regnum, non lautam mensam commemoravit, sed justitiam. « Memento, inquit, Domine, quod ambu» laverim in conspectu tuo in via recta [1]. » Vide etiam Paulum de his exultantem ac dicentem : « Bonum certamen » certavi, cursum consummavi, fidem servavi [2]. » Sed quid aliud amplius, inquies, poterat hic dicere? His longe plura; honores, satellitium quo fruebatur, famulatum magnum? Annon audis illum dicentem : « Sicut Angelum Domini » suscepistis me, sicut Christum Jesum : et si possibile » fuisset, avulsos oculos dedissetis mihi [3], » et quod pro anima ejus collum supposuerint? Sed nihil horum in medium affert; verum labores tantum, pericula, et coronas inde reportatas : ac jure quidem. Hæc enim hic relinquuntur, cætera nobiscum proficiscuntur. Illorum vero rationes dabimus, horum mercedem expetemus. An ignoratis quomodo in ultimo die peccata animam commoveant, quomodo cor exagitent? Tunc ergo bonorum operum memoria, quasi in tempestate tranquillitas, turbatam animam consolatur. Si vigilemus et sobrii simus, per totam vitam nobis hujusmodi timor aderit : quia vero sine ullo sensu vivimus, cum hinc ejecti fuerimus, procul dubio accedet. Nam vinctus tum maxime dolet, cum educunt eum ad judicium : tunc maxime tremit, cum prope tribunal est,

[1] 4 Reg. xx, 3, et Isaï. xxxviii, 3. — [2] 2 Tim. iv, 7. — [3] Gal. iv, 14.

quando rationes dare oportet. Idcirco terribiles visiones narrant multi hoc in statu oblatas, quarum speciem non ferentes ii, qui decedunt, lectum ipsum cum magno impetu succutiunt jacentes, et eos qui adsunt torvis inspiciunt oculis, anima intus sese exagitante, et a corpore avelli renuente, nec adventantium Angelorum conspectum ferente. Nam si cum homines terribiles conspicimus, formidamus, cum Angelos comminantes, et virtutes immanes videbimus, quid non patiemur, anima a corpore abstracta, et incassum multumque lugente? Nam dives ille, postquam decesserat, multum luxit, sed id nihil ipsi profuit. Hæc igitur omnia in nobis depingentes et animo versantes, ne eadem et nos patiamur, horum omnium timorem servemus, ut et supplicium illud fugiamus, et æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria cum sancto et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIV.

CAPUT XVI.

Egressus Jesus in partes Cæsareæ Philippi, interrogabat Discipulos suos, dicens : Quem me dicunt homines esse Filium hominis [1]. ?

I. Cur cum urbe conditorem ejus nominavit? Quia est et alia quæ Stratonis dicitur. Non in hac vero, sed in illa interrogat ipsos, procul a Judæis abducens, ut ab omni sollicitudine liberi cum fiducia dicant quæ sentiunt. Cur

[1] Matth. xvi, 13.

autem non statim de sua, sed de multorum sententia ipsos interrogavit? Ut opinione aliorum exposita, deindeque interrogati, « Vos autem quem me esse dicitis [2]? » ab ipso interrogandi modo in sublimiorem eveherentur, cogitationem, neque in vilem multorum cogitatum deciderent. Ideoque non in principio prædicationis eos interrogat; sed quando signa multa fecit, et de multis sublimibusque dogmatibus disseruit, multasque præbuit demonstrationes et Divinitatis suæ, et suæ cum Patre concordiæ : tunc demum hanc illis profert interrogationem. Neque dixit : « Quem me dicunt esse Scribæ et Pharisæi? » quamvis illi ipsum sæpe disserendi causa convenerint : sed, « Quem me di» cunt homines esse? » populi opinionem, quæ sine acceptione esse solet, requirebat. Licet enim illa longe dejectior esset quam par erat, at a nequitia erat aliena : Pharisæorum autem opinio iniquitate plena erat. Et ostendens quam vellet œconomiam sive incarnationem in confesso haberi, ait : « Filium hominis, » sic Divinitatem appellans, ut alibi sæpe facit. Ait enim : « Nemo ascendit in cœlum, nisi Filius » hominis qui est in cœlo [2]. » Et rursum, « Cum autem vi» deritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius [3]. » Deinde quia dicebant : « Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, » alii Jeremiam, alii unum ex Prophetis [4]; » falsa illorum opinione in medium adducta subjunxit : « Vos autem quem » me esse dicitis? » Ex secunda interrogatione illos evocans, ut majus quid de illo opinarentur, ostendensque ipsis primam opinionem a dignitate sua procul abesse. Ideo aliam ab ipsis exquirit, et secundam profert interrogationem, ne cum multis sentirent, qui quoniam signa viderant majora quam quæ homini competere possent, hominem quidem illum esse putabant; sed ex mortuis resurrexisse, id

[1] Matth. xvi, 15. — [2] Joan. iii, 13. — [3] Id. vi, 62. — [4] Matth. xvi, 14.

quod dicebat Herodes. Sed ille ipsos a tali suscipione abducens ait : « Vos autem quem me esse dicitis? » Id est, qui semper mecum estis et miracula edentem videtis, qui et ipsi per me virtutes multas fecistis. Quid igitur os Apostolorum Petrus? semper fervens, chori apostolici coryphæus, omnibus interrogatis, ipse respondet. Et cum de sententia populi sciscitaretur, omnes responderunt : cum autem de sua eos rogaret, Petrus prosilit et prævertit, aitque : « Tu es Christus Filius Dei vivi. » Quid ergo Christus? « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non re» velavit tibi [1]. » Atqui nisi Petrus sic ipsum vere confessus fuisset, ut ab ipso Patre genitum, non fuisset hoc revelationis opus. Si unum ex multis illum esse putasset, non erat illud beatitudine dignum. Etenim jam antea dicebant ii qui in navigio erant post tempestatem : « Vere Filius Dei » est hic [2], » nec tamen beati dicti sunt, etsi vere dixerint. Non enim sic filium, ut Petrus, confessi sunt; sed unum ex multis vere filium esse putabant, eximium quidem inter multos, nec tamen ex ipsa Patris substantia.

II. Nathanaël quoque dicebat : « Rabi, tu es Filius Dei, » tu es rex Israël [3]. » Neque solum non beatus dicitur; verum etiam quasi multo inferiora quam oportebat dixisset, ab illo redarguitur : subjunxit enim, « Quia dixi tibi : Vidi » te sub ficu, credis, majora his videbis [4]. » Cur igitur Petrus beatus dicitur? Quia illum proprie Filium confessus est. Idcirco illis nunquam Christus simile quidpiam dixit : hic autem etiam eum qui revelaverat declaravit. Nam ne plurimi crederent eum, quia Christum ferventer amabat, amoris et adulationis verba protulisse, atque ex affectu et gratia, in medium affert eum qui id illi inspiraverat : ut discas Petrum verba protulisse, Patrem vero dictasse : ut

[1] Matth. xvi, 16, 17. — [2] Id. xiv, 33. — [3] Joan. i, 49. — [4] Id. i, 50.

non ultra crederes humanam opinionem illa esse quæ dicta sunt, sed divinum dogma. Cur autem non id ipse pronuntiat, nec dicit : « Ego sum Christus, » sed per interrogationem illud apparat, ut illos inducat ad confitendum? Quoniam illud et ipsi congruentius, et magis necessarium erat, illosque magis ad fidem eorum quæ dicta fuerant attrahebat. Vides-ne quomodo Filium revelat Pater? quomodo Patrem Filius? « Neque Patrem, inquit, quis novit nisi » Filius, et cui voluerit Filius revelare [1]? » Non ergo possumus aliunde cognoscere Filium, quam per ipsum Patrem, neque Patrem quam per ipsum Filium. Itaque inde et honoris æqualitas et consubstantialitas demonstratur. Quid igitur Christus? « Tu es Simon filius Jona, tu voca- » beris Cephas [2]. » Quia enim, inquit, Patrem meum prædicasti, ego illum nomino qui te genuit : ac si diceret : « Sicut tu filius Jona, sic ego Patris mei Filius. » Nam supervacaneum fuisset dicere : « Tu es filius Jona. » Sed quia ille dixit Filium Dei, ut ostenderet ipsum esse Dei Filium, ut ille filius erat Jona, ejusdem cum patre substantiæ; ideo illud addidit : « Et ergo dico tibi : Tu es Petrus, et super » hanc petram ædificabo Ecclesiam [3], » id est, super fidem confessionis. Hinc declarat multos esse credituros, ejusque sensum erigit, et pastorem ipsum constituit. « Et portæ » inferi non prævalebunt adversus eam [4]. » Si vero adversus eam non prævalebunt, multo minus adversum me prævalebunt. Itaque ne turberis, cum audies me traditum et crucifixum esse. Deinde alterum dicit honorem : « Ego » autem dabo tibi claves regni cœlorum [5]. » Quid significat illud, « Ego autem tibi dabo? » Quemadmodum Pater tibi dedit ut me cognosceres, sic et ego tibi dabo. Neque dixit : « Rogabo Patrem, » etiamsi magna esset potestatis

[1] Luc. x, 22. — [2] Joan. i, 42. — [3] Matth. xvi, 18. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 19.

demonstratio, et doni magnitudo ineffabilis; sed, « Ego dabo tibi. » Quid, quæso, das? « Claves regni cœlorum : » Et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in » cœlis : et quæcumque solveris super terram, erunt soluta » et in cœlis [1]. » Quomodo igitur non ejus erit, ut a dextris et sinistris sedere concedat, qui dixit : « Ego tibi » dabo. » Vides-ne quomodo ad sublimiorem de se opinionem Petrum erigat, et seipsum revelet, ac per hasce duas promissiones se Filium Dei esse ostendat? Nam quæ uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immotam reddere, hominemque piscatorem toto impugnante orbe petra firmiorem reddere, hæc se illi daturum pollicetur : ut Pater Jeremiam alloquens dicebat se posuisse illum sicut columnam æream et sicut murum [2]. Sed illum uni genti, hunc autem in universo terrarum orbe. Libenter quærerem ab iis, qui imminutam Filii dignitatem volunt, quæ majora sint dona, an quæ Pater, an quæ Filius Petro dedit. Nam Pater revelationem Filii Petro dedit; Filius vero et Patris et suam revelationem per totum orbem disseminavit, ac mortali homini omnem in cœlo potestatem dedit, dum claves illi tradidit, qui Ecclesiam per totum orbem terrarum extendit, et cœlis firmiorem monstravit : nam ait : « Cœlum et » terra transibunt, verba autem mea non transibunt [3]. » Quomodo ergo minor is qui talia dedit, qui talia fecit? Hæc porro dico, non quod Patris et Filii opera dividam : « Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum » est nihil [4]; » sed ut impudentem illorum linguam reprimam, qui talia proferre audent.

III. Ex his omnibus ejus potentiam animadverte. « Ego » tibi dico : Tu es Petrus : Ego ædificabo Ecclesiam; Ego

[1] Matth. xvi, 19. — [2] Jer. i, 18. — [3] Matth. xxiv, 35. — [4] Joan. i, 3.

» tibi dabo claves cœlorum. » Et cum hæc dixisset, « Præ- » cepit eis ut nemini dicerent quod ipse esset Christus [1]. » Et cur præcepit? Ut scandalis de medio sublatis, et cruce atque aliis, quæ passus est, consummatis, nulloque demum restante quod vel impediret vel turbaret fidem in ipsum a multis susceptam, sincera et immobilis circa ipsum opinio in auditorum animis imprimeretur. Nondum enim ipsius virtus clare fulserat. Ideoque tunc ab illis eam prædicari volebat, cum et clara rerum veritas, et gestorum vis magna Apostolorum dictis patrocinarentur. Non enim æquale erat, ipsum videre in Palæstina nunc miracula patrantem, nunc contumeliis affectum et pulsum; cum maxime crux miracula illa exceptura esset; ipsumque perspicere dum ubique terrarum adoraretur, fidesque in illum vigeret, nihilque ultra pateretur eorum quæ ante passus fuerat. Ideo præcipit ut nemini dicant. Nam quod semel radices posuit, si postea evellatur, difficile potest iterum plantatum apud multos firmari; quod vero postquam semel defixum est, immotum manet, nemine molestiam inferente, facile pullulat, et majus incrementum accipit. Nam si ii qui signa viderant plurima, et tot ineffabilium mysteriorum participes erant, vel solo auditu scandalizati sunt; imo non ipsi soli, sed et Petrus omnium coryphæus; cogites velim quid passuri erant plurimi, si didicissent ipsum esse Filium Dei, et postea vidissent eum crucifigi, et sputis fœdari, cum mysteriorum hujusmodi arcana non nossent, necdum Spiritum sanctum accepissent. Nam si Discipulis dicebat: « Multa » habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo [2], » multo magis reliqua multitudo decidisset, si ante opportunum tempus, quod in his mysteriis supremum erat ipsis revelatum fuisset. Idcirco hæc dicere prohibet. Et ut discas quantum intererat plenam postea doctrinam accipere,

[1] Matth. XVI, 20. — [2] Joan. XVI, 12.

summotis iis quæ offendiculo esse poterant, id ab ipso coryphæo accipe. Ipse namque Petrus, qui post tot miracula adeo imbecillus apparuit, ut negaret, vilemque puellam timeret, postquam crucis peracto mysterio, resurrectionis claras habuit demonstrationes, cum nihil illi ultra offendiculo esset, nihil eum turbaret, sic immotam tenuit Spiritus doctrinam, ut vehementius quam leo in Judæorum populum irrueret, etsi pericula et mille mortes imminerent. « Multa enim habeo vobis dicere, inquit, sed non po» testis portare modo. » Quin etiam multa ab illo dicta non intelligebant, quæ ante crucem manifesta non reddidit. Posteaquam igitur resurrexerat, tunc quædam eorum quæ dixerat intellexerunt. Jure ergo multis præcepit ne illud ante crucis passionem dicerent, quando ne ausus quidem est iis qui postea prædicaturi erant, omnia ante crucem aperire. « Ex eo tempore cœpit Jesus ipsis ostendere, quod » oporteret eum pati [1]. » Ex quonam tempore? cum hoc dogma in illis inseruit, cum gentium initium induxit. At neque sic id quod dicebatur intellexerunt : « Erat enim, » inquit, absconditus sermo ab eis, » et quasi in obscuritate quadam versabantur, nescientes eum resurrecturum esse. Quapropter in istis difficilibus immoratur, et sermonem amplificat, ut illis mentem aperiat, et intelligant quid sit illud quod dicitur. Verum non intellexerunt, sed erat absconditum ipsis verbum istud, nec audebant illum interrogare, non utrum esset moriturus, sed quomodo et qua ratione. Et quid erat hoc mysterium? non enim sciebant quid esset resurgere, multoque melius putabant esse non mori. Ideoque aliis omnibus perturbatis ac dubitantibus, rursum Petrus, utpote fervens, solus ausus est hac de re loqui : neque tamen publice, sed seorsum, id est, ab aliis semotus Discipulis, aitque : « Propitius tibi sis, Domine, non erit tibi

[1] Matth. xvi, 21.

» hoc [1]. » Quid hoc est? Qui revelationem habuit, qui beatus prædicatus est, hic subito lapsus cecidit, ita ut passionem etiam timeret? Et quid mirum, si is qui hac de re non acceperat revelationem, id passus sit? Ut enim discas illum ea, quæ supra dicta sunt, non ex se protulisse, vide quomodo in his quæ sibi revelata non fuerant, turbetur et evertatur, et millies audiendo non noverit quid diceretur. Nam quod Filius Dei esset, id certe noverat; quid autem sit mysterium crucis et resurrectionis, nondum ipsi clare notum erat. Sermo enim, inquit, erat ipsi occultus. Vides illum jure mandasse, ne aliis dicerent. Nam si eos, quos id edisscre necessarium erat, ita turbavit, quid non passi essent cæteri? Ipse vero ut ostenderet se non invitum ad passionem venire, increpavit Petrum, Satanamque vocavit.

IV. Audiant qui de cruce Christi erubescunt. Etenim si coryphæus ille antequam omnia probe sciret, quod tali esset affectu, Satanas appellatus est, quam veniam mereantur illi qui post tantam demonstrationem, œconomiam negant? Quando enim vir qui beatus appellatus est, qui talem protulit confessionem, hæc tamen audit; in animo reputa quanta passuri sint ii, qui post ista mysterium crucis vilipendunt. Non dixit: « Satanas per te locutus est; » sed, « Vade post me Satanas [2]. » Nam cupiebat adversarius ut Christus non pateretur: ideo sic vehementer increpavit, quod maxime sciret et illum et alios hoc ipsum timere, neque facile illud admittere. Quapropter mentis ejus arcana revelat dicens: « Non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea » quæ hominum [3]. » Quid porro illud est: « Non sapis ea quæ » Dei sunt, sed ea quæ hominum? » Ille humano et terreno ratiocinio rem examinans, putabat id Christo turpe esse et indecorum. Ipsum itaque carpens ait: « Non indecorum

[1] Matth. XVI, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Ibid.

est me pati, sed tu carnali consilio ita judicas : qui si secundum Deum dicta audisses, a carnali animo expeditus, scires id me maxime dicere. Tu enim putas indignam rem esse si id ego patiar : ego vero dico tibi diaboli voluntatem esse ut ego non patiar : » ex contrariis sollicitudinem ejus reprimebat. Sicut enim Joannem, qui indignum Christo putabat esse, si ab se baptizaretur, ad id faciendum induxit dicens : « Sic decet nos [1] ; » et ipsi Petro pedes suos lavare prohibenti dixit : « Non habes partem mecum, nisi » pedes tuos lavero [2] ; » sic et hoc loco ex contrariis ipsum repressit, et increpationis vehementia, timorem passionis extinxit. Neminem igitur pudeat honorabilium salutis nostræ symbolorum, quæ sunt caput bonorum, per quæ vivimus, per quæ sumus. Sed crucem Christi quasi coronam circumferamus, per eam enim omnia quæ ad nos spectant perficiuntur. Si regenerari oporteat, crux adest ; si mystico illo cibo nutriri, si ordinari, et si quidvis aliud faciendum, ubique nobis adest hoc victoriæ symbolum. Idcirco et domi, et in parietibus, et in fenestris, et in fronte et in mente, illam cum multo studio depingimus. Hoc quippe signum est nostræ salutis, communis libertatis, et mansuetudinis Domini : « Sicut ovis enim ad occisionem ductus » est [3]. » Cum igitur te signas, totum crucis argumentum cogita, extingue iram omnesque pravos affectus. Cum te signas, multa fiducia frontem tuam reple, liberam facito animam. Scitis plane quænam sint quæ libertatem nobis pariant. Ideo Paulus ad id nos cohortans, hoc est ad libertatem nobis congruentem, crucis et sanguinis dominici mentione facta, sic habet, « Pretio, inquit, empti estis, ne » sitis servi hominum [4]. » Cogita, inquit, pretium pro te numeratum, atque nullius hominis eris servus, pretium vero

[1] Matth. III, 15. — [2] Joan. XIII, 8. — [3] Isaï. LIII, 7, et Act. VIII, 32. — [4] 1 Cor. VI, 20.

crucem vocat. Neque enim simpliciter illam digito efformare oportet; sed prius voluntate et multa fide. Si hoc modo illam in facie tua depinxeris, nullus impurorum dæmonum contra te stare poterit, cum ensem videat, quo vulnus accepit, cum gladium videat quo letali plaga perfossus est. Si nos enim loca videntes ubi rei cæduntur, perhorrescimus, cogita quid passuri sint diabolus et dæmones, telum illud videntes, quo Christus totam illorum potentiam solvit, draconisque caput abscidit. Ne itaque te pudeat tanti accepti boni, ne Christum tui pudeat quando veniet cum gloria sua, et hoc signum ante Christum videbitur ipsis solaribus radiis splendidius. Tunc enim crux veniet, conspectu suo vocem emittens, et adversus orbem totum causam Domini defendens, ostendensque nihil ex ejus parte defuisse. Hoc signum et majorum nostrorum tempore et ævo nostro, clausas aperuit januas : hoc signum venenata pharmaca extinxit : hoc cicutæ vim solvit, hoc venenatarum ferarum morsus curavit. Nam si portas inferorum aperuit, si cœlorum ostia reseravit, et paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos rescidit, quid mirum si letifera pharmaca, feras aliaque hujusmodi superaverit?

V. Hoc ergo in mente tua insculpe, et animarum nostrarum salutem amplectere. Hæc quippe crux orbem servavit et convertit, errorem expulit, veritatem induxit, terram cœlum effecit, homines Angelos reddidit. Vi crucis dæmones non ultra formidandi, sed despiciendi sunt, neque mors mors est, sed somnus : per crucem quæ nobis adversabantur omnia humi dejecta conculcantur. Si quis ergo dicat tibi : « Crucifixum-ne adoras? » læta voce, hilari vultu responde : « Adoro, nec adorandi finem faciam. » Si rideat, de ejus insania lacrymas funde. Gratias age Domino de tantis beneficiis, quæ sine cœlesti revelatione ne discere

quidem quis possit. Ideo namque hic ridet, quia « Animalis » homo non percipit ea quæ spiritus sunt [1]. » Nam et pueri sic solent affici, cum magna quædam et mirabilia viderint: si infantem ad mysterium introduxeris, ridebit. His puerulis similes sunt gentiles; imo his quoque sunt imperfectiores. Ideoque miseriores quod non in immatura, sed in perfecta ætate, eodem quo pueri modo afficiantur, quapropter venia sunt indigni. Sed nos clara magnaque voce, et clamore adhibito dicamus; imo majore cum fiducia si gentiles omnes adsint: « Gloria nostra crux est, caput bonorum omnium, fiducia et corona. » Vellem cum Paulo posse dicere: « Per quem mihi mundus crucifixus est, et » ego mundo [2], » sed non possum plurimis detentus affectibus. Quapropter vos hortor, et ante vos meipsum, ut mundo crucifigamur, nihilque commune cum terra habeamus; sed supernam amemus patriam, gloriam illam, bona cœlestia. Nam Regis cœlestis milites sumus, et armis spiritualibus induimur. Cur ergo cauponum, circulatorum, imo vermium vitam agimus? Ubi enim rex est, ibi militem esse oportet. Nam milites sumus non eorum qui longe, sed eorum qui prope sunt. Etenim rex terrenus non permittit omnes in regia esse, nec ad ejus latera consistere: at cœlestis ille rex omnes prope regium solium vult adesse. Et quomodo fieri potest, inquies, ut hic degentes, prope solium illud stemus? Quia et Paulus cum in terra esset, ibi tamen erat, ubi Seraphim et Cherubim, propius Christo, quam satellites imperatori. Hi namque sæpe circumquaque respiciunt; ille vero nulla imaginationis vi motus vel abstractus erat, sed intenta mente regi Christo hærebat; quare si voluerimus, nos quoque id poterimus. Nam si locorum intervallo semotus esset, non sine causa hæc objiceres; sed si ubique præsens est, vigili et attento certe proxime

[1] 1 Cor. II, 14. — [2] Gal. VI, 14.

adest. Ideo Propheta docebat: « Non timebo mala, quoniam » tu mecum es [1] : » et rursus ipse Deus; « Deus appropin- » quans ego sum, non Deus procul [2]. » Sicut enim peccata nos ab illo disjungunt, sic justitia nos adjungit ipsi. Nam ait : « Adhuc te loquente dicam : Ecce adsum [3]. » Quis pater sic filios nepotesque audiat? Quæ mater ita parata promtaque sit, ne se filioli advocent? Nemo certe, non pater, non mater, sed Deus solus assidue expectat, num quis se domesticorum advocet, nec unquam ut decet vocatus a nobis, non audivit. Ideo ait : « Adhuc te loquente, non » expectabo donec finieris, sed statim exaudiam. » Advocemus itaque illum ut vult advocari. Quomodo vult ergo? « Solve, inquit, omne vinculum injustitiæ, dissolve obliga- » tiones violentarum pactionum, omnem scripturam ini- » quam conscinde. Frange esurienti panem tuum, et pau- » peres vagosque induc in domum tuam. Si videris nudum, » operi eum, et domesticos seminis tui non despexeris. » Tunc erumpet matutinum lumen tuum, et medelæ tuæ » mox orientur, et præibit ante te justitia tua, et gloria Dei » circumamiciet te. Tunc invocabis me, et exaudiam te. » Adhuc te loquente dicam : Ecce adsum [4]. » Sed, inquies, quis hæc omnia facere poterit? Imo vero, dic quæso, quis non potest? Quid enim ex dictis ita difficile? quid operosum? quid non facile? Ita non modo possibilia sunt, sed et facilia, ut multi eorum mensuram excesserint : non solum injusta chirographa lacerantes, sed sese bonis suis expoliantes; non modo sub tecto et ad mensam pauperes recipientes, sed etiam ad illos alendos magnum corporis laborem et sudorem suscipientes; non cognatis modo, sed etiam inimicis beneficia præstantes.

VI. Quid in supradictis difficile est? Non enim dixit :

[1] Psal. xxii, 4. — [2] Jer. xxiii, 23. — [3] Isaï. lviii, 9. — [4] Ibid. 6-9.

« Transcende montes, mare trajice, tot et tot jugera terræ effodias, jejunus diu maneas, sacco te indue; » sed « Proximo impertire, panem largire, injusta chirographa rescinde. » Quid, quæso, his facilius? Quod si difficilia illa putes, præmia respice, et facilia tibi erunt. Quemadmodum enim reges in Hippodromis ante decertantes, coronas, bravia et vestimenta ponunt, sic et Christus in medio stadio præmia ponit, ac quasi multorum manibus per Prophetæ verba expandit. Ac reges quidem, etsi millies reges sint, utpote homines, fluxas habent opes, et liberalitatem quæ evacuatur, quæ pauca vere sunt, multa videri student; ideo singula singulis ministris dant, et sic in medium adducunt. Contra vero Rex noster, omnia simul accumulans, quia abundat opibus, nihil ad ostentationem facit, sicque in medio proponit ea, quæ exposita immensa erunt, multisque manibus opus erit ad ea exhibenda. Quod ut ediscas, horum singula diligenter aspice : « Tunc erumpet matutinum lumen tuum. » Annon videtur unum esse donum? Sed non unum est : nam multa intus habet bravia, coronas, cæteraque præmia. Quare, si placet, his revolutis, singulatim divitias hasce exhibeamus, quantum fas erit; tantum ne deficiatis. Ac primo discamus quid sit illud, « Erumpet, » neque enim dixit : « Apparebit; » sed « Erumpet, » et celeritatem et copiam nobis ostendit, et quantum salutem nostram desideret, et quam gestiat bona illa proferri, nihilque esse quod ineffabilem impetum coërceat. Quibus omnibus immensa eorum copia ostenditur. Quid autem illud est « Matutinum? » Id est, non post tentationum certamina, nec post malorum incursum; sed hæc prævenit. Quemadmodum enim in fructibus matutinum dicimus id quod ante tempus apparet; sic et hoc loco, celeritatem rursus ostendens, ita dixit, ut supra dicebat : « Adhuc te loquente dicam : Ecce adsum. » Quod lumen dicit, quale tandem

lumen est? Non hoc sensile, sed aliud multo præstantius, quo cœlum, Angelos, Archangelos, Cherubim, Seraphim, Principatus, Potestates, Thronos, Dominationes, universum exercitum, regias aulas et tabernacula videmus. Nam si lumine illo dignatus fueris, et hæc videbis, et eripieris a gehenna, a verme venenato, a stridore dentium, a vinculis insolubilibus, ab angustia et tribulatione, a tenebris obscurissimis, a cruciatibus, ab igneis fluminibus, a maledictione, a pœnarum locis; et illo perges, ubi nullus dolor, mœror nullus, sed ubi multum gaudium, pax, charitas, lætitia, deliciæ : ubi vita æterna, gloria ineffabilis, pulchritudo inenarrabilis : ubi æterna tabernacula, et gloria regis inæstimabilis; atque bona illa quæ oculus non vidit, auris non audivit, neque in cor hominis ascenderunt : ubi sponsus spiritualis, et thalami cœlestes, virgines fulgidas habentes lampadas, et omnes qui vestem habent nuptialem : ubi multæ Domini opes, et promptuaria regia. Vides-ne quanta præmia, et quanta una voce comprehenderit? Ita si singulas exploremus voces, multam inveniemus rerum copiam et pelagus immensum. Num adhuc cunctabimur, quæso, nec prompti erimus ad misericordiam aliis exhibendam? Minime, obsecro. Sed etiamsi omnia projicere et in ignem mittere oporteat : si in gladios incumbere, si ad mucrones insilire, si quidvis aliud tolerandum occurrat, omnia facile feramus, ut regni cœlorum amictum, et ineffabilem illam gloriam assequamur, quam utinam nobis omnibus nancisci contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LV.

CAPUT XVI.

Tunc Jesus dixit Discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me [1].

I. «Tunc,» quandonam? Postquam [2] Petrus dixerat: «Propitius tibi sis, non erit tibi hoc,» et audivit : «Vade post »me Satana.» Neque enim satis habuit illum increpasse, sed ex abundanti ostendere volens et dictorum Petri absurditatem, et utilitatem ex passione futuram, ait : «Tu mihi dicis : «Propitius tibi esto, non erit hoc tibi.» Ego vero tibi dico non modo perniciosum esse tibi, si me impedias, et si passionem meam moleste feras; sed etiam non posse te salutem consequi, nisi et ipse semper ad moriendum sis paratus.» Ne enim indignum se esse putarent, quod talia pateretur, non prioribus tantum verbis, sed etiam sequentibus rei utilitatem docet. Apud Joannem quidem dicit : «Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, »ipsum solum manet, sin autem mortuum fuerit, multum »fructum affert [3].» Hic vero copiosius rem tractans, non de se solum morte consummando loquitur; sed id etiam ad Discipulos extendit. Tantum est enim rei lucrum, ut vobis ipsis, si mori nolitis, id damnosum vobis sit : contra vero, si ad illud bonum parati sitis. Sed hoc in sequentibus ostendit, interimque illud una ex parte examinat. Ac vide quomodo nullam imponat necessitatem : neque enim dixit :

[1] Matth. XVI, 24. — [2] Vide D. Guillon, tom. XVII, pag. 165. — [3] Joan. XII, 24.

«Velitis nolitis, id vos pati oportet » : sed quomodo ? « Si quis » vult post me venire; » non vim infero, non necessitatem impono, sed uniuscujusque arbitrio id relinquo ; ideo dico : « Si quis vult. » Ad bona voco, non ad mala et onerosa, non ad supplicium et pœnas, ut cogam. Nam ipsa rei natura potest ad id pertrahere. Hæc porro dicens, magis alliciebat. Nam qui vim infert, sæpe avertit ; qui vero rem auditoris arbitrio relinquit, magis attrahit, potentior quippe est mitis rei expositio, quam violentia. Ideo dicebat ille : « Si quis vult. » Magna quippe sunt, inquit, quæ vobis offero bona, et talia, ut ad ea sponte curratur. Neque enim si quis aurum præberet, et thesaurum exponeret, cum violentia vocaret. Si vero ad hæc sine violentia itur, multo magis ad cœlestia bona. Nisi enim ipsa rei natura tibi persuadeat ut accurras, jam dignus non es qui accipias ; neque si acceperis, recte scias acceptæ rei pretium. Ideo non cogit Christus, sed hortatur, indulgens nobis. Quia enim multa insusurrabant, ex illo dicto turbati, dicit illis : « Non est opus turbatione et strepitu ; si non putatis id quod dixi vobis innumerabilium bonorum esse causam, et vobis congruens esse, non vim infero, non cogo, sed cum qui sequi velit voco. Ne putetis autem sequi me, illud esse quod vos nunc facitis cum me sequimini. Multis erit vobis opus laboribus, multis periculis si post me venturi sitis. Non enim, o Patre, quia nunc me Filium Dei confessus es, ideo tantum debes coronas expectare : et putare id tibi esse ad salutem satis, atque tranquille postea degere, ac si totum perfeceris. Possum enim, utpote Dei Filius, te a malorum experimento eximere ; nolo autem tui gratia, ut et ipse aliquid de tuo conferas, ac probatior evadas. Neque enim agonotheta quis dilectum habens athletam, velit unquam illum ex mera gratia coronare, sed ex propriis id præstare cupit laboribus : ideoque maxime quia ipsum diligit ; sic et

Christus quos maxime diligit, hos vult suo merito esse conspicuos, non autem ex sola sua ope. Vide autem quomodo orationem non onerosam proferat. Neque enim in illis tantum mala circumscribit, sed et commune toti orbi dogma exhibet dicens : « Si quis vult, » sive mulier, sive vir, sive princeps, sive subditus hanc ingrediatur viam. Videturque unum tantum dixisse, sed tria proponit, abnegare semetipsum,, tollere crucem suam, et ipsum sequi; duo autem conjuncta sunt, tertium solum proponitur. Sed primo videamus quid sit abnegare semetipsum. Prius discamus quid sit abnegare alterum, et tunc sciemus quid sit abnegare semetipsum. Qui abnegat alterum, sive fratrem, sive servum, sive alium quempiam, etsi flagellatum viderit, etsi vinctum, etsi ad mortem abductum, etsi quidvis aliud patientem, non adest, non auxiliatur, non animo frangitur, non ejus causa patitur, utpote qui ab eo abalienatus sit. Sic itaque vult nos nullo modo corpori parcere; ut sive flagellent, sive pellant, sive urant, sive aliud quidvis faciant, non nobis parcamus. Illud enim est parcere. Nam etiam patres filiis tunc maxime parcunt, cum magistris tradentes, mandant ne parcant eis. Ita et Christus, non dixit ne parcat sibi, sed quod gravius est, abneget semetipsum, id est, nihil cum seipso commune habeat, sed periculis se dedat, et certaminibus, atque ita sit affectus ut si alius id pateretur. Nec dixit : « Neget, » sed, « Abneget, » hoc parvo additamento vim magnam dictioni affert : nam abnegare multo plus est quam negare.

II. « Et tollat crucem suam. » Hoc ex illo sequitur. Ne putes enim ad verba usque tantum et contumelias, et opprobria abnegare seipsum oportere : dicit quousque abnegare semetipsum oporteat; id est, usque ad mortem, et mortem turpissimam. Idcirco non dixit : « Abneget semetipsum usque ad mortem, » sed : « Tollat crucem suam, » tur-

pissimam mortem declarans : et quod non semel, aut bis, sed per totam vitam id faciendum sit. Perpetuo, inquit, hanc mortem circumferas, et quotidie ad necem paratus sis. Quia enim multi opes contempserunt et voluptatem et gloriam; mortem vero non spreverunt, at timuerunt pericula; ego, inquit, athletam meum volo ad mortem usque pugnare, et certamina ad sanguinem usque peragi. Itaque si mortem obire oporteat, et mortem turpissimam, mortemque execrandam, etiamsi pro prava quadam suspicione, omnia oportet fortiter ferre, et ideo maxime exultare. « Et » sequatur me. » Quia enim fieri potest ut qui patitur non sequatur Christum, cum non patitur propter ipsum; nam latrones, sepulcrorum expilatores, et præstigiatores multa et graviora patiuntur; ne putes sufficere ipsam malorum naturam, causam malorum addit. Quænam illa est? ut hæc agens et patiens ipsum sequaris; ut propter ipsum omnia patiaris, et reliquas virtutes obtineas. Nam id significat illud : « Sequatur me; » ita ut non modo fortitudinem in ærumnis, sed et continentiam, æquitatem, omnemque philosophiam exhibeas. Illud enim est ut oportet sequi, et alias curare virtutes, et propter ipsum omnia pati. Sunt enim qui diabolum sequuntur, et hæc patiuntur, et propter illum animas suas produnt. Sed nos propter Christum, imo propter nos ipsos. Illi ut sibi ipsis et hic et illic noceant; nos ut utramque vitam lucremur. Quomodo ergo non summæ fuerit ignaviæ non tantam fortitudinem exhibere, quantam ii qui pereunt exhibent; et hæc cum tot coronis donari debeamus? Atqui nobis adest Christus auxiliator, illis nemo. Hoc porro præceptum mandavit, cum misit eos, dicens : « In viam gentium ne abieritis [1]. Mitto enim vos » sicut oves inter lupos [2], et ad præsides et reges ducemini [3]. » Nunc autem illud gravius et acrius expressit. Tunc enim

[1] Matth. x, 5. — [2] Luc. x, 3. — [3] Matth. x, 18.

mortem tantum dicebat : hic vero etiam crucis mentionem fecit, et crucis perpetuæ : nam ait : « Tollat crucem suam, » id est, ferat semper et portet. Illud porro facere solebat ubique, non ab initio et exordio, sed sensim et paulatim majora præcepta inducens, ne auditores rei gravitate turbarentur. Deinde quia id, quod dictum fuerat, durum esse videatur, vide quomodo in sequentibus leniat illud, ponatque præmia sudores superantia ; neque præmia tantum, sed nequitiæ supplicia : in quibus magis versatur, quam in aliis. Quoniam non ita bonorum dona, ut pœnarum comminationes, multos ad sanam mentem reducere solent. Animadverte porro quomodo hinc incipiat et in idipsum desinat. « Quicumque enim voluerit animam suam salvam » facere, perdet eam : quicumque perdiderit animam suam » propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini si » mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimen- » tum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro » anima sua[1] ? » Id est Non quod vobis non parcam, imo maxime parcens hæc præcipio. Nam qui parcit filio suo, perdit illum : qui non parcit, servat eum. Quod etiam Sapiens quidam dicebat : « Si percusseris filium tuum virga, » non morietur : animam autem ejus a morte eripies[2]. » Ac rursum : « Qui refrigerat filium suum, ligabit vulnera » ejus[3]. » Hoc et etiam in exercitu fit. Nam si dux parcens militibus, intus jubeat semper manere, tam milites quam alios simul corrumpit. Ne igitur etiam vobis illud contingat, inquit, oportet vos perpetuam ad mortem esse paratos. Nam et grave bellum mox excitabitur; ne ergo intus sedeas, sed exi et pugnato. Si in acie ceciderís, tunc vitam invenisti. Nam si in hisce bellis sensilibus, qui promptus et paratus ad cædem est, hic præclarus inter cæteros et invictus habetur, inimicis formidolosus est, quanquam si moria-

[1] Matth. XVI, 25, 26. — [2] Prov. XXIII, 14. — [3] Eccli. XXX, 1.

tur, non possit cum imperator suscitare, pro quo arma cepit; multo magis in hisce bellis, ubi spes resurrectionis habetur, qui animam suam ad mortem exponit, inveniet eam; primo quia non cito vincetur; secundo quia etsi ceciderit, ad meliorem vitam perducit eam.

III. Deinde quia dixit : « Qui vult animam suam salvam » facere, perdet eam, et quicumque perdet, salvabit; » hic et illic salutem et perditionem posuit. Ne quis utramque vel perditionem vel salutem æqualem esse putet; sed clare discat tantum esse illam inter et hanc salutem discrimen, quantum inter perditionem et salutem; ex contrariis hæc ita comprobat : « Quid enim prodest homini si mundum » universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patia- » tur? » Vides-ne quomodo salus contra jus fasque comparata, et perditio est, et omni perditione deterior, utpote quæ sit insanabilis, quod nihil sit ultra, quo ea possit redimi? Nec dicas, inquit, animam suam servasse qui talia pericula evaserit; sed cum anima ejus pone etiam totum orbem, quid hinc plus habebit illa perdita? Dic enim mihi, si famulos tuos videres in deliciis esse, teque in extremis malis, an quia dominus es, hinc quidpiam te lucrari putares? Nequaquam. Hoc ipsum de anima cogita, cum carne in deliciis et divitiis agente, illa futuram perniciem expectat. « Quam autem dabit homo commutationem pro anima » sua [1]. » Rursus eadem in re insistit. Num aliam, inquit, animam habes, quam des pro anima tua? Pecunias enim si perdideris, alias pro amissis potes supplere; itemque si domum, si servos, si quamvis aliam possessionem. Animam vero si perdideris, aliam non poteris dare animam. Sed etiamsi mundum habeas, etiamsi rex orbis sis, nec si omnia quæ in orbe sunt; imo nec si ipsum orbem poneres, posses vel animam unam redimere. Ecquid mirum si in anima ita

[1] Matth. XVI, 26.

sit, cum et in corpore idipsum perspicere liceat? Etiamsi mille diadematibus insignitus esses, si corpus haberes morbidum et incurabile, non posses toto regno in mercedem dato, sanitatem corporis restituere, etiamsi mille corpora adjiceres, urbes atque pecunias. Sic etiam de anima cogita, imo multo magis de anima, omnibusque aliis relictis, operam totam in illam conferas.

IV. Ne itaque de alienis sollicitus, teipsum et tua negligas : id quod nunc omnes faciunt, similes iis qui in metallis laborant, qui nihil utilitatis vel divitiarum ex hoc labore carpunt; sed multum detrimenti, quoniam frustra periclitantur, et pro aliis periclitantur, nihil ex sudoribus et ex morte, quam plerumque obeunt, fructus referentes. Hoc multi nunc imitantur, qui aliis divitias quærunt; imo his miseriores sunt, quod post tot labores gehenna nos expectet. Illis enim sudorum finem mors affert : nobis autem initium mille malorum mors est. Quod si dicas te divitem tuis frui laboribus, ostende animam lætam et hilarem, et tunc id credam : omnium quippe quæ in nobis sunt princeps est anima : quod si corpus illa tabescente pinguescit, nihil tibi utilitatis affert illa bona valetudo. Sicut enim ancilla lætante, nihil ad heram pereuntem ancillæ prosperitas affert, nec quid confert vestium ornatus ad carnis infirmitatem. Sed rursum dicet tibi Christus; « Quam dabit » homo commutationem pro anima sua? » præcipitque tibi semper, ut ad illam servandam verseris, illamque cures solam. Postquam igitur his verbis terrorem incussit, bonorum promissione consolatur, his verbis : « Filius enim ho- » minis venturus est in gloria Patris cum sanctis Angelis » suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus[1]. » Vides-ne quomodo gloria sit una Patris et Filii? Quod si gloria una, manifestum est substantiam quoque unam esse.

[1] Matth. xvi, 27.

Nam si in substantia una, differentia est gloriæ ; « Alia quippe est gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum : » stella enim a stella differt in gloria[1], » et tamen una est substantia ; quomodo eorum, quorum gloria una est, substantia diversa esse credatur? Non enim dixit : « In tali gloria qualis est Patris gloria, ut discrimen esse suspiceris ; sed accurate, « In eadem ipsa, inquit, gloria veniet, » ita ut una eademque esse putetur. Quid igitur times, inquit, Petre, dum mortem audis? Tunc enim me videbis in gloria Patris. Si ego in gloria, et vos in gloria eritis. Non enim res vestræ sunt præsentis vitæ limitibus circumscriptæ : sed alia sors melior vos excipiet. Attamen postquam bona illa dixit, non hic substitit, sed et terribilia admiscuit, judicium illud in medium adducens, et rationes inevitabiles, sententiam sine ulla acceptione, judicium quod decipi nequit ; neque tamen tristem sivit omnino sermonem esse, sed bonam spem admiscuit. Neque enim dixit : « Tunc peccatores puniet, » sed « Reddet unicuique secundum opera sua. » Hoc porro dixit non modo ut peccatoribus supplicii memoriam revocaret, sed etiam ut piis braviorum et coronarum. Sed ille quidem ut bonos viros recrearet hæc dixit ; ego autem perhorresco semper dum hæc audio : non sum enim de numero coronandorum. Puto autem alios esse hujus timoris et angustiæ nobis consortes. Quem enim non possent hæc verba terrere, si in conscientiam ejus immittantur, quem non in horrorem inducere, ita ut persuasum habeat nobis sacco et longo jejunio opus esse magis quam populo Ninivitarum? Non enim de urbis eversione et de communi interitu sermo nobis est, sed de supplicio æterno, de igne qui nunquam extinguitur.

V. Ideo monachos, qui deserta occuparunt, laudo et admiror, tum aliis de causis, tum propter hæc verba. Nam

[1] 1 Cor. xv, 41.

illi post prandium, imo vero post cœnam, prandium quippe non norunt; sciunt enim præsens tempus esse luctus ac jejunii; post cœnam igitur gratias Deo referentes, hanc memorant vocem. Si vultis autem illorum hymnum audire, ut illum vos frequenter recitetis, totum vobis referam ipsorum sacrum canticum, quod sic habet : « Benedictus Deus, » qui pascis me a juventute mea, qui das escam omni carni : » imple gaudio et lætitia cor nostrum, ut semper omnem » sufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum » in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor, » imperium cum sancto Spiritu in sæcula. Amen. Gloria » tibi, Domine, gloria tibi, Sancte, gloria tibi, Rex, quia de- » disti nobis cibos in lætitiam. Imple nos Spiritu sancto, ut » inveniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pudore » afficiamur, cum reddes unicuique secundum opera sua. » Hic hymnus totus admirationi esse debet, maxime vero finis ejus. Quia enim mensa et cibus effusos reddit et aggravat, hoc dictum quasi frenum quoddam animæ apposuerunt hoc lætitiæ tempore, cum judicii diem in memoriam revocant. Didicerunt enim quid passus est Israël post lautam mensam. « Comedit enim, inquit, et incrassatus est, et re- » calcitravit dilectus[1]. » Idcirco dixit Moyses : « Cum man- » ducaveris et biberis et saturatus fueris, memento Domini » Dei tui[2]. » Post mensam enim iniquissima ausi fuerant. Cave igitur etiam tu ne simile quid patiaris. Etiamsi enim nec lapidi, nec auro oves et vitulos immolaveris; cave ne iræ immoles animam tuam, ne fornicationi immoles salutem tuam, neve aliis similibus animi morbis. Hæc enim etiam de causa monachi hæc præcipitia metuentes, postquam mensa, imo potius jejunio usi sunt : nam mensa ipsorum jejunium est : tremendi judicii ac diei illius memoriam revocant. Si autem illi, qui jejuniis, chameuniis,

[1] Deut. xxxii, 15. — [2] Id. vi, 11.

vigiliis, sacco et innumeris aliis sese macerant, hac tamen admonitione indigent : quando poterimus nos moderate vivere, qui mensas apparamus mille naufragiis onustas, neque omnino precamur vel in principio, vel in fine? Idcirco ut naufragia illa dissolvamus, hymnum illum in medium adducentes, explicemus omnia, ut quid lucri commodet animadvertentes, frequenter illum in mensa canamus, ventrisque insultus reprimamus, atque mores legesque Angelorum illorum in domos nostras inducamus. Par certe fuisset ut illo vos conferentes, hunc referre is fructum : sed quia id non vultis, verbis saltem nostris hanc spiritualem melodiam audite, ac singuli post mensam hæc verba referant, sic orsi : « Benedictus Deus, » apostolicam quippe legem statim implent qua jubetur : « Quodcumque fecerimus in » verbo et opere, in nomine Domini nostri Jesu Christi » faciamus, gratias agentes Deo et Patri per ipsum[1]. » Deinde ut gratiarum actio non pro illo solo die sit, sed pro tota vita, dicitur : « Qui pascis me a juventute mea. » Hæc quoque doctrina philosophica est, Deo quippe alente, non sollicitum esse oportet. Nam si rege tibi promittente se tibi quotidianum cibum ex sua penu suppeditaturum esse, confideres utique; multo magis si Deus præbeat, et omnia tibi quasi ex fonte fluant, omni sollicitudine vacuum esse oportet. Ideo enim hæc dicunt, ut et seipsos et Discipulos ad omnem curam et sollicitudinem ponendam inducant. Deinde, ne putes ipsos pro se tantum hanc gratiarum actionem referre, subjungunt : « Qui dat escam omni carni, » pro toto orbe ipsi gratias agentes, et quasi orbis universi patres, sic pro omnibus laudes referunt, et ad veram sese fraternitatem incitant. Neque enim possunt illos odisse, pro quibus de suppeditato ipsis cibo Deo gratias agunt. Vides-ne et charitatem per gratiarum actionem inductam,

[1] Coloss. III, 17.

quæ sæcularem sollicitudinem ejicit, tum ex iis quæ præcedunt, tum ex his jam dictis? Si enim dat escam omni carni, multo magis iis, qui ipsi addicti sunt. Nam si eos, qui sæcularibus curis sunt involuti, multo magis eos, qui iis vacui sunt, nutrit. Hoc et Christus confirmans dicit : « Quot passeribus meliores estis vos[1]? » His verbis docet non esse fidendum divitiis et terræ et seminibus. Non enim hæc sunt quæ nutriunt, sed verbum Dei. His etiam Manichæos retrudunt et Valentinianos, eosque qui cum illis sentiunt. Non enim potest hic malus esse Deus, qui omnibus etiam se blasphemantibus bona sua confert. Deinde sequitur petitio : « Reple gaudio et lætitia corda nostra. » Quo gaudio dicit? Num sæculari? Absit. Neque enim si illud vellent, cacumina montium et deserta occupassent, neque sacco essent induti. Sed illud gaudium dicunt quod cum præsenti vita nihil commune habet, gaudium Angelorum et supernum ; nec simpliciter id postulant, sed abundantius expetunt; non dicunt : « Da, » sed, « Reple ; » nec dicunt : « Nos, » sed « Corda nostra : » hoc enim maxime gaudium cordis : « Fructus enim Spiritus, charitas, gaudium, » pax[2]. » Quia enim peccatum tristitiam induxit, precantur ut per gaudium justitia in ipsis inseratur : neque enim alio modo gaudium in illis generaretur. « Ut semper omnem » sufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum. » Vide evangelicum illud dictum impletum : « Panem nos- » trum quotidianum da nobis hodie[3]. » Hanc porro abundantiam in spiritualibus quærunt; « Ut abundemus, inquiunt, in omne opus bonum. » Nec dicunt : « Ut faciamus solum quod debemus ; » sed etiam plus quam præcepta continent ; id enim significat illud, « Ut abundemus. » Et a Deo quidem sufficientiam quærunt in necessariis : ipsi vero nolunt cum sufficientia tantum obedire, sed superabun-

[1] Luc. XII, 7. — [2] Gal. V, 22. — [3] Luc. XI, 3.

danter in omnibus. Hoc est frugi servorum, hoc philosophorum hominum, semper et in omnibus abundare. Deinde ut infirmitatem suam commemorent, fateanturque sine superno nutu nihil se posse strenuum facere, postquam dixerunt : « Ut abundemus in omne opus bonum, » subjiciunt : « In Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, » honor, imperium in sæcula. Amen. » Parem principio finem per gratiarum actionem texunt.

VI. Postea vero videntur quasi a principio incipere, et eumdem sermonem continuant. Ut et Paulus in principio Epistolæ quasi in glorificationem desinens ait : « Secundum » voluntatem Dei et Patris, cui gloria in sæcula. Amen [1] : » ac rursus quod tractandum suscipit, argumentum resumit. Et alibi rursus : « Coluerunt et servierunt creaturæ potius » quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen [2] : » non absolvit sermonem, sed pergit. Ne igitur hos Angelos incusemus, quasi inordinate faciant : quod postquam in glorificationem desierunt, rursus hymnum sacrum incipiant. Apostolicas enim sequuntur leges, cum a glorificatione incipiunt, et in illam desinunt, posteaque rursus exordiuntur. Quapropter, dicunt : « Gloria tibi, Domine, gloria tibi, » Sancte, gloria tibi, Rex, quia dedisti nobis cibos in læti» tiam. » Non enim pro magnis tantum, sed et pro minimis gratias agere oportet. Gratias autem pro his agunt, ut Manichæorum hæresim pudefaciant, et omnes quotquot præsentem vitam esse malam dicunt. Ne putes enim eos, qui ad summam philosophiam se exercent, et ventrem despiciunt, escas abominari, ut ii qui se suffocant, verbis supplicibus tibi suadent, se non ideo a multis abstinere, quod multas Dei creaturas detestentur, sed quod philosophiam exerceant. Et animadverte quomodo post gratiarum actionem pro collatis cibis, majora petant, nec in sæcularibus

[1] Gal. 1, 4, 5. — [2] Rom. 1, 25.

perstent, sed supra cœlos ascendant, dicantque : « Imple » nos Spiritu sancto. » Neque enim potest quis præclare se gerere, nisi sit repletus gratia illa, ut non potest quis strenuum aut magnum quid facere, nisi Christi gratia fruatur. Sicut ergo dicentes: « Ut abundemus in omne opus bonum, » subjunxerunt, « In Christo Jesu ; » ita et hic dicunt: « Reple » nos Spiritu sancto, ut inveniamur in conspectu tuo ac- » ceptabiles. » Vides-ne quomodo de rebus ad vitam spectantibus non precentur, sed gratias agant tantum; circa res autem spirituales et gratias agant et precentur? nam ait : « Quærite primum regnum cœlorum, et hæc omnia » adjicientur vobis [1]. » Perpende autem et illam illorum philosophiam, « Ut inveniamur, inquiunt, in conspectu tuo » acceptabiles, nec pudore afficiamur. » Neque enim curamus quod apud multos id dedecori nobis vertatur, sed quæcumque dixerint de nobis homines ridentes, exprobrantes, ne advertimus quidem. Hoc unum contendimus ne tunc confundamur. Postquam autem hæc dixerunt, ignis quoque fluvium memorant, præmia et bravia. Nec dicunt: « Ne puniamur; » sed, « Ne confundamur. » Hoc quippe nobis terribilius est, quam gehenna, si videamur offendisse Dominum. Sed quia multos ex crassioribus hoc non terrere solet, adjiciunt : « Cum reddes unicuique secundum opera » sua. » Vides-ne quantum nobis prosint externi illi et peregrini solitudinis cives, imo cœlorum cives? Nos enim in cœlis peregrini sumus, terræ autem cives : illi vero econtra. Post hunc hymnum compunctione moti, lacrymisque multis ac fervidis perfusi, ad somnum pergunt, tantum dormientes, quantum satis est ad parvam quamdam quietem capiendam. Rursumque noctes in dies vertunt, in gratiarum actione et psalmodia vitam agentes. Nec modo viri, sed et mulieres hanc philosophiam exercent, quæ naturæ

[1] Matth. VI, 33.

infirmitatem animi magnitudine superant. Pudeat igitur nos viros talem in ipsis constantiam videntes, et cessemus cupiditate moveri rerum præsentium, umbræ, somniorum, fumi. Nam maxima pars vitæ nostræ sensu carere videtur. Prima ætas multa plena est stultitia : quæ vero ad senium vergit, sensum in nobis hebetiorem reddit : intermedium tempus breve est, quo sensu deliciarum fruimur. Imo ne tempore quidem illo sensu recte fruimur, cum mille curæ laboresque adsint qui illum labefactent. Quapropter, obsecro, immota et æterna quæramus bona, et vitam quæ nulli senio obnoxia est. Nam potest etiam is qui in civitate habitat, monachorum philosophiam imitari : potest etiamsi uxorem habeat et domi versetur, precari, jejunare, compungi. Nam et qui ab initio ab Apostolis instituebantur, civitatem incolebant, eorum,qui in desertum concesserunt pietatem exhibebant, nec non alii qui officinis præerant, ut Priscilla et Aquila [1]. Prophetæ quoque omnes, et uxores et domos habebant, ut Esaïas, Ezechiel, magnusque Moyses, neque inde quidpiam ipsis damni ad virtutem exercendam accessit. Hos et nos quoque imitantes, semper Deo gratias agamus, semper ipsum hymnis celebremus, continentiamque et alias virtutes colamus, atque eam, quæ in montibus viget, philosophiam in civitates inducamus; ut et apud Deum acceptabiles, et hominibus probati videamur, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, honor, imperium, una cum sancto et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Act. xviii.

HOMILIA LVI.

CAPUT XVI.

Amen, amen dico vobis, sunt quidam de hic astantibus, qui non gustabunt mortem, donec viderint Filium hominis venientem in regno suo [1].

I. Quoniam multa de periculis, de morte, de passione sua locutus est, nec non de cæde Discipulorum, illaque aspera ipsis præcepit, quæ in præsenti vita et quasi in manibus erant; bona vero in spe et expectatione; ut erat illud, eos qui animam perdunt servare eam, et venturum ipsum esse in gloria Patris sui, et præmia redditurum : cum vellet eos visu etiam certiores facere, ostendereque quid esset illa gloria, cum qua venturus esset, quantum scilicet capere poterant; in præsenti quoque vita illam ostendit, et revelat, ut ne de morte sua, neve de Domini nece dolerent, et maxime Petrus qui eam ægre ferebat. Et vide quid faciat postquam de gehenna et de regno locutus fuerat, cum diceret : « Qui invenit animam suam, perdet eam, et qui » perdiderit animam suam propter me, inveniet eam [2]; » iterumque, « Reddet unicuique secundum opera ejus. » Hæc ambo declaravit. Et cum de utroque dixisset, regnum quidem videndum exhibet, gehennam vero minime. Quare? Quia si alii ibidem crassiores fuissent, id certe necessarium fuisset : quia vero illi erant accepti et probi viri, a bonis illos confirmat. Neque hæc una sola causa fuit hæc demonstrandi; sed quia id sibi convenientius erat. Nec tamen

[1] Matth. XVI, 28. — [2] Joan, XII, 25.

illam aliam partem prætermisit; sed sæpe res illas ad gehennam spectantes fere sub oculis ponit; ut cum Lazari imaginem induxit [1], et cum memoravit eum qui centum denarios exegerat, atque meminit illius qui sordidis erat indutus [2], aliorumque plurimorum. « Et post dies sex assumit Petrum et Jacobum et Joannem [3]. » Alius vero « Post » dies octo [4] » ait, neque huic contradicit, sed cum illo valde consentit. Nam alius diem illam, in qua locutus est, enumerat, itemque illam in qua reduxit eos; alius vero intermedias solum posuit. Tu vero animadvertas velim quomodo Matthæus philosophetur, dum eos non tacet qui sibi antepositi fuerunt. Hoc et Joannes sæpe facit, eximias Petri laudes accuratissime describens. Nam livore et invidia vacuus semper erat horum Sanctorum chorus. Assumptis itaque coryphæis, « Duxit illos in montem excelsum seorsum, » et transfiguratus est ante eos : et resplenduit facies ejus » sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. » Et ecce apparuerunt eis Moyses et Elias loquentes cum » ipso [5]. » Cur hos accipit solos? quia hi aliis præstantiores erant; Petrus quod admodum diligeret Christum, ideo præeminebat; Joannes quod valde diligeretur; Jacobus ex sua cum fratre responsione, quando dixit : « Possumus bi» bere calicem [6]; » neque ab hac responsione solum; sed etiam ex operibus, tum aliis, tum quod impleverit id quod dixerat : Judæis quippe ita acer et vehemens esse videbatur, ut Herodes munus maximum se præbiturum Judæis putaret, si illum occideret [7]. Cur autem non statim illos secum adducit? Ne reliqui Discipuli aliquid humanum paterentur. Ideo nec nomina quidem eorum protulit qui ascensuri erant. Nam admodum desiderassent cæteri Chris-

[1] Luc. xvi, 19 et seqq. — [2] Matth. xviii et 22, — [3] Id. xvii, 1. — [4] Luc. ix, 28. — [5] Matth. xvii, 2, 3. — [6] Id. xx, 22. — [7] Act. xii, 1.

tum sequi, tantam gloriam visuri, et tanquam neglecti doluissent. Etiamsi enim hoc corporaliter maxime ostensum fuerit, attamen multum desiderii id intulisset. Cur autem id prædixit? Ut paratiores et prænoniti circa visionem essent, ex prædictione, et ex dierum numero cupiditate videndi ardentes, sic vigili et sollicita mente accederent. Cur autem Moysem et Eliam in medium adducit? Multæ possent afferri causæ, quarum prima hæc est: Quia turbæ dicebant, alii Heliam, alii Jeremiam, alii unum veterum Prophetarum Christum esse; ideo illos, qui præcipui erant, adducit, ut hinc videretur quantum discrimen esset servos inter et Dominum, ac recte Petrum fuisse laudatum, quod ipsum esse Dei Filium confessus esset. Aliud quoque addendum suppetit: Quia frequenter ipsum arguebant, quod legem transgrederetur, et blasphemum ipsum putabant esse, quia gloriam Patris nihil ad se pertinentem sibi vindicaret, dicebantque: « Hic non est a Deo, quia sabba» tum non servat [1]; » ac rursum, « De bono opere non lapi» damus te; sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, » facis te ipsum Deum [2]. » Ut ostendatur hanc utramque criminationem ex invidia proficisci, et se utraque in re insontem esse; neque se legem prævaricatum esse, nec se sibi non congruentem gloriam attribuisse, cum se diceret æqualem Patri; eos in medium adducit, qui in utraque re fulserant. Nam Moyses legem dederat; poterantque Judæi cogitare Moysem non libenter passurum fuisse quod lex conculcaretur, ut illi putabant; nec colere potuisse hostem ejus qui legem dederat: Heliam vero, qui pro Dei gloria zelo plenus erat, si Deo adversarius ille fuisset, si se Deum, et Patri æqualem falso dixisset, nequaquam affuturum et illi obsecuturum fuisse.

II. Cum supra dictis altera est adhuc dicenda causa.

[1] Joan. IX, 16. — [2] Id. X, 33.

Quænam illa? Ut discerent eum et vitæ et mortis potestatem habere, ac cœlestibus pariter atque terrenis imperare. Quapropter et eum qui mortuus erat, et eum qui nondum obierat, in medium adducit. Quintam causam (nam certe quinta numero est,) affert Evangelista. Quænam illa est? Ut crucis gloriam ostenderet, Petrumque ac reliquos solaretur, qui passionem timebant, ipsorumque animos erigeret. Nam cum illo advenissent, non tacebant, sed loquebantur de gloria quam completurus erat in Jerusalem; id est de passione et cruce; sic enim ipsam semper vocant. Nec ideo tantum illos delegit: sed illorum virtute motus, quam ipse in illis maxime quærebat. Quia enim dixerat: « Si quis vult post me venire, tollat crucem suam et se» quatur me, » eos qui pro Dei beneplacito, et pro sibi commisso populo mille mortes obierant, in medium adducit. Uterque enim animam perdidit, et invenit eam. Uterque contra tyrannum constanter ac libere stetit; ille contra Ægyptium, hic contra Achabum, idque pro ingratis et inobsequentibus hominibus: et ab iis, quorum saluti advigilabant, in extremum acti sunt periculum; atque uterque ut illos ab idololatria retraheret, et ambo privati homines esse videbantur: ille lingua tardus et exili voce erat; hic agrestis viri more agebat: ambo pauperes admodum erant: nam neque Moyses quidpiam possidebat, neque Helias: quid enim plus habuit, quam meloten? Et hæc in veteri lege, cum nondum tantam signorum gratiam accepissent. Etiamsi enim Moyses more diviserit; at Petrus super aquas ambulavit, et montes transferre poterat, morbos omnis generis curabat, feroces dæmonas fugabat, magnaque illa prodigia per umbram corporis sui edebat, totumque orbem convertit. Si autem Elias mortuum suscitavit; at illi sexcentos suscitarunt, etiamsi nondum Spiritum sanctum accepissent.

[1] Luc. IX, 51.

Illos itaque hac de causa in medium adduxit. Volebat enim Discipulos eorum ad populum ducendum studium imitari, illorum constantiam, firmitatem, esseque mites, ut Moyses erat, zelo plenos ut Elias, similiterque sollicitos. Alter enim triennalem famem tulit propter populum judaïcum; alter vero dicebat : « Si quidem dimittis ipsis peccatum, » dimitte; sin minus, dele me de libro, quem scripsisti [1]. » Hæc omnia ipsis per hanc visionem in mentem revocabat: nam in gloriam illam adduxit ipsos; non ut in illis starent, sed ut scammata transilirent. Quando igitur dixerunt: « Di- » camus ignem de cœlo descendere [2], » et Heliæ recordati sunt, qui hoc fecerat, ait illis : « Nescitis cujus Spiritus » sitis, » ad injuriarum oblivionem illos adhortans ob charismatum differentiam. Ne putes nos Eliam ut imperfectum damnare : non enim hoc dicimus; etenim admodum perfectus erat. Verum temporibus suis, cum puerilior tunc mens hominum esset, hac opus erat institutione : nam Moyses quoque hac ratione perfectus erat; sed plus exigitur ab Apostolis quam ab illo : « Nisi enim abundaverit justitia » vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intra- » bitis in regnum cœlorum [3]. » Non enim in Ægyptum ingressi sunt, sed in orbem totum gravius et pejus affectum quam Ægyptii erant : non Pharaonem alloculturi, sed cum diabolo pugnaturi ipso nequitiæ tyranno. Nam certamen ipsis erat, ut illum alligarent, et vasa ejus diriperent omnia; illud vero faciebant, non mare dividentes, sed per virgam Jessæ profundum impietatis dissecantes, multo gravioribus agitatum fluctibus. Vide igitur quot quantaque essent quæ hominibus terrorem inculerent, mors, paupertas, infamia, mille mala. Magisque illa tunc timebant, quam Judæi olim pelagus illud. Attamen suasit illis ut hæc omnia fidenter aggrederentur, et cum magna securitate

[1] Exod. xxxii, 32. — [2] Luc. ix, 54. — [3] Matth. v, 20.

quasi per siccum transirent. Ad hæc igitur omnia ipsos concitans, illos adduxit qui in veteri refulserant. Quid igitur Petrus fervens ille? « Bonum est nos hic esse [1]. » Quia enim audierat ipsum Jerosolymam venturum et passurum esse, ea de causa adhuc timens et tremens, post increpationem illam non audet quidem accedere ac dicere: « Propitius tibi sis : » sed timore adhuc captus, eadem ipsa, sed per alia verba subindicat. Quia enim montem videbat et vastam solitudinem, cogitabat magnam ibi securitatem a loco esse. Nec modo a loco, sed quod cuperet ipsum non ultra Jerosolymam adire : vult enim eum ibi perpetuo manere : ideo tabernacula memorat. Si enim hoc fiat, inquit, non ultra Jerosolymam ascendemus : si non ascendamus, ille non morietur. Ibi namque dicebat Scribas se aggressuros esse. Sed non ausus est ita loqui; hæc autem perficere volens, secure dicebat : « Bonum est nos hic esse, » ubi et Moyses et Elias adsunt. Elias, qui de cœlo ignem in montem descendere jussit; Moysesque, qui in caliginem ingressus, cum Deo locutus est : et nemo sciet ubinam sumus. »

III. Vidisti-ne ferventem Christi amatorem? Ne quæras quam prudens et accuratus esset hortandi modus, sed quam fervens, quantumque ardebat amore Christi. Quod enim cum illud diceret, non pro seipso tantum tremeret hæc dicendo; audi quid dicat cum Christus mortem suam et insidias sibi parari prænuntiavit : « Animam meam pro te ponam : si oportuerit me mori tecum, non te negabo [2]. » Vide etiam quomodo in mediis periculis vitæ suæ parum consuleret. Tanto enim circumstante populo, non modo non aufugit, sed stricto gladio amputavit auriculam servi sacerdotis. Sic ille non quod suum erat respiciebat; sed pro magistro suo tremebat. Deinde quia absolute locutus

[1] Matth. XVII, 4. — [2] Marc. XIV, 31.

fuerat, ad mentem redit; timensque ne rursus increparetur, ait : « Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi » unum, et Eliæ unum [1]. » Quid dicis, Petre? Nonne paulo ante a servis eum separasti? cur cum servis modo connumeras? Vides-ne quam imperfecti illi essent ante crucem? Nam si Pater Petro revelavit, at non diu revelationem illam retinuit, sed pavore turbatus est, non solum eo quem dixi, sed etiam alio quem ex visione illa susceperat. Alii itaque Evangelistæ hoc significantes, mentis confusionem, qua afficiebatur cum hæc diceret, ex pavore illo susceptam declarant. Marcus quidem dicit : « Non enim sciebat quid loqueretur : » perterriti namque fuerunt [2]. » Lucas vero postquam dixit : « Faciamus tria tabernacula : » statim subjunxit, « Nes- » ciens quid diceret [3]. » Deinde significans et illum et alios timore correptos fuisse, ait : « Gravati somno erant. » Cum evigilassent autem, viderunt gloriam ejus. Somnum vero hic vocat soporem illum qui ex tali visione accidit. Nam veluti oculi ex nimio fulgore obtenebrantur; sic et illis evenit. Neque enim nox erat, sed dies : et radiorum splendor oculorum infirmitatem gravabat. Quid igitur? Ipse quidem nihil loquitur, neque Moyses, neque Elias : sed qui omnibus major et fide dignior est, Pater vocem emittit ex nube. Cur ex nube? Sic semper apparet Deus : nam « Nubes et » caligo in circuitu ejus [4]; » et rursus, « Qui ponit nubem » ascensum suum [5]; » iterumque, « Dominus sedet in nube » levi [6]; » et, « Nubes suscepit eum ab oculis eorum [7]; » et, « Quasi Filius hominis veniens in nubibus [8]. » Ut igitur credant ab ipso Deo vocem ferri; inde venit, et nubes lucida erat. Nam, « Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obum- » bravit eos. Et ecce vox de nube dicens : Hic est Filius

[1] Matth. XVII, 4. — [2] Marc. IX, 5. — [3] Luc. IX, 33. — [4] Psal. LXVIII, 4. — [5] Id. CIII, 3. — [6] Isaï. XIX, 1. — [7] Act. I, 9. — [8] Dan. VII, 13.

» meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum au-» dite[1]. » Quando enim minatur, tenebrosam nubem ostendit, quemadmodum in Sina. « Intravit, enim, ait, in nu-» bem et in caliginem Moyses, et velut vapor ita ferebatur » fumus[2]; » et Propheta de minis ejus disserens, « Tene-» brosa, inquit, aqua in nubibus aëris[3]. » Hic vero quia non terrere, sed docere volebat, nubes lucida est. Et Petrus quidem dicebat : « Faciamus tria tabernacula; » ille vero tabernaculum ostendit non manufactum. Ideo ibi quidem fumus est, et vapor fornacis; hic vero lux ineffabilis, et vox. Deinde ut ostendatur non de uno trium simpliciter dici, sed de Christo tantum; cum vox allata est, illi recesserant. Nam si de uno ex illis dictum fuisset, non ille mansisset solus, duobus aliis remotis. Cur ergo nubes non Christum solum operuit, sed omnes simul? Si Christum solum obumbrasset, putatum fuisset ipsum Christum emisisse vocem. Quapropter Evangelista, ut hoc ipsum confirmaret, ait vocem ex nube venisse, id est, ex Deo. Et quid ait vox illa? « Hic est Filius meus dilectus. » Si dilectus, ne timeas, Petre. Oportebat enim te et virtutem potentiamque ejus jam nosse, et de resurrectione esse certiorem. Quia vero illud ignoras, saltem ex voce Patris fidentior esto. Si namque potens est Deus, ut vere potens est, procul dubio et Filius similiter. Ne timeas ergo mala. Si autem hoc nondum admittis, illud saltem cogita illum et Filium esse, et diligi. « Hic est enim, ait, Filius meus dilectus. » Si vero diligitur, ne timeas. Nemo enim quem diligit, abjicit. Ne turberis ergo : quantumvis enim diligas, non diligis eum ut Pater ipsius diligit. « In quo mihi complacui. » Non enim solum diligit eum quia genuit; sed quia et æqualis est illi omnino, et ejusdem voluntatis. Duplex igitur, imo triplex est dilectionis argumentum : quia Filius, quia dilectus, quia

[1] Matth. XVII, 5. — [2] Exod. XXIV, 18. — [3] Psal. XVII, 13.

in ipso sibi complacuit. Quid porro significat illud, « In » quo mihi bene complacui? » ac si diceret : « In quo quiesco, quo oblector, qui omnino æqualis mihi est, et quod unam cum Patre voluntatem habeat, et quod Filius manens, unum omnino sit cum Genitore. « Ipsum, inquit, audite. » Quare si crucifigi voluerit, ne obsistas. « Et audientes ceciderunt » in facies suas, et timuerunt valde. Et accedens Jesus, te- » tigit eos, et dixit : Surgite, et nolite timere. Levantes au- » tem oculos suos, neminem viderunt nisi solum Jesum [1]. »

IV. Quomodo hæc audientes perculsi sunt? nam antehac emissa fuit vox talis in Jordane; turbæ arderant, nemo quidpiam tale passus est. Et postea rursum, quando tonitru factum fuisse dicebant; sed nec tunc quid simile sunt passi: quomodo igitur in monte ceciderunt? Quia et solitudo, et altitudo montis et quies magna erat, et transfiguratio horrore plena, et lux immensa, et nubes extensa. Quæ omnia illos in pavorem magnum conjecerunt. Undique terror oriebatur, et ceciderunt territi simul et adorantes. Ne porro timor ille, si diu mansisset, rerum memoriam deleret, statim illos a terrore liberavit, solus ipse conspicitur, mandatque ipsis ut nemini dicant, donec a mortuis resurgeret. « Descendentibus enim illis de monte præcepit eis ut ne- » mini dicerent, donec ipse a mortuis resurgeret [2]. » Nam quanto majora de illo narrabantur, tanto creditu difficiliora tunc multis erant. Scandalum autem crucis magis crescebat. Idcirco tacere jubet, neque simpliciter, sed rursus passionem commemorans, ac fere causam dicens cur tacere juberet. Neque enim jubet nunquam hæc cuipiam dicere, sed donec ipse a mortuis resurgeret. Atque hic quod durum erat tacens, quod jucundum erat tantum dixit. Quid ergo postea? annon scandalum passuri erant? Nequaquam. Tempus crucem præcedens tantum quærebatur : nam pos-

[1] Matth. xvii, 6-8. — [2] Ibid. 9.

tea Spiritu sancto dignati sunt, et signorum vocem habebant sibi patrocinantem, atque omnia, quæ tunc dicebant, acceptabilia erant, cùm res ipsæ clarius, quam tuba quælibet, ejus potentiam prædicarent, nec quopiam interveniente offendiculo. Nihil ergo Apostolis beatius, maximeque tribus illis qui in nube obtegi una cum Domino dignati sunt. Sed si velimus, nos quoque Christum videbimus : non ut illi tunc in monte, sed multo splendidiorem ; neque enim sic postremo veniet. Nam tunc Discipulis se attemperans tantum splendorem effudit, quantum poterant illi ferre. In extremo autem tempore in propria Patris gloria veniet, non cum Moyse et Helia tantum, sed cum immenso Angelorum exercitu, cum Archangelis, cum Cherubinis, cum hujusmodi multitudine infinita ; non cum nube caput operiente, sed ipso cœlo contracto. Nam sicut cum judices publice sententiam prolaturi sunt, qui astant remotis velis, sic illos omnibus conspiciendos præbent ; ita et tunc omnes illum sedentem videbunt, et tota humana natura sistetur, ipseque per se illis respondebit, atque aliis dicet : « Venite benedicti Patris mei : esurivi enim, et dedistis » mihi manducare[1] : » aliis vero dicet : « Euge serve bone » et fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te consti- » tuam[2] : » Contra vero aliis : « Ite in ignem æternum pa- » ratum diabolo et angelis ejus[3] ; » aliis vero, « Serve ne- » quam et piger[4]. » Et alios quidem dissecabit tradetque tortoribus ; alios vero, ligatis manibus et pedibus, jubebit projici in tenebras exteriores. Et post securim fornax excipiet, ac quæ a sagena projiciuntur, illud cadent. « Tunc » Justi fulgebunt sicut sol[5] ; » imo plus quam sol. Id vero dicitur, non quod lux eorum solari par tantum sit, sed quia astrum nullum hoc splendidius habemus, ab hoc notum

[1] Matth. xxv, 34, 35. — [2] Ibid. 21 et 23. — [3] Ibid. 41. — [4] Ibid. 26. — [5] Id. xiii, 43.

facere voluit futurum Sanctorum splendorem. Nam in monte quoque, cu dixit : « Resplenduit ut sol, » eadem de causa sic locutus est. Nam quod major lux esset, quam ea quæ in exemplo fertur, testificati sunt Discipuli cadentes. Si porro non immensa lux fuisset, sed solis luci par, non cecidissent, sed facile tulissent. Justi igitur tunc fulgebunt sicut sol, et plus quam sol : peccatores vero extrema patientur. Tunc non commentariis opus erit, non argumentis, non testibus : nam ipse judex omnia est, argumentum et judex. Omnia quippe clare novit ille. Nam « Omnia nuda et aperta » sunt oculis ejus [1]; » non dives, non pauper, non potens, non infirmus : non sapiens, non insipiens, non servus, non liber, nemo illic apparebit, sed his personis contritis, operum tantum examen erit. Nam si in judiciis, cum quis de tyrannide aut de cæde causam dicit, quicumque fuerit, sive præfectus, sive consul, sive quidvis aliud, omnia avolant insignia dignitatis, et qui deprehensus est, extremas dat pœnas. Multo magis ibi res ita se habebit.

V. Id ne fiat, ponamus, obsecro, sordidas vestes, et induamur arma lucis, et gloria Dei amiciet nos. Quid enim ex præceptis grave? quid non facile? Audi igitur quid dicat Propheta, et tunc facilitatem intelliges : « Neque si in- » curvaveris, quasi circulum collum tuum, et saccum et ci- » nerem substraveris, neque sic vocabis jejunium acceptabile: » sed solve omne vinculum iniquitatis, dissolve obligationes » violentarum pactionum [2]. » Vide Prophetæ sapientiam; onerosa prius posuit et sustulit, et a facilioribus salutem consequi rogat, ostendens non labores Deum, sed obedientiam exposcere. Deinde ut commonstret virtutem facilem, nequitiam vero onerosam esse, a nudis nominibus id astruit. Nequitia enim, inquit, est vinculum et obligatio, virtus autem ab his liberatio et solutio; omnem syngra-

[1] Hebr. IV, 13. — [2] Isaï. LVIII, 5, 6.

pham injustam discerpe, fœnorum et usurarum rescripta sic appellans. « Dissolve confractos in remissione, » miseros videlicet. Talis quippe debitor est, cum viderit creditorem, ejus animus frangitur, ipsumque magis quam feram formidat. « Et pauperes tecto carentes induc in domum » tuam; si videris nudum, operi eum, et proprios seminis » tui non despicias [1]. » In concione quam nuper habuimus, cum de præmiis ageremus, divitias inde partas ostendimus. Nunc porro videamus num quid ex præceptis difficile sit, et naturam nostram superet. Sed nihil simile inveniemus; imo contraria omnia; ita ut quæ virtutem spectant magnam habeant facilitatem; contra vero quæ ad nequitiam pertinent, sudores maximos. Quid enim est difficilius, quam fœnerari, ac de usura et pactionibus sollicitum esse, sponsiones expetere, ac de pignoribus metuere ac tremere, de sorte, de syngraphis, de fœnoribus, de sponsionibus? Tales sunt res sæculares. Hæc quæ videtur excogitata securitas suspicionibus plena, et omnium fragilissima est. Misericordiam autem exercere facile est, ab omnique sollicitudine liberat. Ne igitur alienas calamitates negotiemur, ne in lucrum vertamus illa quæ ad misericordiam spectant. Scio quidem multos hæc non libenter audire. Sed quid ex silentio lucri accederet? Si taceam, et nemini molestiam verbis inferam, non potero per silentium vos a supplicio eruere; imo hinc omnia contraria eveniunt: supplicia augentur, atque hujusmodi silentii, non vos tantum, sed ego etiam pœnas darem. Ad quid igitur verborum adulatio, quando illa ad operandum nihil juvat, imo etiam nocet? Quod lucrum verbo lætitiam, re dolores afferre? Aures demulcere et animam supplicio addicere? Ideo necesse est hic dolere, ne illic pœnas demus. Nam gravis, gravis certe et omnino curandus morbus Ecclesiam invasit. Qui prohi-

[1] Isaï. LVIII, 7.

bentur vel ex justis laboribus pecunias accumulare, imo qui jubentur opes suas egenis aperire, ex aliorum pauper-tate ditescunt, speciosam rapinam excogitantes et bene coloratam avaritiam. Ne mihi externas leges objicias. Publicanus enim legem illam exteriorem servat, et tamen dat pœnas. Quod etiam nos patiemur, nisi desinamus pauperes atterere, et penuriæ egestatisque occasione sumpta, impudente abuti usura. Ideo enim pecunias habes, ut paupertatem solvas, non ut eam opprimas ; tu vero quasi opem ferens, majorem infers calamitatem, et liberalitatem pecunia vendis ; vende, non veto, sed pro regno cœlorum. Ne parvum accipias operis hujusce pretium, usuram centesimam (14), sed vitam immortalem. Cur pauper et egenus es ? cur pusilli animi ut magna parvo pretio vendas, et pro caducis pecuniis des, cum oporteret pro regno vendere semper manente ? cur, Deo relicto, humana lucraris ? cur, divite relicto, pauperi molestiam infers, et largientem præ-tercurrens cum ingrato pacta inis ? Ille reddere concupiscit, hic ægre reddit. Hic vix centesimum numerat, ille centuplum et regnum cœlorum. Hic cum convitiis et contumeliis, ille cum laudibus et encomiis. Hic tibi invidiam parit, ille tibi coronas nectit. Hic vix in hoc sæculo, ille et in hoc et in futuro. Annon ergo extremæ dementiæ est, ne scire quidem lucrari ? Quot fœnoris causa sortem etiam amiserunt ? quot propter usuras in pericula inciderunt ? quot et se et alios in extremam paupertatem dejecerunt ob incredibilem avaritiam ?

VI. Ne mihi dixeris illum talem libenter accipere, et de fœnore gratiam habere. Illud enim per inhumanitatem tuam evenit. Nam et Abraham, cum uxorem barbaris tradidit [1], insidias illas sibi gratas reddidit ; non libenter, sed ob metum Pharaonis. Sic etiam pauper, quia re gratis oblata dig-

[1] Gen. xii, 13.

num illum non censes, de crudelitate gratias agere cogitur. Tu autem mihi videris, si a periculo quempiam vindicares, mercedem te hac de causa ab illo flagitaturum esse. Absit, inquies. Quid dicis? Cum a majori malo liberas, non vis pecunias exigere, dum pro re minore tantam exhibes inhumanitatem? Non vides quantum huic rei imminet supplicium? Non audis illud in Veteri etiam Testamento prohiberi[1]. Sed quid multi causificantur? Dum fœnus accipio, do pauperi. Bona verba, mi homo, hujusmodi sacrificia non vult Deus. Ne legem ita callide eludas. Melius est pauperi non dare, quam inde sumptum dare. Quia pecuniam justis partam laboribus, sæpe reddis iniquam ob iniquos fœtus, ac si quis fœcundum uterum cogat scorpiones parere. Ecquid legem Dei memoro, annon vos ipsi sordes illud esse dicitis? Si autem vos, qui lucrum refertis, ita statuitis, cogita quam Deus de vobis feret sententiam. Quod si velis externos legislatores interrogare, audies illos id extremæ impudentiæ esse putare. Certe iis, qui dignitates occupant, quique senatum magnum constituunt, non licet hujusmodi lucro dehonestari. Sed lex apud illos est, quæ id prohibet. Quomodo igitur non horrendum fuerit, si non parem cœlesti civitati honorem tribuas, qualem legislatores Romanorum senatui tribuunt, sed minorem cœlo referas quam terræ, neque te pudeat tantæ turpitudinis? Quid enim insanius fuerit, quam si quis sine terra, sine pluvia, sine aratro seminare voluerit? Hac de causa zizania, quæ igni tradenda sunt, metunt, qui malam hujusmodi agriculturam excogitarunt. Annon multæ sunt justæ negotiationes, agrorum, gregum, armentorum, manualium laborum, solersque rei familiaris cura? Quid insanis ut spinas frustra demetas? At fructus terræ, inquies, multis sunt casibus obnoxii, grandini, rubigini, imbribus nimiis? Sed

[1] Deut. xv.

non tot casibus quot fœnus. Nam quidquid ibi acciderit, reditum solummodo lædit, sorte interim, sive agro manente illæso. Hic vero multi sæpe in ipsa sorte naufragium passi sunt : et antequam damnum accidat, in perpetua sollicitudine versantur. Nam fœnerator nunquam re sua fruitur. sed etiam quando fœnus affertur, non gaudet quod proventus accedat, sed dolet quod nondum sortem exæquet usura, ac priusquam hic fœtus totus prodeat, illum totum parere nititur, fœnora in sortem convertens, et vim inferens ut abortivos viperæ partus edat. Talia certe sunt fœnora, quæ animas miserius rodunt et lacerant, quam viperæ. Hoc injustitiæ vinculum est : hæc obligatio violentarum pactionum. Do, inquit, non ut accipias, sed ut plura reddas. At Deus vetat id accipere quod datur : « Date, inquit, illis, » a quibus nihil accipere speratis [1]. » Tu vero plus quam dederis exigis : et quod non dedisti, ut debitum tibi cogis numerare eum, qui non accepit. Et putas hinc tibi opes augeri, ac pro opibus ignem tibi accendis inextinguibilem. Quod ne fiat hos fœnorum partus malos et iniquos excindamus, exsiccemus hunc perniciosum uterum, ac vera magnaque lucra tantum persequamur. Quænam hæc sunt? Audiamus Paulum dicentem : « Magnus est quæstus pietas cum » sufficientia [2], » His igitur tantum ditemur divitiis, ut et hic tranquillitate fruamur, et futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. VI, 35. — [2] 1 Tim. VI, 6.

FINIS TOMI SEPTUAGESIMI QUINTI.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 10.

Hæc tituli more jacent in editionibus Commelini et Morelli, quia in latinis editis, homilia hæc, quæ in græcis manuscriptis una serie ponitur ut a Chrysostomo habita fuit, in duas divisa fuit. Latini porro, ut videtur, quo in unam Orationem dominicam, homiliam Chrysostomi haberent, hanc in duas partes diviserunt, quarum postrema Orationis dominicæ explicationem complectitur, et hanc postremam partem homiliam vigesimam inscripserunt; secundum quem numerum, sequentes homiliarum numeri male concinnantur. Quos numeros, quia a scriptoribus Chrysostomi loca afferentibus semper adhibiti fuerunt, sericı suæ restituimus, id est, decimæ nonæ.

Annot. (2), pag. 90.

Quod hic dicit de Christo cum potestate loquente, jam ante neque semel dixit, ubi etiam ait illum, quemadmodum Prophetas, non de alio, sed de seipso locutum fuisse. Illud porro ὡς ὁ προφήτης Μωσῆς, manuscripti non pauci sic efferunt, ὁ Προφήτης καὶ Μωϋσῆς, quæ lectio, si vera sit, intelligatur oportet, Propheta nempe David, et Moyses legislator.

Annot. (3), pag. 131.

Idipsum dicit Chrysostomus Hom. II de Lazaro, nempe secundum quorumdam opinionem animas morientium dæ-

monas fieri. Sed id ibi solum dicitur de illis qui violenta morte decesserunt : illudque forte hoc etiam loco subintelligendum est : non verisimile enim est id eos de animabus decedentium omnium existimasse.

Annot. (4), pag. 132.

Singularis admodum illa opinio erat a præstigiatoribus occisos pueros fuisse, ut ipsorum animæ sibi ministrarent.

Annot. (5), pag. 146.

Philosophia apud Chrysostomum pro virtute, modestia et humilitate accipitur. Hic porro Matthæum laudat, qui publicanus cum esset, ideoque male audiret apud Judæos, nomen suum tamen non occultaverit, sed sese Matthæum appellaverit, neque nomen suum mutaverit, quod tamen fecerunt alii Evangelistæ, qui ipsum Levi appellarunt.

Annot. (6), pag. 167.

De Xenophonte dicitur ipsum, cum coronatus sacrificaret, ut audivit filium in Mantinæa pugna cecidisse, coronam deposuisse, ubi vero acriter pugnantem corruisse comperit, coronam iterum capiti imposuisse.

Annot. (7), pag. 183.

Singulare est quod hic dicitur de iis, qui ex oleo lucernæ in Ecclesia ardentis uncti convaluerant. De arca postea loquitur in qua pecuniæ servabantur, pauperibus erogandæ. Aliquid difficultatis præ se ferunt verba sequentia, ubi de arca κιβωτίῳ loquens dicit, ἀλλ' ἐλεημοσύνην ἔχει συγκεκλεισμένην, εἰ καὶ ὀλίγοι εἰσὶν οἱ κεκτημένοι ἐνταῦθα; « Sed eleemosynam »inclusam habet, licet pauci sint qui illam possideant. » Auctoris mentem hanc esse existimo : Arca illa Ecclesiæ

pecuniis obtinet ad eleemosynam erogandam, quam virtutem eleemosynæ scilicet erogandæ ex his præsentibus pauci possident.

Annot. (8), pag. 201.

Quod dicit Chrysostomus Jobum de resurrectione nihil novisse, non consonat cum vulgari doctorum opinione.

Annot. (9), pag. 261.

Hujus loci sensus sic plenius explicatur. Tu dicis eos, qui paupertatem sponte sectantur, tantam in rerum omnium penuria voluptatem percipere, ut ne oblatas quidem divitias unquam sint accepturi. At divites quoque ita delectantur in opibus suis, ut nunquam patiantur eas sibi adimi, quo se a sollicitudine servandæ pecuniæ exonerent.

Annot. (10), pag. 295.

« Nec modo non dedit, » nempe filiam. Atqui dedit Michol filiam suam in conjugem. Sed puto Chrysostomum hic pro non data habere eam, quæ simulate tantum data fuit, ut hoc allectus beneficio David facilius obtruncaretur.

Annot. (11), pag. 302.

Erant a principio Ecclesiæ quidam hæretici, qui putabant Christum specie tantum et δόκήσει in mundum venisse, et ea, quæ in Evangeliis narrantur, perfecisse. De quibus hæreticis Ignatius martyr Epist. ad Smyrnæos, itemque Epist. ad Trallianos, Irenæus lib. 1, Epiphanius, et alii.

Annot. (12), pag. 329.

Καὶ γὰρ καὶ οἰκέται δεσπότας ἐπὶ ἄριστον καλοῦντες. Vertimus : « Etenim liberti qui heros suos ad convivium invitant. » Οἰκέται enim hic intelligendum omnino videtur de servis et domesticis illis qui heri sui liberalitate libertatem adepti erant, quosque libertos appellabant.

Annot. (13), pag. 368.

Φιλοσοφεῖν τοὺς ὅλως παιδεύων, asperum vivendi genus, quale est, in fœno discumbere cibi sumendi causa, philosophiam hic, ut sæpe alias vocat Chrysostomus.

Annot. (14), pag. 463.

Centesima erat usuræ genus, quo qui in fœnus accipiebant, singulis mensibus centesimam sortis partem solverent, ita ut centum mensibus sortem æquarent.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
HOMILIÆ IN S. MATTHÆUM.	
Homilia XXI, pag. 37.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, pag. 49-60.
Homilia XXII, pag. 45.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, pag. 61-67.
Homilia XXV, pag. 90.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, pag. 436-443, et tom. XIV, pag. 75-80.
Homilia XXVI, pag. 99.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 81-86.
Homilia XXVII, pag. 117.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 86-91.
Homilia XXXI, pag. 159.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, pag. 256-265.
Homilia XXXII, pag. 170.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 17-29.
Homilia XXXV, pag. 215.	Ejusdem fragmenta, tom. XVIII, pag. 114-121.
Homilia XXXVIII, pag. 254.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 399-407.
Homilia XLIII, pag. 300.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 221-225.
Homilia XLIV, pag. 312.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 221-225.
Homilia XLIX, pag. 364.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 92-93.
Homilia LIII, pag. 412.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, pag. 108-113.
Homilia LV, pag. 437.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, pag. 165.

INDEX

TOMI SEPTUAGESIMI QUINTI.

HOMILIÆ IN NOVUM TESTAMENTUM.

COMMENTARIA IN S. MATTHÆUM EVANGELISTAM.

Homilia XIX. Caput VI.	Pag. 3
Homilia XX. Id. Caput.	24
Homilia XXI. Id. Caput.	37
Homilia XXII. Id. Caput.	45
Homilia XXIII. Caput VII.	58
Homilia XXIV. Id. Caput.	79
Homilia XXV. Id. Caput.	90
Homilia XXVI. Caput VIII.	99
Homilia XXVII. Id. Caput.	117
Homilia XXVIII. Id. Caput.	127
Homilia XXIX. Caput IX.	139
Homilia XXX. Id. Caput.	146
Homilia XXXI. Id. Caput.	159
Homilia XXXII. Id. Caput.	170
Homilia XXXIII. Caput X.	188
Homilia XXXIV. Id. Caput.	204
Homilia XXXV. Id. Caput.	215
Homilia XXXVI. Caput XI.	228
Homilia XXXVII. Id. Caput.	238
Homilia XXXVIII. Id. Caput.	254
Homilia XXXIX. Caput XII.	263
Homilia XL. Id. Caput.	271
Homilia XLI. Id. Caput.	282
Homilia XLII. Id. Caput.	291
Homilia XLIII. Id. Caput.	300

Homilia XLIV. Caput XII. Pa. 512
Homilia XLV. Caput XIII. 524
Homilia XLVI. Id. Caput. 531
Homilia XLVII. Id. Caput. 540
Homilia XLVIII. Id. Caput. 549
Homilia XLIX. Caput XIV. 564
Homilia L. Id. Caput. 577
Homilia LI. Caput XV. 586
Homilia LII. Id. Caput. 600
Homilia LIII. Id. Caput. 612
Homilia LIV. Caput XVI. 623
Homilia LV. Id. Caput. 637
Homilia LVI. Id. Caput. 651

Annotationes. 667

Concordantia Bibliothecæ latinæ cum gallica. 671

EXPLICIT INDEX.

BR65 .C42 1834 v.5-6
John Chrysostom, Saint,
407.
Operum

SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
3 7387 0006 4095 1